De duplici professione religiosa (19 iunii 1750) . . . 177

Sacra Congregatio Super Disciplina Regularium:
De fratribus laicis instruendis (15 martii 1758) . . . 178

Clemens XIII (1758-1769):
De studio linguarum orientalium (18 augusti 1760) . . . 179

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium:
De professione extra domum novitiatus (6 iulii 1772) . . . 180
Quod nihil exigendum sit ab introeuntibus in religionem (11 decembris 1789) . . . 181

Pius VI (1775-1799):
Quorundam Synodi Pistoriensis (1786-1787) errorum damnatio (28 augusti 1794) . . . 182

Sacra Congregatio super Disciplina Regularium:
De meditatione, de amore cellae et de iuvenum institutoribus (6 februarii 1802) . . . 183
De meditatione, de amore cellae et de iuvenum institutoribus (28 maii 1802) . . . 184

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium:
De restituendis Ordinibus Regularibus (22 augusti 1814) . . . 185
De clerici saecularis libero in religionem ingressu (28 iulii 1837). 186

Pius IX (1846-1878).
Laudes Religionum et adhortatio ad earumdem Moderatores (17 iunii 1847) . . . 187

Sacra Congregatio super Statu Regularium:
De testimonialibus Ordinariorum litteris in receptione postulantium requirendis (25 ianuarii 1848) . . . 188
De receptione novitiorum ad habitum et professionem (25 ianuarii 1848) . . . 189

(Pius IX):
Adhortatio ad Ordinum Moderatores (8 decembris 1849) . . . 190

Concilium Provinciale Bituricense (1850):
Admonitio ad directores animarum et parentes circa vocationes religiosas . . . 191

http://www.obrascatolicas.com/

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium: NUM.
De novitiatu et professorio (22 aprilis 1851) . . . . . . . . 192

Sacra Congregatio super Statu Regularium:
Declarationes super decreto « Romani Pontifices » (1 maii 1851). 193
Declarationes super decreto « Regulari disciplinae » (1 maii 1851) . . . . . . . . 194
Declaratio super decreto « Regulari disciplinae » (16 ianuarii 1852) . . . . . . . . 195
De translatione religiosorum (1 octobris 1852) . . . . . . 196
Declarationes super decreto « Romani Pontifices » (5 novembris 1852) . . . . . . . . 197

(Pius IX):
Adhortatio ad Clerum Armeniae (2 februarii 1854) . . . . . 198

Sacra Congregatio super Statu Regularium:
Declarationes super decreto « Regulari disciplinae » (12 ianuarii 1855) . . . . . . . . 199

(Pius IX):
Adhortatio ad studiorum rationem ac methodum sapienter fovendam (10 maii 1856) . . . . . . . . 200

Sacra Congregatio super Statu Regularium:
De votorum simplicium professione (19 martii 1857) . . . . 201
Declarationes super decreto « Romani Pontifices » (29 maii 1857). 202
Declarationes super litt. circ. « Neminem latet » (12 iunii 1858). 203
Declarationes super litt. circ. « Neminem latet » (6 augusti 1858) . . . . . . . . 204
Declaratio super const. ap. « Cum ad regularem » (9 decembris 1859) . . . . . . . . 205
Declarationes super litt. circ. « Neminem latet » (20 ianuarii 1860) . . . . . . . . 206
De titulo ordinationis (20 ianuarii 1860) . . . . . . . . 207
Declaratio super decreto « Regulari disciplinae » (24 februarii 1860) . . . . . . . . 208

Concilium Provinciale Pragense (1860):
De studiis regularium . . . . . . . . 209

Sacra Congregatio super Statu Regularium:
Declaratio declarationis super litt. circ. « Neminem latet » (7 februarii 1862) . . . . . . . . 210

(Pius IX):
Super nullitate professionis votorum solemnium non praemissa professione votorum simplicium (7 februarii 1862) . . . . . . 211

Sacra Congregatio super Statu Regularium:
Exclaustrati reversi novitiatum peragere non debent (4 iulii 1862) . . . . . . . . 212
De dominio professorum a votis simplicibus (1 augusti 1862) . 213



Synodus Provincialis Ultraiectensis (1865): NUM.
De tyrocinio et de studiis . . . . . . . . 214

Sacra Congregatio super Statu Regularium:
Declaratio super litt. circ. « Neminem latet » (16 augusti 1866). 215
Alia declaratio super litt. circ. « Neminem latet » (16 augusti 1866) . . . . . . . . 216

Concilium Oecumenicum Vaticanum (1869-1870):
De votis et de studiis religiosorum . . . . . . . . 217
De voto obedientiae . . . . . . . . 218
De vita communi . . . . . . . . 219
Super novitiatu et novitiorum ac neo-professorum institutione. 220
Super studiis regularium . . . . . . . . 221
Super gradibus et titulis regularium . . . . . . . . 222
Super ordinationibus regularium . . . . . . . . 223

Leo XIII (1878-1903):
De christiana philosophia instauranda (4 augusti 1879) . . . 224

Sacra Congregatio de Propaganda Fide:
De recipiendis Orientalibus (1 iunii 1885) . . . . . . . . 225

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium:
De renunciatione bonorum (16 septembris 1885) . . . . . . 226
De confessione et de conscientiae manifestatione (17 decembris 1890). . . . . . . . 227

Sacra Congregatio super Statu Regularium:
De professis votorum simplicium (16 ianuarii 1891) . . . . 228

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium:
De sacra confessione et communione (14 augusti 1891) . . . 229
De requisitis ad ordines sacros suscipiendos (4 novembris 1892). 230

Sacra Congregatio super Disciplina Regularium:
De servitio militari (27 novembris 1892) . . . . . . . . 231

(Leo XIII):
De studio sacrae scripturae (18 novembris 1893) . . . . . . 232

Sacra Rituum Congregatio:
De professionis eiusque renovationis ritu (27 augusti 1894) . . 233

(Leo XIII):
De iuventutis collegiis in Oriente deque Orientalium receptione (30 novembris 1894) . . . . . . . . 234

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium:
De clericis vel saecularibus vel regularibus civilis gubernii Universitates celebrantibus (21 iulii 1896) . . . . . . . . 235
De professis ad militiam vocatis (2 septembris 1896) . . . . 236

(Leo XIII):
De doctrina divi Thomae sequenda (25 novembris 1898) . . . 237
Religiosae vitae genus contra « americanismi » errores defenditur (22 ianuarii 1899) . . . . . . . . 238

http://www.obrascatolicas.com/

NUM.

Sancta Romana et Universalis Inquisitio:
De sacramentalibus subditorum confessionibus Romae prohibitis (5 iulii 1899) . . . . . 239
De subditorum confessionibus a superioribus Romae non excipiendis (25 augusti 1899) . . . . . 240

(Leo XIII):
De Institutis Religiosorum vota simplicia profitentium (8 decembris 1900) . . . . . 241
Laudes Institutorum Religiosorum (23 decembris 1900) . . . 242
Paterna Summi Pontificis adhortatio (29 iunii 1901) . . . . 243

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium:
Nequit religiosus ante professionem disponere ut fructus sortis propriae accrescant sorti (21 novembris 1902) . . . . . . . . 244

Pius X (1903-1913):
De musica sacra (22 novembris 1903) . . . . . . . . . 245

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium:
Etiam Regulares possunt assequi gradus academicos a Commissione Biblica (19 aprilis 1904) . . . . . . . . . . . . 246
De magistro novitiorum uti examinatore ad professionem non adhibendo (14 iunii 1904) . . . . . . . . . . . . . . 247

(Pius X):
De receptione fratrum et de studiis (31 maii 1905) . . . . . 248
De examinibus ordinandorum in Urbe (16 iulii 1905) . . . . 249

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium:
De voto Capituli conventualis post dilatam professionem solemnem non exquirendo (18 augusti 1905) . . . . . . . . . . 250

Sacra Congregatio Concilii:
De frequenti communione eucharistica (20 decembris 1905) . . 251
E seminariis dimissi non acceptandi (22 decembris 1905) . . 252

(Pius X):
De examinibus ordinandorum coram Episcopo faciendis (19 martii 1906) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 253

Sacra Congregatio Indulgentiarum:
Iaculatoriam precem recitantibus indulgentiae conceduntur (27 februarii 1907) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 254

Sancta Romana et Universalis Inquisitio:
De moderatoribus et magistris erroribus modernismi infectis removendis (28 augusti 1907) . . . . . . . . . . . . . . 255

(Pius X):
De philosophia S. Thomae Aquinatis sequenda ac de celebrandis Universitatibus civilibus (8 septembris 1907) . . . . . . . 256

Sacra Congregatio de Religiosis:
De studentibus ad eleemosynas quaeritandas non mittendis (21 novembris 1908) . . . . . . . . . . . . . . . . . . 257



NUM.

De muneribus in clericorum seminariis viro religioso ad saeculum revertenti vetitis (15 iunii 1909) . . . . . . . . . . . . 258
De dimissis a seminariis et collegiis in religiosas familias non admittendis (7 septembris 1909) . . . . . . . . . . . . . 259
De studiis ante ordinationes requisitis (7 septembris 1909) . . 260
De studiis ante ingressum novitiatum peragendis (21 decembris 1909). . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 261
De religiosis ad militiam vocatis (29 decembris 1909) . . . . 262
De professione religiosa (4 ianuarii 1910) . . . . . . . . 263
De quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis (5 aprilis 1910) . . . . . . . . . . . . . . . . 264
De quibusdam officiis viris e religione egressis non committendis (5 aprilis 1910) . . . . . . . . . . . . . . . . . 265
Declarationes super decreto « Auctis admodum » (31 maii 1910). 266
De aliqua in novitiatu studiis opera danda (27 augusti 1910) . 267

(Pius X):
Leges ad modernismi periculum propulsandum (1 septembris 1910) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 268

Sacra Congregatio Consistorialis:
De diaria legendi prohibitione (25 septembris 1910) . . . . 269

(Pius X):
Adhortatio ad iuvenes (10 novembris 1910) . . . . . . . 270

Sacra Congregatio Consistorialis:
De iureiurando ab ordinandis faciendo (17 decembris 1910). . 271

Sacra Congregatio de Religiosis:
De conversis seu laicis (1 ianuarii 1911) . . . . . . . . 272
De religiosis servitio militari adstrictis (1 ianuarii 1911) . . . 273
De methodo servanda in ferenda sententia expulsionis vel dimissionis (16 maii 1911) . . . . . . . . . . . . . . . 274

(Pius X):
De summa ad divinum exercendum ministerium studiorum necessitate, congruentia, utilitate (25 octobris 1911) . . . . . . 275

Sacra Congregatio de Religiosis:
De servitio militari (1 februarii 1912) . . . . . . . . . 276

Sacra Congregatio de Propaganda Fide:
De modo admittenti Orientales (15 iunii 1912) . . . . . . 277

Sacra Congregatio de Religiosis:
De professione religiosa in mortis articulo novitiis permittenda (10 septembris 1912) . . . . . . . . . . . . . . . . 278

(Pius X):
De cooptandis sodalibus deque scientiarum magistris deputandis (4 augusti 1913) . . . . . . . . . . . . . . . . 279

Sacra Congregatio de Religiosis:
De absolutione sacramentali religiosis sodalibus a quovis confessario impertienda (5 augusti 1913) . . . . . . . . . . . 280

http://www.obrascatolicas.com/

NUM.

De novitiatus termino et interruptione (3 maii 1914) . . . . 281
De novitiis militiae addictis (3 maii 1914) . . . . . . . . 282
De confessione apud Orientales sacerdotes instituta, et de confessione novitiorum (3 maii 1914) . . . . . . . . . . . . . 283

(Pius X):
De studio doctrinae S. Thomae Aquinatis in scholis catholicis promovendo (29 iunii 1914) . . . . . . . . . . . . . . . 284

Sacra Congregatio de Religiosis:
Circa interruptionem studiorum (1 martii 1915) . . . . . . 285
De qualitatibus recipiendorum (18 augusti 1915). . . . . . 286

Sacra Congregatio Sancti Officii:
Sodalitates ad provehendas iuvandasque religiosas vocationes indulgentiis ditantur (11 octobris 1916) . . . . . . . . . . 287

Codex Iuris Canonici:
Definitio status religiosi (can. 487) . . . . . . . . . . . 288
De obedientia Romano Pontifici praestanda (can. 499, § 1) . . 289
De potestate superiorum (can. 501, § 1) . . . . . . . . . . 290
De obligatione superiorum (can. 509, §§ 1, 2) . . . . . . 291
De iure superiorum administrandi sacramenta (can. 514, § 1) . 292
Admonitio ad superiores quoad confessiones sacramentales (can. 518, §§ 1, 2, 3) . . . . . . . . . . . . . . . . . 293
De manifestatione conscientiae superioribus facienda (can. 530, §§ 1, 2) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 294
De admissione in religionem (can. 538) . . . . . . . . . 295
De postulatu (can. 539-541) . . . . . . . . . . . . . . 296
De requisitis ut quis in novitiatum admittatur (can. 542-546) . 297
De novitiorum institutione (can. 553-571) . . . . . . . . 298
De professione religiosa (can. 572-586) . . . . . . . . . 299
De ratione studiorum in religionibus clericalibus (can. 587-589) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 300
De examinibus quinquennalibus (can. 590) . . . . . . . . 301
De solutione casuum (can. 591) . . . . . . . . . . . . 302
De obligationibus religiosorum (can. 592-596, 599, 606, 610, 611) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 303
De privilegiis religiosorum (can. 614) . . . . . . . . . 304
De studentibus ad stipem colligendam non mittendis (can. 623). 305
De transitu ad aliam religionem (can. 632-636) . . . . . . 306
De egressu e religione (can. 637, 641, 642) . . . . . . . 307
De dimissione religiosorum (can. 648, 653, 669) . . . . . . 308
De magistri novitiorum et seminarii collegiive superioris audiendi confessiones suorum alumnorum prohibitione (can. 891) . . 309
Religiosi a quonam ordines recipere possint (can. 964-967) . . 310
De subiecto sacrae ordinationis (can. 970-971) . . . . . . 311
De titulo ordinationis (can. 982) . . . . . . . . . . . 312
De irregularitate ex defectu relate ad sacros ordines (can. 984, 1°) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 313



NUM.

De proposito recipiendi ordines superiori maiori aperiendo (can. 992) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 314
De litteris dimissoriis (can. 995) . . . . . . . . . . . 315
De examine ordinandorum (can. 996, 997) . . . . . . . . 316
De potestate superioris erga privata subditorum suorum vota (can. 1312) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 317
De votis ante professionem religiosam emissis (can. 1315) . . 318
De poena ipso facto incurrenda ab iis qui aliquem quocumque modo cogant ad religionem ingrediendam vel ad emittendam professionem (can. 2352) . . . . . . . . . . . . . . . 319
De poena illius cuius professio ob dolum ab ipso admissum nulla declarata fuerit (can. 2387) . . . . . . . . . . . . 320
Contra superiores ad novitiatum, professionem, ordines illegitime admittentes (can. 2411) . . . . . . . . . . . . . 321

Sacra Congregatio Sancti Officii:
Circa Consilia a vigilantia et Iuramentum antimodernisticum (22 martii 1918). . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 322

Sacra Congregatio Consistorialis:
Circa clericorum frequentiam in laicis Universitatibus (30 aprilis 1918) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 323

Pontificia Commissio Interpretationis Codicis:
De litteris testimonialibus (28 iulii 1918) . . . . . . . . 324
De confessionibus a magistro spiritus non recipiendis (27 septembris 1918) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 325

Sacra Congregatio Consistorialis:
De clericis et religiosis e militia redeuntibus (25 octobris 1918) . 326

Sacra Congregatio de Religiosis:
De religiosis e militia redeuntibus (23 decembris 1918) . . . 327
De religiosis servitio militari adstrictis (15 iulii 1919) . . . . 328
Circa professionem religiosorum laicorum in Ordinibus regularium (6 octobris 1919) . . . . . . . . . . . . . . . . . 329

Pontificia Commissio Interpretationis Codicis:
De iis qui sectae acatholicae adhaeserunt in novitiatum non admittendis (16 octobris 1919) . . . . . . . . . . . . . 330
De iure novitiorum ad suffragia (16 octobris 1919) . . . . . 331
De novitiorum libera bonorum administrationis cessione (16 octobris 1919) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 332

Sacra Congregatio de Religiosis:
De testimonialibus iuratis (21 novembris 1919) . . . . . . 333
De religiosis ad servitium militare vocatis (30 novembris 1919). 334

Pontificia Commissio Interpretationis Codicis:
De testamentis a novitiis conficiendis (a. 1919) . . . . . . 335
De religiosis ad saeculum regressis (24 novembris 1920) . . . 336
De votis temporaneis (1 martii 1921) . . . . . . . . . . 337



http://www.obrascatolicas.com/

NUM.

Sacra Congregatio de Religiosis:
De secundo novitiatus anno (3 novembris 1921) . . . . . . . 338
De quinquennali relatione a religionibus facienda (8 martii 1922) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 339
Elenchus quaestionum ad quas respondendum est a Moderatoribus seu Moderatricibus Generalibus Institutorum vota simplicia profitentium in relatione ad S. Sedem quinto quoque anno transmittenda (25 martii 1922) . . . . . . . . . . . . . . . 340

Pontificia Commissio Interpretationis Codicis:
De transitu ad aliam religionem (14 iulii 1922) . . . . . . . 341
De anno integro novitiatus (12 novembris 1922) . . . . . 342

Pius XI (1922-1939):
Laudes cleri regularis (23 decembris 1922) . . . . . . . 343

Sacra Congregatio de Religiosis:
De professione religiosa in mortis articulo novitiis vel postulantibus permissa (30 decembris 1922) . . . . . . . . . . 344
De habitu novitiorum a transeunte ad aliam religionem gestando (14 maii 1923) . . . . . . . . . . . . . . . . . . 345

(Pius XI):
De Angelici Doctoris exemplo sectando (29 iunii 1923) . . . 346

Sacra Congregatio de Religiosis:
De recursu contra decretum dimissionis religiosi professi a votis temporariis (20 iulii 1923) . . . . . . . . . . . . 346[a]
De dispensationibus super curriculo studiorum (27 octobris 1923) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 347

(Pius XI):
De alumnis exquisitiore quadam cultura pariter formandis (19 martii 1924) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 348
De alumnis ad divinarum litterarum studia mittendis (27 aprilis 1924) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 349

Sacra Congregatio Sancti Officii:
De libris edendis ad rem biblicam pertinentibus deque Sacra Scriptura docenda (15 maii 1924) . . . . . . . . . . . 349[a]

Sacra Congregatio de Religiosis:
De religiosis a votis temporariis in amentiam incidentibus (5 februarii 1925) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 350

Pontificia Commissio Interpretationis Codicis:
De admissione Orientalium in novitiatum (10 novembris 1925). 351

(Pius XI):
De studiis rerum orientalium provehendis (8 septembris 1928) . 352
De liturgia deque cantu gregoriano et musica sacra cotidie magis provehendis (20 decembris 1928) . . . . . . . . . . 353



NUM.

Sacra Congregatio de Religiosis:
De obligatione subditos in doctrina christiana rite imbuendi (25 novembris 1929) . . . . . . . . . . . . . . . . 354

(Pius XI):
De exercitiis spiritualibus (30 decembris 1929) . . . . . . 355
De ultimo educationis fine (31 decembris 1929) . . . . . . 356

Pontificia Commissio Interpretationis Codicis:
De novitiatus interruptione (13 iulii 1930) . . . . . . . . . 357

(Pius XI):
Laudes status religiosi (12 februarii 1931) . . . . . . . . 358
De Universitatibus et Facultatibus Studiorum ecclesiasticorum (24 maii 1931) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 359

Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus:
Ordinationes ad const. ap. « Deus scientiarum Dominus » de Universitatibus et Facultatibus Studiorum Ecclesiasticorum rite exsequendam (12 iunii 1931) . . . . . . . . . . . . . . 360

Pontificia Commissio Interpretationis Codicis:
De ultimis sacramentis ministrandis (16 iunii 1931) . . . . 361

Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus:
De inscriptione ad Universitates civiles (15 augusti 1931) . . . 362

Sacra Congregatio de Religiosis:
Super formatione clericali et religiosa alumnorum ad sacerdotium vocatorum, deque scrutinio ante ordinum susceptionem peragendo (1 decembris 1931) . . . . . . . . . . . . . . . 363

Sacra Paenitentiaria Apostolica:
Oratio indulgentiis ditata (10 aprilis 1934) . . . . . . . . . 364

Pontificia Commissio Interpretationis Codicis:
De sectae atheisticae adscriptis (30 iulii 1934) . . . . . . 365
De anno novitiatus (12 februarii 1935) . . . . . . . . . 366

(Pius XI):
De catholici sacerdotii dignitate (20 decembris 1935) . . . . 367

Sacra Paenitentiaria Apostolica:
De indulgentiis pro recitatione divini officii coram Ssmo Sacramento a novitiis quoque et studentibus lucrandis (31 martii 1937) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 368
Vota religiosa renovantibus indulgentiae conceduntur (10 aprilis 1937) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 369

Pontificia Commissio Interpretationis Codicis:
De servitio laboris publici (10 aprilis 1937) . . . . . . . 370

Sacra Congregatio de Sacramentis:
De communione quotidiana habituali et pene generali in seminariis, collegiis, communitatibus etiam religiosis et de abusibus in eadem praecavendis (8 decembris 1938) . . . . . . . . . . 371

http://www.obrascatolicas.com/

NUM.

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS:
De servitio militari (14 aprilis 1939) . . . . . . . . . . . 372

PIUS XII (1939):
De methodo docendi et discendi (24 iunii 1939) . . . . . . . 373
Adhortatio apostolica ad sacerdotes et clericos in exercitus ordines adscitos (8 decembris 1939) . . . . . . . . . . . . . 374

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS:
De servitio militari (23 ianuarii 1940) . . . . . . . . . . 375

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI:
De recta cleri orientalis institutione in territoriis patriarchalibus (27 ianuarii 1940) . . . . . . . . . . . . . . . . 376

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS ET DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS:
Normae circa studia religiosorum in Italia (2 februarii 1941). . 377
De alumnis in seminarium vel in familiam religiosam admittendis (25 iulii 1941) . . . . . . . . . . . . . . . . . . 378

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS:
De Cursu peculiari ad Psalmos interpretandos in Seminariis introducendo (5 augusti 1941) . . . . . . . . . . . . . . 378[a]
Normae a clericis et utriusque sexus religiosis studiis academicis apud Universitates civiles vacare cupientibus servandae (20 augusti 1942) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 379

(PIUS XII):
De sacrorum bibliorum studiis opportune provehendis (30 septembris 1943) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 380

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS:
Erigitur Commissio iuvenum sodalium educationi instructionique praeposita (24 ianuarii 1944) . . . . . . . . . . . . 381
Universa ratio studiorum referenda expostulatur (10 iunii 1944). 382

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS:
De studio paedagogiae (21 decembris 1944) . . . . . . . . 383
De Breviario iuvenibus levitis explicando (2 februarii 1945). . 384

(PIUS XII):
De tertio probationis anno (17 septembris 1946) . . . . . . 385
De genuino sensu dictionis « ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia » (22 septembris 1946) . . . . . . . . 386
De Institutis saecularibus (2 februarii 1947) . . . . . . . . 387

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS:
De Actione Catholica (2 februarii 1947) . . . . . . . . . . 388
De quinquennali relatione a Religionibus, a Societatibus vitae communis et ab Institutis saecularibus facienda (9 iulii 1947) . . 389

(PIUS XII):
De sacrae liturgiae studiis provehendis (20 novembris 1947) . . 390



NUM.

PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS:
De litteris ad Ordinarium loci libere mittendis (27 novembris 1947) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 390[a]

(PIUS XII):
De Institutorum saecularium laude atque confirmatione (12 martii 1948) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 391

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS:
De Institutis saecularibus (19 martii 1948) . . . . . . . . 392

SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS:
De Laurea ante const. ap. « Deus scientiarum Dominus » (23 maii 1948) . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 393

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS:
Elenchus quaestionum, quibus a Religionibus et Societatibus iuris pontificii in relatione ad Sanctam Sedem quinto quoque anno transmittenda respondendum est ad normam decreti « Cum transactis » (9 decembris 1948) . . . . . . . . . . . . . . 394

http://www.obrascatolicas.com/

# DOCUMENTA ECCLESIAE
# SODALIBUS INSTITUENDIS

http://www.obrascatolicas.com/

## EX SACRA SCRIPTURA NOVI FOEDERIS

1

### De necessitate abnegationis

*Matthaeus* XVI, 24: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. [a]

2

### Consilium oboedientiae

*Paulus ad Philippenses* II, 5-8: Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

3

### Consilium paupertatis

*Matthaeus* XIX, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me. [b]

4

### Consilium castitatis

*Matthaeus* XIX, 11-12: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere capiat. [c]

---

[a] *Lc.* IX, 23.
[b] *I Cor.* VII, 25-38; *I Io.* II, 15-17.
[c] *Mt.* VIII, 20; *Mc.* X, 21; *Lc.* IX, 57-58.



http://www.obrascatolicas.com/

5

**De vita communi**

*Actus Apostolorum* IV, 32: Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.

6

**De suorum abiicienda cura**

*Matthaeus* VIII, 22: Sequere me et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. [a]

7

**De non repetenda pristina vita**

*Lucas* IX, 62: Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei.

8

**Repromissio retributionis**

*Marcus* X, 29-31: Amen, dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum aut fratres aut sorores aut patrem aut matrem aut filios aut agros propter me et propter evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos et fratres et sorores et matres et filios et agros cum persecutionibus, et in saeculo futuro vitam aeternam. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. [b]

[a] Vide etiam *Lc.* IX, 60.
[b] *Mt.* XIX, 29.



## S. SYRICIUS (384-398)

9

**De monachorum ordinationibus**

(Ex Epist. decret. *Directa ad decessorem*, diei 10 februarii 385, ad Himerium Episc. Tarraconensem)

Cap. XIII. - Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, et vitae ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus, ita ut qui intra tricesimum aetatis annum sunt digni, in minoribus per gradus singulos, crescente tempore, promoveantur ordinibus; et sic ad diaconatus vel presbyterii insignia, maturae aetatis consecratione perveniant. Nec statim saltu ad episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quae singulis dignitatibus superius praefiximus, tempora fuerint custodita.

Mansi III, 660; Denzinger 90; ML LXXXVIII, 836.

## S. INNOCENTIUS I (402-417)

10

**De monacho facto clerico**

(Ex Epist. decret. *Etsi tibi*, diei 15 februarii 404, ad Victricum Episc. Rothomagensem)

Cap. X. - De monachis, qui diu morantes in monasteriis postea ad clericatus ordinem pervenerint, non debere eos a priore proposito deviare. Aut enim sicut in monasterio fuit, et quod diu servavit, id in meliore gradu positus amittere non debet: aut si corruptus, postea baptizatus, in monasterio sedens ad clericatus ordinem accedere voluerit, uxorem omnino habere non poterit: quia nec benedici cum sponsa potest iam corruptus. Quae forma servatur in clericis, maxime cum vetus regula hoc habeat, ut quisquis corruptus baptizatus clericus esse voluisset, sponderet se uxorem omnino non ducere. [a]

Mansi III, 1035; ML LXXXVIII, 836.

[a] Vide etiam c. 3, C.XVI, q. 1; S. Zachariae Papae (741-752) Epist. *Gaudio magno*, anno 741, ad Pipinum Maiorem Domus, itemque ad Episcopos, Abbates et proceres Francorum, cap. XIII, in Mansi XII, 331; Conc. Londinense (1138), *Statuta*, cap. XIV, in Mansi XXI, 513.

http://www.obrascatolicas.com/

## S. ZOSIMUS (417-418)

11

### De monachis vel laicis non nisi per gradus ecclesiasticos ordinandis

(Ex Epist. decret. *Exigit dilectio*, diei 22 februarii 418, ad Hesychium Episc. Salonitanum)

I. Si enim officia saecularia principem locum, non vestibulum actionis ingressis, sed per plurimos gradus examinatis, temporibus deferunt; quis ille tam arrogans, tam impudens invenitur, ut in coelesti militia, quae propensius ponderanda est, et sicut aurum repetitis ignibus exploranda; statim dux esse desideret, cum tiro ante non fuerit? et prius velit docere, quam discere? Assuescat in Domini castris, in lectorum primitus gradu divini rudimenta servitii: nec illi vile sit, exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus. Iam vero ad presbyterii fastigium talis accedat, ut et nomen aetas impleat, et meritum probitatis stipendia anteacta testentur. Iure inde summi pontificis locum sperare debebit. Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam multitudinis quaerunt, et putant ex hac turba aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc passim numerosa popularitas etiam his locis, ubi solitudo est, talium reperitur, dum parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud praestare non possunt, divinos ordines largiuntur. Quod oportet districti semper esse iudicii. Rarum est enim quod magnum est.

Mansi IV, 348; ML, LXXXVIII 837.

## SYNODUS ALIA S. PATRICII (post a. 450[a])

12

### Qui sint monachi

Can. XVII. - Monachi sunt qui solitarii sine terrenis opibus habitant sub potestate episcopi vel abbatis. Non sunt autem monachi, sed Vaetro periti, hoc est contemptores soliciti ad vitam perfectam. In aetate perfecta, hoc est, a viginti annis debet unusquisque con-

[a] Incerti loci et temporis; cfr. Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles*, II-II, 896 sqq.



stringi non attestando, sed voto perficiendo, ut est illud, *unusquisque sicut proposuit corde suo faciat;*[1] et ut, *vota mea reddam in conspectu domini,*[2] et reliqua. Quo voto vivitur, situs locorum coarctat, si superabundantia in omnibus devitetur in vita, quia in frigore et nuditate, in fame et siti, in vigiliis et ieiuniis vocati sunt.

Mansi VI, 525.

## CONCILIUM OECUMENICUM CHALCEDONENSE (451)

13

### Veri monachi honore sunt prosequendi

(Iuxta Gentianum Hervetum interpretem)

Can. IV. - Qui vere et sincere monasticam vitam aggrediuntur, digni convenienti honore habeantur.[a]

Mansi VII, 359 (374, 385).

14

### De monachis a militia, saeculari dignitate, matrimonio arcendis

(Ex interpretatione Dionysii Exigui)

Can. VII. - Qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expetiverunt, statuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam (saecularem) aut hoc tentantes et non agentes poenitentiam, ut redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari.[b]

Can. XVI. - Si qua virgo se dedicaverit Deo, similiter monachus, non licet eis nuptiis iungi. Si vero fuerint inventi hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus vero posse eis fieri humanitatem, si ita probaverit episcopus loci.[c]

Mansi VII, 375, 377-378.

[1] *II Cor.* IX, 7.
[2] *Ps. CXV*, 14.

[a] Can. 487.
[b] C. 3, C. XX, q. 3; *Enchir. Cler.* 30.
[c] C. 22, C. XXVII, q. 1. Cfr. Concilium Arausicanum I (441), can. XXVIII, in Mansi VI, 440; Concilium Ancyranum (314), can. XIX, in Mansi II, 519.

http://www.obrascatolicas.com/

## S. LEO I (440-461)

### 15

### Quod propositum monachi deseri non potest absque peccato

(Ex Epist. *Epistolas fraternitatis*, anno 458-459, ad Rusticum Episc. Narbonensem)

15. Propositum monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum, deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vovit Deo, debet et reddere. Unde qui relicta singularitatis professione, ad militiam, vel ad nuptias devolutus est, publicae poenitentiae satisfactione purgandus est, quia, etsi innocens militia et honestum potest esse coniugium, electionem tamen meliorum deseruisse transgressio est. [a]

BR I, 45; C. 1, C. XX, q. 3.

## S. GELASIUS I (492-496)

### 16

### De monachorum ad clerum promovendorum requisitis

(Ex Epist. decret. *Necessaria rerum*, diei 11 martii 494, ad universos Episcopos per Lucaniam, et Brutios et Siciliam constitutos)

3. Ut si quis etiam de religioso proposito et disciplinis monasterialibus eruditus, ad clericale munus accedat, in primis eius vita praeteritis acta temporibus inquiratur, si nullo gravi facinore probatur infectus, si secundam non habuit fortassis uxorem, nec a marito relictam sortitus ostenditur; si poenitentiam publicam fortassis non gessit, nec ulla corporis parte vitiatus apparet: si servili aut originariae non est conditioni obnoxius: si curiae iam probatur nexibus absolutus: si assecutus est literas sine quibus vix fortassis ostiarii possit implere ministerium; ut si his omnibus, quae sunt praedicta, fulcitur continuo lector vel notarius aut certe defensor effectus, post tres menses existat acolytus, maxime si huic aetas etiam suffragatur; sexto mense subdiaconi nomen accipiat, ac si modestae conversationis, honestaeque voluntatis existit nono mense

[a] Vide Conc. Nic. (325) can. XII (Canonum nicaenorum paraphrasis arabica; opus apocryphum e s. V-VII), in MANSI II, 715.



diaconus, completoque anno sit presbyter: cui tamen quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta doceatur praestitisse devotio.

BR I, 102; C. 1, D. LV; C. 8, 9, D. LXXVII.

### 17

### De monachi in presbyterii officium destinati ordinatione

(Fragmentorum cuiusdam Epist. decret., a. s.)

Si quis monachus fuerit, qui venerabilis vitae merito, sacerdotio dignus videatur, et abbas, sub cuius imperio regi Christo militat, illum fieri presbyterum petierit, ab episcopo debet eligi, et in loco, quo iudicaverit, ordinari, omnia quae ad sacerdotis officium pertinent, vel populi, vel episcopi electione provide ac iuste acturus.

BR I, append., 324; C. 28, C. XVI, q. 1.

## S. FELIX IV (526-530)

### 18

### Patrocinia potentium non requirenda

(Ex Epist. decret. *Laudanda est*, a. s., ad Ecclesium Episc. Ravennatem)

Clerici vero vel monachi ad indebitum obtinendum ordinem, vel locum, potentium patrocinia non requirant, per quae aut non faciendo ingratus, aut faciendo iniustus videatur episcopus.

BR I, append., 469; MANSI VIII, 667.

## S. GREGORIUS I (590-604)

### 19

### De vocatione monachali non deprimenda

(Decreta lata die 5 iulii 595 [a])

Cap. VI. - Multos ex ecclesiastica familia, seu saeculari militia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi in divino servitio valeant familiarius in monasteriis

[a] Vide MANSI X, 434, nota *a*, conl. cum CAPPELLI A., *Cronologia, Cronografia e Calendario perpetuo*, ed. 2, Milano 1930, pp. 225-230.

http://www.obrascatolicas.com/

conversari. Quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici iuris dominium, occasionem praebemus. Si vero festinantes ad omnipotentis Dei servitium incaute retinemus, illi invenimur negare quaedam qui dedit omnia. Unde necesse est ut quisquis ex iuris ecclesiastici servitute, vel saecularis militiae, ad Dei servitium converti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus. Et mores illius atque conversatio bono desiderio illius testimonium ferunt, absque ulla retractatione servire in monasterio omnipotenti Deo permittatur, ut a servitio humano liber recedat, qui divino amore districtiorem appetit subire servitutem. Si autem et in monastico habitu secundum patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conversatus, post praefixa sacris canonibus tempora, licenter iam ad quodlibet ecclesiasticum officium provehatur, si tamen illis non fuerit criminibus maculatus, quae in testamento veteri morte mulctantur.

MANSI X, 436.

## 20

### De non ordinando monacho absque abbatis consensu

(Ex Epist. decret. *Quam sit necessarium*, mense aprili 598, ad Marinianum Episc. Ravennatem)

Pariter autem custodiendum est, ut invito eiusdem monasterii abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Sed si abundantes fuerint, et ad celebrandas Deo laudes vel utilitates monasteriorum complendas sufficiant, abbas cum devotione de his, qui superfuerint, offerat, quos dignos coram Deo invenire potuerit. Quod si sufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennas episcopus ad ordinanda alia monasteria de his, qui supersunt, tollat. Ad ecclesiasticum tamen officium nullus exinde perducatur, nisi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit. Quisquis autem ex praedicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat habitandi. [a]

BR I, 169; C. 1, D. LVIII.

---

[a] Idem ab eodem Summo Pontifice in Epist. *Quam sit necessarium*, ad omnes Episcopos, diei 5 aprilis 599, in BR I, 171; et in Epist. *Quando ad ea*, ad Senatorem Presbyterum et Xenodochii Abbatem, n. 5, anno 603, in BR I, 173-174. Item a S. Martino I in Epist. *De quotidiano*, diei 19 ianuarii 653, in BR I, 206 etc. Vide etiam Concilium Agathense (506), can. XXVII, in MANSI VIII, 329.



# HONORIUS I (625-638)

## 21

### Adhortatio ad monachos de virtutibus monasticis colendis

(Ex Epist. *Si semper*, diei 11 ianuarii 628, ad Bertulphum Presbyterum et monasterii Bobiensis Abbatem)

Curae ergo tuae sit monasterii fratres quo poteris egregiis moribus, ac vita inreprensibili exornare, ut profecto iuxta id quod ... apostolicis privilegiis maluit inconcusse dotandos, desideret potius, et anhelet inviolabili coelestis affluentiae munere, diurnis sanctae disciplinae precibus decorandos, sit profecto communis, et sincera vita, sit sobria communis sinceritas, ut quibus est mortuus mundus, ac sepultus pro incentiva contentionis vicia minimo funites [1] qua in cassum quis et frustra laborare cognoscitur, si superbiae vitiorum autrici colla submittere sentiat: sit excelsa inde humilitas, quia per hanc coelesti artem, coelestium munerum possidere. Sit igitur ante oculos mentis, et corporis traditionum regula paternarum, et unusquisque praelatus noverit qualiter debeat imperare subditis, nedum aspera, et nec unicuique fratri aptissima ratione impleri usque ad complementum... Dei imperantes indiscretione subiecti: sit itaque moderata vivacitas, sit solicitudinis supereminens in fratribus strenuitas, ut dum regulariter omnes qui Deo integerrime conferuntur per obedientiae lineam bene servientes exhibeant temporalia, ad gaudia coelestis patriae proveniat sempiterna. Et haec quidem, quae ad solicitudinem pertinent, dixisse sufficiant: ante omnia cum Redemptoris nostri misericordiam, cui ingemiscere redemptionem nostram expectantem, enixius cum singultis, et gemitibus expectamus, ut ea, quae pietas flagitat, fragilitas humanae conditionis sufficienter, atque confidenter de sui auctoris suffragatione adimpleat.

BR I, 178; ML LXXX, 484.

---

[1] suscitentur?

http://www.obrascatolicas.com/

## CONCILIUM PLENARIUM TOLETANUM IV (633)

22

### De monachorum vetito regressu deque clericorum libero ingressu

Cap. 49. - Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnem ad saeculum interdicimus regressum. [a]

Cap. 50. - Clerici qui monachorum propositum appetunt; quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

Mansi X, 631.

## S. SERGIUS I (687-701)

23

### Adhortatio ad monachos de monasticis colendis virtutibus

(Ex Epist. *Ea quae*, anno circiter 688, ad Aldelmum monasterii Meldunesburgensis Abbatem)

Hortamur vos in Dei laudibus et orationibus studiosis [-os], atque pervigiles abstinentiae, castimoniae, purificationi tenaciter inhaerentes, hospitalitatis, atque humanitatis officiis deditos ac devotos obedientiae et humilitatis Christi existere vos amatores, circa invicem pia charitate concordes, mandatis spiritualibus, et sanctorum Patrum regulis serviendo apostolicae fidei, rectitudinem illibate servare, bonis studiis operam dare, humanitatem peregrinis et egentibus impendere, Ecclesiarum Dei praesulibus, et sacerdotibus venerationem debitam exhibere, Deo vacare, saeculares curas, et quaestus effugere, temperantiam et paupertatem diligere, psalmis et hymnis spiritualibus, atque orationibus assiduis cum Deo colloquium inserere, abstinentiam tamquam purificationem corporis in cunctis vitae studiis adhibere, in omnibus Dei mandatis alterutros excitare,

[a] Invenitur etiam in Concilio prov. Wormatiensi, a. 868, can. XXIII, in Mansi XV, 873.



solicitos circa sui salutem esse, et proficientes in melius aemulari, et in Dei praesidio confidere, immaculatos vos non solum a cogitatione carnali, sed etiam a sermonibus noxiis et cogitationibus custodire, ut castitas, atque sobrietas corporis simul et spiritus vestri ante Dei oculos luceat, quatenus et interior homo gratia virtutis illustretur, et exterior bonae conversationis laudem atque opinionis obtineat.

BR I, 212.

## CONCILIUM QUINISEXTUM (in Trullo, 692)

24

### In prolapsione quoque deprehensi, et poenitentes, recipiendi

Can. XLIII. - Licet omni christiano vitam exercitatricem eligere, et rerum ad vitam pertinentium deposita tempestate, monasterium ingredi, et habitu monachi tonderi, in quacumque prolapsione deprehensus fuerit. Salvator enim noster Deus inquit: *Eum qui venit ad me, non eiiciam foras.* [1] Tanquam ergo monachali vitae agendae instituto in poenitentia nobis vitam describente, ei, qui ad illud germane ac sincere accedit, acquiescimus ac favemus: nec ulli ei mores impedimentum afferent, quo minus proprium scopum adimpleat. [a]

Mansi XI, 963.

## IOANNES VI (701-705)

25

### Adhortatio ad monachos de caritate, paupertate, aliisque virtutibus exercendis

(Ex Epist. *Salubre nimis*, diei 30 iunii 704, ad Thomam Acutiani monasterii Abbatem)

Idcirco vestra religio hanc apostolici privilegii tuitionem adeptam fructuosum atque laudabile concessum beneficium demonstret, ante omnia in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus diebus ac noctibus permanentes iuxta monasticam disciplinam et regulam

[1] *Io.* VI, 37.

[a] Kirch, C., S. I., Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae, ed. 4, Friburgi Brisg. 1923, n. 1102.

http://www.obrascatolicas.com/

a Patribus traditam, conversantes sincero proposito in professione vestra Domino servientes, et de monasterii salute portum non relinquentes, charitatem invicem et unanimitatem servantes: nullus sibi proprium aliquando vindicet in honoribus vel rebus vel usibus; sed ut apostolorum Christi discipuli omnia habentes communia non divisa; nihilque vobis proprium defendentes iuxta quod ab illis est traditum et a successoribus observatum, obedientiam habentes religioso abbati atque praeposito et prioribus vestris: quod est sacrificium spirituale; humilitatem Christi demonstrantes in moribus vestris, benevolentiam quoque atque humanitatem et compassionem in eis, qui aliquatenus aegrotaverint vel eguerint: charitatem etiam et religiosae conversionis studium, ut demonstretur in vobis et floreat piae professionis integritas, familiares vobis exhibentes Deo: religiosae vitae sedulitas et abstinentiae atque orationis perseverantia fructuosa, ut quantum haec ex puritatis devotione peragitis, tantum Deo in vobis operante eius clementiae propinquetis orantes etiam pro nobis, et pro stabilitate apostolicae Dei Ecclesiae proque pace atque securitate totius populi christiani, et pro sospitate gloriosi filii nostri, qui pro timore Dei et religiosae conversationis augumento huius apostolici privilegii utpote ab eo inspiratus tuitionem vobis visus est providere, ut et orationes vestras et aeternam de vobis mercedem acquireret.

BR I, 214-215.

## SYNODUS CUTHBERTI ARCHIEPISCOPI (747)

### 26

### De ordinandis monachis eorumque studiis

Cap. VI. - Sexto statuitur decreto, ut episcopi nullum de clericis seu monachis ad sacrum presbyterii gradum ordinent, nisi prius eius vitam qualis extiterit, vel tunc quae morum probitas ac scientia fidei existat, manifeste perquirant: [a] qua namque potest ratione aliis integritatem fidei praedicare, sermonis scientiam conferre, peccantibus discretionem poenitentiae indicare, nisi prius vigilanti intentione, haec pro viribus ingenioli sui studeat ediscere, ut iuxta apostolum, Potens sit exhortare in doctrina sana? [1]

[1] *Tit.* I, 9.

[a] N. 16.



Cap. VII. - Septimo decreverunt condicto, ut episcopi, abbates atque abbatissae ... studeant, et diligenti cura provideant, ut per familias suas lectionis studium indesinenter in plurimorum pectoribus versetur, et ad lucrum animarum laudemque regis aeterni multorum vocibus innotescat; nam dictu dolendum est, quod his temporibus perpauci inveniantur, qui ex intimo corde sacrae scientiae rapiantur amore; et vix aliquid elaborare in discendo voluerint; quin potius a iuvenili aetate vanitatibus diversis, et inanis gloriae cupiditatibus occupantur, atque praesentis vitae instabilitatem plusquam sacrarum scripturarum assiduitatem vagabunda mente sequuntur. Proinde coerceantur et exerceantur in scholis pueri ad dilectionem sacrae scientiae, ut per hoc bene eruditi inveniri possint ad omnimodam ecclesiae Dei utilitatem, nec sint rectores terrenae tam avidi operationis, ut domus Dei desolatione spiritalis ornaturae vilescat.

Mansi XII, 397.

## CONCILIUM MAGUNTINUM (813)

### 27

### Non potest quis ad religionem admitti nisi volens et in aetate idoneus

Can. 23. - Nullus tondeatur, nisi in legitima aetate et spontanea voluntate. [a]

Si quis ante annos legitimos tonsuratus est sine consensu parentum suorum, et si parentes ipsius infra annum non se reclamaverint ad principem, aut ad proprium episcopum vel ad missum dominicum: in ipso clericatu permaneat. Si vero post legitimos annos per vim clericus factus est, et nec ipse, nec parentes eius infra annum ad memoratas personas reclamaverint, in clericatu ita permaneat, sicut is, de quo superius dictum est.

C. 1, 2, X, III, 31.

[a] « Nullus tondeatur sine legitima aetate, et spontanea voluntate, vel cum licentia domini sui », Concilium Moguntiacum, anno 813, cap. 23, in Mansi XIV, 72; cetera quae in textu afferuntur, in loco citato non inveniuntur. - Vide etiam c. 6, X, III, 31: « Quia in insulis dura est congregatio monachorum, etiam pueros in eorum monasteriis ante 18 annum suscipi prohibemus ».

http://www.obrascatolicas.com/

## S. LEO III (795-816)

### 28

### De superiorum bono exemplo

(Ex Epist. *Apostolicae Sedis,* diei 24 novembris 815, ad Eustasium Cupersani monasterii Abbatem)

Specula lucidissima Ecclesiae sunt hi, qui in locis regiminis positi apparent primi in subeundis ecclesiasticis muneribus, ut eorum exemplo laetantes subditi subeant ipsorum iniuncta ministeria, et obsequium praestent dilectione iucundum.

BR I, 260.

## BENEDICTUS III (855-858)

### 29

### De Christi pauperibus

(Ex Epist. ap. *Cum romanae,* diei 7 octobris 855, ad universos Galliarum Episcopos)

5. Pauperes enim Christi esse quis nesciat, qui contemnentes substantiam mundi, Salvatoris nostri vestigia sectantes, qui cum esset dives, pro nobis pauper effectus est,[a] sanctae professionis titulum sibi divitias arbitrantur.

BR I, 297.

## SYNODUS AUGUSTANA (952)

### 30

### De clericis monasterium ingredi cupientibus

Cap. VII. - Clericis monachicum habitum sequi cupientibus, et pro remuneratione divina saecularibus spretis arctiorem vitam adire volentibus, nullatenus introeundi aditus ab episcopo denegetur, sed potius eum in tali conversatione perstare exhortari conetur, sicut in concilio Toletano habetur capitulo 50.[b]

MANSI XVIII, 438.

[a] *II Cor.* VIII, 9.
[b] N. 22.



## NICOLAUS II (1059-1061)

### 31

### De vita communi servanda et ambitione vitanda

(Canones Concilii Romani, anno 1059 habiti, a Summo Pontifice promulgati)

IV. Et praecipientes statuimus, ut ii praedictorum ordinum, qui eidem praedecessori nostro obedientes castitatem servaverunt, iuxta Ecclesias, quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent et dormiant: et quidquid eis ab Ecclesiis venit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad apostolicam, communem scilicet vitam summopere pervenire studeant.

VII. Ut nullus habitum monachi suscipiat, spem aut promissionem habens, ut abbas fiat.

BR I, 661.

## CONCILIUM NEMAUSENSE (Nîmes, 1096)

### 32

### De monachis sacerdotio initiatis

Can. II. - Sunt nonnulli stulti dogmatis, magis zelo amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes monachos qui mundo mortui sunt, et Deo vivunt, sacerdotali officio indignos, neque poenitentiam, aut Christianitatem, seu absolutionem largiri posse per sacerdotalis officii iniunctam gratiam: sed omnino falluntur. Nam si ex hac causa veteres aemuli vera praedicarent, apostolicae Sedis compar B. Gregorius monachico habitu pollens, ad summum apicem nullatenus conscenderet, cui ligandi, solvendique potestas concessa est. Augustinus quoque, eiusdem sanctissimi Gregorii discipulus, Anglorum praedicator egregius et Pannoniensis Martinus, aliique quam plurimi viri sanctissimi, pretioso monachorum habitu fulgentes, nequaquam annulo pontificali subarrharentur. Neque enim Benedictus monachorum praeceptor sanctissimus, huius rei aliquomodo interdictor fuit: sed eos saecularium negotiorum dixit expertes esse debere. Quod quidem apostolicis documentis, et sanctorum institutis,

http://www.obrascatolicas.com/

non solum monachis, verum canonicis summopere imperatur, utrisque enim perspicacibus sanctorum patrum exemplis, ut mortui mundo sint, praecipitur. Credimus igitur, a sacerdotibus monachis ligandi solvendique potestatem digne administrari: si tamen digne contigerit eos hoc ministerio sublimari. Quod evidenter affirmat, quisquis statum monachorum et habitum considerat. Angelus enim Graece, Latine nuntius dicitur. Sacerdotes igitur monachi atque canonici, qui Dei praecepta annuntiant, Angeli vocantur. Sed unusquisque angelicus ordo, quanto vicinius Deum contemplatur, tanto sublimius dignitate firmatur. Numquid non ut Cherubim monachi sex alis velantur? Duae in capitio, quo caput tegitur, veris demonstrantur assertionibus. Illud vero quod brachiis extenditur, alas duas esse dicimus: et illud quo corpus tegitur, alas duas. Sic sex alarum numerus certissime conficitur. Decertantes igitur contra monachos in hac re, sacerdotalis potentiae arceri officio praecipimus, ut ab huiusmodi nefandis ausibus in posterum reprimantur: quia quanto quisque excelsior, tanto potentior.

Can. III. - Oportet eos, qui saeculum reliquerunt, maiorem sollicitudinem habere pro peccatis hominum orare, et plus valere eorum peccata solvere, quam presbyteri saeculares. Quia hi secundum regulam apostolicam vivunt, et eorum sequentes vestigia, communem vitam ducunt, iuxta quod in actibus eorum scriptum est: *Erat illis cor unum et anima una, et erant illis omnia communia.* [a] Ideoque videtur nobis, ut his qui sua relinquunt pro Deo, dignius liceat baptizare, communionem dare, poenitentiam imponere, necnon peccata solvere. Unde considerare nos oportet quantae virtutis apud Deum sint, qui saeculum relinquentes, Domini obediunt praecepto dicentis: *Relinque omnia quae habes, et veni, sequere me.* [b] Unde censemus eos qui apostolorum figuram tenent, praedicare, baptizare, communionem dare, suscipere poenitentes, peccata solvere [valere].

MANSI XX, 934-935.

---

[a] *Act.* IV, 32.
[b] *Mt.* VIII, 20.



## CALLISTUS II (1119-1124)

### 33

### De libera novitios recipiendi facultate

(Ex Epist. decret. *Omnipotenti Deo,* diei 16 septembris 1123, ad Girardum Cassinensis monasterii Abbatem)

Liceatque ipsius monasterii et cellarum eius fratribus, clericos cuiuscumque ordinis, seu laicos de quocumque episcopatu ad conversionem venientes in sanitate, vel in aegritudine cum rebus suis, absque episcoporum vel cuiuslibet personae contradictione suscipere, nisi tunc iidem clerici seu laici a dioecesanis episcopis pro certis fuerint excommunicati criminibus. [a]

BR II, 343.

## HONORIUS II (1124-1130)

### 34

### De loci stabilitate

(Ex Epist. decret. *Religiosis desideriis,* diei 23 martii 1127, ad Bernhelmum S. Martini monasterii Abbatem)

Nulli etiam facultas sit, post factam apud vos professionem, sine abbatis licentia, maioris vel minoris religionis obtentu, ad alium locum transmeare: quod si quis contra hanc prohibitionem nostram quocumque tempore in futurum discesserit, nullus abbas, aut quilibet audeat eum retinere. [b]

BR II, 361.

## INNOCENTIUS II (1130-1143)

### 35

### De discedendi sine licentia prohibitione

(Ex Epist. decret. *Piae postulatio,* diei 8 ianuarii 1142, ad Gerhohum Richerspergensis Ecclesiae Praepositum)

Addentes etiam interdicimus, ut nemini professionis vestrae facultas sit alicuius levitatis instinctu, vel arctioris religionis obtentu, sine praepositi vel congregationis licentia de claustro discedere; quod

---

[a] Decretum huiusmodi saepissime in actibus Summorum Pontificum hoc tempore recurrit.
[b] Huius tenoris norma saepe eo tempore in documentis pontificiis occurrit.



http://www.obrascatolicas.com/

si discesserit, nullus episcoporum, nullus abbatum, nullus monachorum sine communium litterarum cautione eum suscipiat, quandiu videlicet in Ecclesia vestra canonici ordinis tenor, Domino praestante, viguerit. Si vero, secundo vel tertio vocatus, redire contempserit, liceat eiusdem loci praeposito canonicam in eo proferre sententiam. [a]

BR II, 458.

## ANASTASIUS IV (1153-1154)

### 36

### Fratribus ad saeculum revertendi facultas interdicitur

(Ex Epist. decret. *Christianae fidei*, diei 21 octobris 1154, ad Raymundum Magistrum civitatis Hierosolymitanae)

Fratribus vero vestris semel in... atque in sacro vestro receptis, post factam professionem, et habitum religionis assumptum, revertendi ad saeculum interdicimus facultatem. Nec alicui eorum fas sit, post factam professionem, semel assumptam crucem dominicam, et habitum vestrae professionis, abiicere; vel alium locum, seu etiam monasterium maioris seu minoris religionis, obtenta, invitis sive inconsultis fratribus, aut eo, qui magister extiterit, licentia, transmigrare; nullique ecclesiasticae saecularique personae ipsos suscipiendi aut retinendi licentia pateat. [b]

BR II, 620.

## ALEXANDER III (1159-1181)

### 37

### Adhortatio ad monachos ut dignis operibus respondeant beneficiis a Sede Apostolica collatis

(Ex Epist. decret. *Vox clamantis*, diei 16 iunii 1176, ad Oderisium monasterii S. Ioannis Abbatem)

Vos vero, filii in Christo legitimi, oportet, collatam vobis gratiam in omnibus constitutionibus, et tantis Sedis Apostolicae beneficiis dignis operibus respondere; nec libertate hac in occasionem carnis,

[a] Concilium Agathense (506), can. XXXVIII, in MANSI VIII, 331: « Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentia non pateat evagandi. In monachis quoque par sententiae forma servetur, quos si verbum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri ».

[b] Nn. 22, 34, 35.



et velamine malitiae abutamini: et quanto a saecularibus tumultibus liberiores estis, tanto amplius placere Domino totis mentis et animae viribus procuretis.

BR II, 793.

### 38

### De supereminentia voti religionis

(Ex Epist. decret., a. s., ad universos Abbates Cistercienses per Angliam constitutos)

Scripturae sacrae testimonio declaratur, quod spiritualis homo propositum non mutat, quum pro salute animae suae utilius aliquid meditatur. Inde est, quod, vestris iustis postulationibus inclinati, vobis indulsimus, quatenus, si quis sepulcrum dominicum vel alia sanctorum limina proposuerit visitare, et infirmitate vel alia rationabili causa occurrente apud vos habitum religionis assumere atque Deo servire voluerit, libere eos recipere valeatis. Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare. [a]

C. 4, X, III, 34.

## CONCILIUM OECUMENICUM LATERANENSE III (1179)

### 39

### De studiis saecularibus vitandis

(Decreta, pars XXVII)

Cap. II. - Non magnopere antiqui hostis invidia infirma membra ecclesiae praecipitare laborat. Hic manum mittit ad desiderabilia eius, electos quoque nititur supplantare, dicente scriptura: *Esca eius electi*. [1] Multorum siquidem casum se operari reputat, ubi aliquod membrum ecclesiae sua fuerit calliditate subtractum. Et inde nimirum est, quod in angelum lucis more solito se transfigurans, [2] sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus, et ecclesiastica negotia fidelius pertractandi, regulares quosdam ad legendas leges, et con-

[1] *Iob* XXXIX, 29: « Inde [aquila] contemplatur escam, et de longe oculi eius prospiciunt ».

[2] *II Cor.* XI, 14.

[a] Cfr. c. 10, X, III, 34: « Si tuam omnino sanare desideras conscientiam, regimen resignes ecclesiae memoratae, ac reddas Altissimo vota tua »; et c. 14, X, III, 32 (Epist. decret. *Ex parte tua*, diei 12 ianuarii 1206, ad Andream Archiep. Lugdunensem), ubi Innocentius III edicit matrimonium ratum non consummatum dissolvi per professionem religiosam.

http://www.obrascatolicas.com/

fectiones physicas ponderandas, de suis claustris educit. Unde ne sub occasione scientiae spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur, et in interioribus ex eo ipso deficiant, ex quo se aliis putant in exterioribus providere: de praesentis concilii consensu statuimus, ut nullus omnino post votum religionis, post factam in loco aliquo religioso professionem, ad physicam legesve mundanas legendas permittatur exire: si vero exierit, et ad claustrum suum infra spatium duorum mensium non redierit, sicut excommunicatus ab omnibus evitetur, et in nulla causa, si patrocinium praestare voluerit, audiatur. Reversus autem, in choro, capitulo, mensa et ceteris, ultimus fratrum existat: et, nisi forte ex misericordia apostolicae sedis, totius promotionis spem amittat. Episcopi vero, abbates, priores, tantae enormitati consentientes, et non corrigentes, spolientur propriis honoribus, et ab ecclesiae liminibus arceantur. [a]

Mansi XXII, 373.

## INNOCENTIUS III (1198-1216)

### 40
### De novitiorum loco in choro

(Ex Epist. decret. *Ad tollendas,* diei 7 martii 1198, ad Canonicos Perusinos)

Caeterum novitii claustrum ingressi, in ultimo chori debent per manum archipresbyteri institui, ibique debent per octo dierum numerum residere. Postmodum si sacerdos fuerit, in ultimo sacerdotum stallo: si vero diaconus, in ultimo sui ordinis ponendus erit: et ita de caeteris statuetur.

BR III, 116.

### 41
### De novitiis recipiendis

(Ex Epist. decret. *Operante divinae,* diei 17 decembris 1198, ad Ioannem Fratrum S. Trinitatis Ministrum)

§ 7. Si quis huius ordinis frater esse voluerit, primo per annum cum expensis suis, praeter victum, habitu suo, et omnibus suis retentis, in ordine pro Deo serviat, et post annum, si bonum et conveniens videatur ministro domus et fratribus et illi, et locus vacaverit,

[a] Idem in Concilio Turonensi, anno 1163, Statuta, cap. VIII, in Mansi XXI, 1179.



recipiatur. Nihil tamen pro receptione sua exigatur. Si quid tamen gratis dederit, recipiatur; dum tamen tale sit de quo non videatur Ecclesiae litigium imminere. Si vero de cuiusquam moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo probatio habeatur. Si ante receptionem aliquis se intemperanter habuerit, et impatiens disciplinae, et ad arbitrium ministri non emendaverit mores suos, tribuatur ei modeste licentia cum omnibus quae attulit, recedendi. In ordine vero aliquis non recipiatur antequam annum videatur vigesimum complevisse. Professio vero in arbitrio ministri relinquatur.

BR III, 137.

### 42
### Valet professio facta sine susceptione habitus religionis

(Ex Epist. decret., diei 11 ianuarii 1199, ad Abbatem de Flore)

Cum monachum non faciat habitus, sed professio regularis, ex quo a convertendo votum emittitur, et recipitur ab abbate, talis, ut fiat monachus, et reddat Domino quae promisit, erit utique non immerito compellendus. [a]

C. 13, X, III, 31.

### 43
### De novitiorum libero egressu

(Ex Epist. decret., diei 15 maii 1204, ad Abbatem de Affligen. et alios)

Consulti sumus frequenter a multis, utrum is, qui monasterium ingressus est habitum sumendo novitii, si ante professionem emissam infra tempus probationis exire voluerit, licite possit absque apostasiae nota vel noxa, praesertim cum debita morum correctione ad saeculum remeare. Licet autem super hoc senserint diversi diversa, nos tamen credimus distinguendum, utrum is, qui convertitur, proposuerit absolute vitam mutare, ut sub habitu regulari omnipotenti Deo de cetero famuletur, an conditionaliter experiri observantiam regularem, ut ita demum, si infra annum sibi placuerit, moribus emendatus ad statum revertatur pristinum. In primo casu debet, ut regulariter vivat, ad laxiorem saltem regulam pertransire. In secundo potest ad saeculum, non tamen, ut vivat saeculariter, remeare. Ut ergo quae sit eius intentio plenius agnoscatur, propositum suum in principio protestetur.

C. 20, X, III, 31.

[a] Similiter c. 17, X, III, 31.

http://www.obrascatolicas.com/

## 44

### De fratribus turbatoribus amovendis

(Ex Epist. decret. *Inter opera,* diei 19 iunii 1204, ad Guidonem Fratrum Ordinis S. Spiritus Magistrum)

§ 18. Si quis vero fratrum, post factam professionem turbatores religionis vestrae, vel inutiles fuerint fortassis inventi, liceat tibi, fili magister, et successoribus tuis, eos cum assensu et consilio sanioris partis capituli amovere, ipsisque dare licentiam ad alium Ordinem, ubi secundum Deum vivere valeant transeundi, et loco eorum alios subrogandi, qui unius anni spatio, in vestra societate probentur. Quo peracto, si mores eorum exegerint, et ipsi utiles fuerint ad servitium hospitalis inventi, professionem faciant regularem.

BR III, 192.

## 45

### De transitu ad aliam religionem

(Ex Epist. decret., diei 29 aprilis 1206, ad Priorem et Conventum Dimoliensem)

Licet quibusdam monachis et canonicis, nec non hospitalariis et templariis a sede apostolica sit indultum, ne, postquam aliquis professus fuerit apud eos, ad alium locum possit ipsis invitis arctioris etiam religionis obtentu transire,[a] ut unusquisque secundum Apostolum in ea vocatione permaneat, in qua dignoscitur esse vocatus;[b] quia tamen, ubi spiritus Dei est, ibi libertas,[1] et qui Dei spiritu aguntur non sunt sub lege, quia lex non est posita iusto:[c] ea ratione videtur hoc illis fuisse concessum, ne quis ex temeritate vel levitate in iacturam vel iniuriam sui ordinis sub praetextu maioris religionis ad alium ordinem transvolaret, sicut frequenter a multis constat esse praesumptum, non quidem ut ei transeundi licentia denegetur, qui eam cum humilitate ac puritate duxerit postulandam, ut non ficte, sed vere ad frugem melioris vitae valeat transmigrare. Talis ergo, postquam a praelato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata, quae publicae legi praeiudicat, absolutus, libere potest sanctioris vitae

[1] *II Cor.* III, 17.

[a] Nn. 34-36.
[b] *I Cor.* VII, 20.
[c] *I Tim.* I, 9.



propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione praelati, quia privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate;[a] quum etiam Romanus Pontifex, qui supremam in ecclesia obtinet potestatem, archiepiscopis et episcopis cedendi licentiam ex iusta causa petentibus sine difficultate concedat. Quocirca noverint universi, quibus huiusmodi privilegium est concessum, se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de iure teneri, quia, sicut subditus a praelato cum humilitate et puritate debet transeundi licentiam postulare, ne bonum obedientiae contemnere videatur, sic profecto praelatus subdito sine difficultate et pravitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum. Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad ordinem arctiorem aut laxiorem ex caritate, an ex temeritate transire: superioris est iudicium requirendum, ne forte angelus satanae in lucis angelum se transformet:[b] illa semper regula inviolabiliter observata, ut nullus [episcopus] absque licentia Romani Pontificis praesumat occasione quacumque deserere praesulatum, quoniam, sicut maius bonum minori bono praeponitur, ita communis utilitas speciali utilitati praefertur. Et in hoc casu recte praeponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, et labor quieti. Ad quod utique designandum unigenitus Dei filius Iesus Christus non de Rachele secundum carnem natus est, sed de Lia,[c] nec legitur eum in domum suam Maria recepisse, sed Martha.[d] Unde, quando potest episcopus praeesse pariter et prodesse, non debet cedendi licentiam postulare, aut etiam obtinere.

C. 28, X, III, 31.

## 46

### De condonatis et pueris

(Ex Epist. decret. *Ad evellendum,* diei 9 martii 1207, ad Lucam Burguliensis conventus Abbatem)

Omnes condonati in habitu et in tonsura a saecularibus discernantur. Pueri non recipiantur infra quindecim annos. Post quintum decimum annum per triennium in custodia teneantur.

BR III, 200.

[a] C. 23, C. XXV, q. 2.
[b] *II Cor.* XI, 14.
[c] *Gen.* XXIX, 35; *Mt.* I, 2.
[d] *Lc.* X, 38.

http://www.obrascatolicas.com/

## 47

### De simonia in receptione monachorum vitanda

(Epist. decret. *Multotiens audivimus,* diei 17 aprilis 1210, ad Episcopos Galiae)

Multotiens audivimus, et a multis, quod in quibusdam monachorum, monialium, et aliorum religiosorum monasteriis per vestras dioeceses constitutis consuetudo damnabilis, immo damnatus, et damnandus abusus usque adeo inolevit, ut pene penitus nulla persona recipiatur in ipsis absque labe simoniacae pravitatis. Ne igitur clamorem totiens iteratum videamur, quod absit, simulando fovere, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus semel in anno huiusmodi monasteria per vestras dioeceses visitantes sub anathematis interminatione vetetis, ne qua persona de caetero recipiatur in eis per huiusmodi pravitatem, semper in vestris synodis denunciantes hoc ipsum, et circa eas, quas sic receptas invenietis, auctoritate apostolica, sublato appellationis obstaculo, statuatis, quod saluti et honestati videritis expedire. [a]

BR III, 246.

## CONCILIUM PARISIENSE (1212)

## 48

### De ingressu simoniaco et de aetate recipiendorum

(Statuta, pars II)

Cap. I. - De ingressu itaque monachorum simoniaco licet habeamus speciale mandatum domini papae [b] ad archiepiscopos et episcopos per totum regnum Franciae, quod in hoc articulo bene sufficere potest: tamen cum monachi et viri religiosi non tantum rebus mundanis, sed propriis voluntatibus renunciaverint, id praecipue cupimus statuendum, quod in regula B. Augustini et B. Benedicti constat esse statutum: quod nullus omnino regularis proprium habere praesumat...

Cap. II. - Iuxta aetatem recipiendorum ad religionem, cuiuscumque fuerint ordinis, districte prohibemus, ne aliquis recipiatur infra octavum decimum annum. [c]

Mansi XXII, 826.

---

[a] Idem omnino die 17 aprilis 1215, in BR III, 298.

[b] N. 47.

[c] Similiter in Concilio Rotomagensi, anno 1214, Statuta, pars II, cap. I et II, in Mansi XXII, 906.



## INNOCENTIUS III

## 49

### De monasteriis reformandis

(Epist. decret. *Si diligenti,* diei 15 martii 1214, ad universos Ordinis Cluniacensis Abbates et Priores)

Si diligenti meditatione pensabitis, qualiter vita monastica sub primis ordinis patribus pullulavit, et palmites longe lateque producens ad mortifera circumquaque venena pellenda flores bonorum operum protulit, et boni nominis effudit odores; pervigili cura studebitis eorum inhaerere vestigiis, per quos in deserto mundi huius plantata est, et fructificavit in pluribus vitis monasticae honestatis. Hi nimirum monastica frugalitate contenti, et optimum ponentes in paupertate principium, assequuti sunt in Domino totius sufficientiae complementum, Ecclesiarum praelatis accepti, ante reges et praesides vita ac merito gloriosi. Nunc autem quod moerentes dicimus, etsi non a cunctis in omnibus, a plerisque tamen ex vobis in pluribus dicitur declinatum in tantum, quod vestri Ordinis regulam manu nimis avida colligentes ubi forsitan non sparsistis, dum loculos proprios replere nitimini, bona Ecclesiarum, quae vestro committuntur regimini vacuatis sic ambitioni vacantes, quod in locis quibus praeestis terrenae paupertatis opes quaeritis, non opem impenditis consilii salutaris. Ecce inter alia loca vestra praesidentium culpa depressa prioratus de Charitate, qui olim in spiritualibus florens, in temporalibus abundat tanta corruptela, marcescit, et tam avida deprimitur paupertate, quod nisi aliorum elevetur auxilio, vix adiicere poterit ut resurgat. Alias etiam, sicut accepimus, tam in vobis quam aliis curae vestrae commissis, adeo perniciosi facti estis exemplo, quod antiquis patribus, loco tantum et habitu, non praerogativa virtutum videmini successisse, sed eo plures contagio corruptionis inficitis, quo pluribus illi, quorum loca tenetis, correctionis exempla vitae magisterio exhibebant. Ne vero indigne illorum privilegiis gaudeatis, quorum non servatis in moribus disciplinam, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus incipientes facere quod possitis liberius edocere in vobis et subditis, haec et his similia corrigatis, tantoque plus luceant opera vestra bona coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum, qui est in Coelis, [a] quanto

---

[a] *Mt.* V, 16.

http://www.obrascatolicas.com/

magis mala praeterita facti evidentia publicavit, et ubi maior ruina praecessit, ibi maioris reparationis sollicitudo sequatur, et damnum quod divulgata malitia intulit manifestae bonitatis suffragio restauretur. Quia vero integrum consuevit esse iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur et quae profectum communem respiciunt, tractari solent melius in communi; annuatim interesse capitulo generali omni occasione postposita studeatis, quae ibidem secundum Deum, et beati Benedicti regulam fuerint instituta firmiter servaturi, et tam in his, quam in aliis dilecto filio abbati Cluniacen. tamquam devoti filii Patri, et membra convenientia capiti obedientiam et reverentiam debitam impendentes, circa reformationem prioratus de Charitate manum auxilii et consilii apponatis, tantaque in praemissis diligentia vigiletis, quod nec in vobis per culpam, nec in subiectis per negligentiam offendentes corrigatis imposterum, quod in praeterito commisistis. Vos denique, filii abbates, super vobis ipsis, in credito vobis grege taliter vigilare procuretis extirpando vitia et plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo Iudice qui reddet unicuique secundum opera sua, [a] dignam possitis reddere rationem.

BR III, 273-274.

## HONORIUS III (1216-1227)

### 50

### De professione ante annum probationis non emittenda

(Epist. decret. *Cum secundum*, diei 22 septembris 1220, ad Ordinem Fratrum Minorum)

Cum secundum consilium Sapientis nihil sit sine consilio faciendum, [b] ne post factum poenitudo sequatur; expedit cuilibet excelsioris viae propositum aggressuro, ut praecedant palpebrae gressus suos, vires videlicet proprias discretionis moderamine metiendo; ne si, quod absit, altiora se quaerens in commotionem dederit pedem suum; retro respiciat in salis infatuati statuam convertendus, [c] pro eo quod sui Sacrificium, quod Domino fuerat oblaturus, sale Sapientiae non

[a] *Mt.* XVI, 27.
[b] *Gen.* XIX, 26.
[c] *Eccli* XXXII, 24.



condivit; sicut enim sapiens desipit, si non servet; sic servens confunditur, si non sapit. Quare pene in omni Religionis est ordine provide institutum, ut Regulares observantias suscepturi certo tempore ipsas probent; et probentur in eis; ne sit locus de cetero poenitudini, quam non potest levitatis occasio excusare. Auctoritate itaque vobis praesentium inhibemus, ne aliquem ad professionem vestri Ordinis; nisi per annum in probatione fuerit, admittatis. Post factam vero Professionem nullus Fratrum Ordinem vestrum relinquere audeat, nec relinquentem alicui sit licitum retinere. Inhibemus etiam, ne sub habitu vitae vestrae liceat alicui extra obedientiam evagari, et paupertatis vestrae corrumpere puritatem; quod si qui forte praesumpserint, liceat vobis in Fratres ipsos, donec resipuerint, censuram Ecclesiasticam exercere. [a]

*Bull. Franc.* I, 6.

### 51

### De professione praesumpta

(Ex Epist. decret., a. s., ad Episcopum Venetensem)

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod nonnulli sunt in dioecesi Venetensi, qui, licet pluribus annis gestaverint habitum monachalem, professionem tamen monasticam non fecerunt. Unde, quum super eo, quod habent proprium et alias irregulariter vivunt, a te vel ab aliis arguuntur, non erubescunt dicere, se ad carentiam proprii, et ad continentiam, ac alias regulares observantias non teneri, quum habitus non faciat monachum, sed professio potius regularis. Quare super his apostolicum postulasti remedium exhiberi, quum inordinata vita praevaricatorum huiusmodi non solum eis periculum, sed etiam scandalum inferat mentibus aliorum. Ideoque fraternitati tuae mandamus, quatenus quoslibet tibi lege dioecesana subiectos, qui praedicto modo terram duabus viis ingredi non verentur, ut, postquam per annum gestaverint habitum monachalem, regulam quoque secundum formam ordinis profiteantur et servent, monitione praemissa, ecclesiastica censura appellatione remota compellas.

C. 22, X, III, 31.

[a] Eadem Epistola renovata est a Gregorio IX die 13 maii 1227, ibidem, 27, et die 16 ianuarii 1238, ibidem, 231; item ab Innocentio IV die 22 aprilis 1246, ibidem, 411.

http://www.obrascatolicas.com/

## CONCILIUM OXONIENSE (1222)

### 52
### De ingressu simoniaco et aetate recipiendorum

Cap. 39. - Praeterea statuimus, praesenti concilio approbante, ut de cetero pro receptione alicuius in domum religionis, pecuniam aut quidquam aliud extorquere non praesumant: adeo ut si prae paupertate domus, ingrediens debeat vestire seipsum, praetextu vestium, ultra iustum pretium earum, ab eo nihil penitus recipiatur.

Cap. 43. - Monachus non recipiatur minor octodecim annis, nisi evidens utilitas seu necessitas aliud inducat.

Mansi XXII, 1163-1164.

## GREGORIUS IX (1227-1241)

### 53
### De libero novitiorum e religione egressu deque habitu eorum

(Ex Const. ap. *Quia nonnullos,* diei 18 martii 1231)

Nos autem animarum saluti providere volentes, et amovere materiam scandalorum, de consilio fratrum nostrorum praesenti decreto statuimus, novitios in probatione positos ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, vel ante professionem emissam, ad priorem statum redire posse libere infra annum, nisi evidenter appareat quod tales absolute voluerint vitam mutare, et in religione perpetuo Domino deservire, cum quilibet renuntiare valeat ei, quod pro se noscitur introductum. Ad ambiguitatem omnem penitus amputandam, nihilominus statuentes, ut cum in quibusdam locis religiosis novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quae profitentibus conceduntur, ut novitiorum a professorum habitu discernatur.

BR III, 453; Mansi XXIII, 147; c. 23, X, III, 31.



### 54
### De receptione in ordinem

(Ex Epist. decret. *Audivimus,* diei 23 iunii 1232, ad Abbates Praemonstratenses)

Prohibemus praeterea, ne quis abbatum recipiat de caetero aliquem in canonicum vel conversum, qui vigesimum aetatis annum non egerit, cum ex eo quod pueri et alii non plenae aetatis homines in canonicos consueverunt admitti, grave scandalum, et infamia ordinis sint sequuta, transgressoribus, si qui fuerint, a suis administrationibus in generali capitulo removendis: sed nec abbates aliquos recipiant in canonicos et in fratres, prioris et subprioris, et aliquorum maiorum de domo irrequisito consilio et assensu. Illi vero receptionem bonorum nullatenus impedire praesumant.

BR III, 468.

### 55
### De aetate recipiendorum

(Ex Epist. decret. *Behemoth,* diei 13 ianuarii 1233, ad Abbatem Cluniacensem)

§ 23. Caeterum quia non est in primogenito bovis arandum, [a] districtius inhibemus, ne pueri ante quintumdecimum annum completum in monachos admittantur, illis dumtaxat exceptis, quibus in Cluniacensi monasterio ex antiqua consuetudine certum est officium deputatum. [b]

BR III, 478; BM I, 102.

## CONCILIUM BITERRENSE (1233)

### 56
### De magistris grammatices

Cap. 21. - Quia vero caecitas ignorantiae in istis partibus nimium praevaluit, statuimus ut singulis monasteriis conventualibus abbates, priores, et praepositi conventuales, infra septa monasterii teneant magistrum ex suis, vel alium clericum saecularem, qui minores, et alios indoctos in grammatica valeat edocere.

Mansi XXIII, 276.

---

[a] *Deut.* XV, 19.
[b] Similiter Nicolaus IV (1288-1292), Epist. decret. *Regis pacifici,* ad Ordinem Cluniacensem, die 12 septembris 1289, § 30, in BR IV, 102; vel BM I, 190.

http://www.obrascatolicas.com/

## GREGORIUS IX

### 57

### De professione ante annum probationis non emittenda

(Epist. decret. *Non solum,* diei 13 iulii 1236, ad Ordinem Fratrum Minorum)

Non solum in favorem Conversi, sed etiam Monasterii probationis tempus a Sanctis Patribus est institutum, ut ille asperitates istius, et istud mores illius valeat experiri: in Regula quoque Beati Benedicti praecipitur, ut ad conversionem noviter venienti non facilis tribuatur ingressus, sed, sicut docet Apostolus, an sit ex Deo Spiritus, comprobetur, et dura, et aspera, per quae itur ad Dominum, exponantur. Praeterea in eadem Regula subiungitur, ut dicatur: *Ecce lex, sub qua militare desideras; si eam observare potes, ingredere; alioquin liber venisti, liber discede.* Insuper Nos ipsi statuimus, ut positi in probatione Novitii ante susceptum Religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, seu ante professionem emissam, ad statum pristinum redire possint libere infra annum; et ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibusdam locis Religiosis Novitiorum habitus non distinguatur ab habitu Professorum; professionis tempore benedicantur vestes, quae profitentibus conceduntur, ut Novitiorum, ac Professorum habitus discernatur. [a] Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino sollicite cupiatis; quia tamen decet, et expedit, ut conscientiae puritati non desit iudicium rationis, ne unde spiritalis profectus quaeritur, inde salutis dispendium subsequatur; praesentium vobis auctoritate districtius inhibemus, ne ad susceptionem vestri Ordinis ante professionem aliquem obligare, vel infra probationis spatium (quod est maxime in subsidium fragilitatis humanae regulariter institutum) quemquam facto, vel verbo ad profitendum, seu ad renunciandum de necessitate saeculo, inducere praesumatis; [b] nec constitutum in probatione Novitium aliquatenus impedire, quominus infra tempus probationis ad aliam Religionem, quam maluerit, transeat; sicut de sua processerit libera voluntate; non obstantibus Statuto contrario, si quod a vobis est editum; quod tamquam in elusionem Constitutionis Nostrae praesumptum, irritum decernimus, et inane; vel aliquibus litteris a Sede Apostolica impetratis. [c]

*Bull. Franc.* I, 198; *Bull. Praed.* I, 90.

[a] N. 53.
[b] N. 50.
[c] Eiusdem tenoris est Innocentii IV Epist. decret. *Non solum,* diei 17 iunii 1244, ad Ord. FF. Praed., in *Bull. Praed.* I, 144.



## INNOCENTIUS IV (1243-1254)

### 58

### E religione egressis quaedam munia interdicta

(Epist. decret. *Iustis petentium,* diei 9 septembris 1246, ad Ordinem Fratrum Minorum)

Iustis petentium desideriis dignum est Nos facilem praebere assensum; et vota, quae a rationis tramite non discordant, affectu prosequente complere. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram Nobis, aliqui a sacris vestris Collegiis ipsorum culpis exigentibus repellantur; quidam onus obedientiae temeritate propria deponentes quasi pulli onagri vitam velint ducere absque iugo; ac iidem extra claustra vestri Ordinis pervagantes, praedicationum, confessionum, et docendi officia exercere praesumant in suarum animarum dispendium, et scandalum plurimorum: Nos vestris precibus inclinati, ne praedicti, quos ab Ordine pro suis culpis per vos expelli contigerit, vel egressi fuerint, proprio suo motu praedicare, confessiones audire, seu docere praesumant; nisi de Nostra, vel vestra licentia speciali ad alium transierint Ordinem, districtius inhibemus. Quod si forte contra Nostram inhibitionem aliquid temere fuerit attentatum, liceat vobis in ipsos Fratres excommunicationis sententiam promulgare. [a]

*Bull. Franc.* I, 423-424.

## ALEXANDER IV (1254-1261)

### 59

### De sacris ordinibus a quocumque sacrorum Antistite fratribus conferendis

(Epist. decret. *Convenit,* diei 16 octobris 1255, ad Ordinem Fratrum Minorum)

Convenit, ut sacer et lucidus vester Ordo, sicut Religionis altitudine pollet, sic per Sedis Apostolicae gratiam privilegio fulgeat speciali. Attentendes igitur, quod eiusdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipsius Ordinis saepius transmittuntur; propter quod stabilem, et perpetuam in certis, et determinatis eiusdem Ordinis domibus non faciant mansionem; considerantes etiam, quod bonos, et idoneos, ac approbatos a vobis Fratres facitis ad Ordines promoveri, vestris supplicationibus inclinati, ut liceat vobis ordinandos Fratres

[a] Epistola haec innovata est ab Alexandro IV die 12 octobris 1255 (*Bull. Franc.* II, 78).

http://www.obrascatolicas.com/

eiusdem Ordinis quibuscumque malueritis Catholicis Pontificibus communionem, et gratiam praedictae Sedis habentibus praesentare, ipsisque Pontificibus praesentatos a vobis Fratres sine qualibet examinatione[1] per eosdem Pontifices facienda, et absque omni promissione, vel obligatione ipsorum ordinandorum Fratrum ad Ordines promovere; vobis, et Ordini vestro auctoritate praesentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.[a]

*Bull. Franc.* II, 79.

## 60

### De libertate Universitatem Parisiensem celebrandi

(Ex Epist. decret. *Licet olim*, diei 27 iunii 1256, ad Reginaldum Episcopum Parisiensem)

Licet olim pro Studii Parisiensis conservatione quaedam circa Studium ipsum de Fratrum nostrorum consilio provide duxerimus ordinanda; prout in litteris nostris exinde confectis, quae, *Quasi lignum vitae*,[2] incipiunt, plenius continentur; nonnulli tamen Magistri, et Scholares Parisien. quasdam colligationes, et obligationes nefarias ad invicem, ut audivimus, inierunt; per quas Scholares Religiosi, et alii non possunt libere, sicut volunt, Scholas maxime sacrae

[1] Hoc privilegium iampridem abolitum fuit (ib., nota *b*).

[2] Const. ap. *Quasi lignum vitae*, diei 14 aprilis 1255, ad Magistros et Scholares Parisienses, ibidem, 32-36. Vide quoque eiusdem Epist. *Verae fidei*, diei 27 iunii 1256, ad S. Ludovicum IX Regem Galliae, ibidem, 140-141; Const. ap. *Circa frequens*, diei 12 maii 1257, ibidem, 217-219; Epist. decret. *Cum adversus*, diei 14 iulii 1257, ad Episcopum Parisiensem, ibidem, 227-228.

[a] Idem privilegium die 5 februarii 1256 renovavit (ib., p. 114) illudque Ordini quoque Praedicatorum concessit idem Summus Pontifex die 20 septembris 1257. De caetero, privilegium huiusmodi eo tempore omnibus fere Ordinibus Regularium concessum erat. Vide: Clemens IV, Const. ap. *Virtute conspicuos*, diei 21 iulii 1265, ad O. F. Minorum, § 7, in BR III, 737; BM I, 163; Gregorius XI, Const. ap. *Virtute conspicuos*, diei 6 martii 1374, ad Ordinem Praedicatorum, § 8 (vide infra n. 73); Sixtus IV, Const. ap. *Dum ad universos*, diei 23 augusti 1476, ad Congr. Can. Reg. Lat., § 13, in BM I, 416; BR V, 237; Iulius II, Epist. decret. *Dudum ad sacros*, diei 28 iulii 1506, ad O. F. M. S. Francisci de Paula, § 5, in BR V, 436; Paulus III, Const. ap. *Licet debitum*, diei 18 octobris 1549, ad Relig. Cler. Reg. Soc. Iesu, § 19, in BM I, 775; BR VI, 396; Gregorius XIII, Const. ap. *Pium et utile*, diei 22 septembris 1582, ad Soc. Iesu, § 3, in BR VIII, 398. Conc. Trid. (n. 93) hocce privilegium, iuxta declarationem S. Pauli V (n. 102), pro Regularibus minime sustulit. Vide tamen n. 127 et 223 cap. IV.



legis pro lectionibus, et disputationibus audiendis intrare; alias etiam, non sine Apostolicae Sedis iniuria, et impedimento dicti Studii, ac salutis animarum dispendio, intentionem nostram circa effectum ordinationis ipsius evacuare multipliciter moliuntur. Volentes igitur, et auctoritate praesentium statuentes, quod Scholares omnes tam Religiosi, qui de Praelatorum suorum licentia morantur in studio, quam etiam Saeculares libere valeant, ubi voluerint, lectiones, et disputationes, ac praedicationes audire; quodque praefata nostra ordinatio ab omnibus Magistris, et Scholaribus Parisius existentibus reverenter, et humiliter observetur; necnon quod dilecti filii Praedicatorum, et Minorum Ordinum Fratres, ac alii Religiosi, qui Parisius fuerint pro tempore Doctores Theologicae facultatis, seu Scholares ipsorum, in consortium, et Collegium, seu societatem aliorum Magistrorum, et Scholarium Parisiensium recipiantur, simpliciter, et efficaciter habeantur.

*Bull. Franc.* II, 139.

## 61

### De sacrae theologiae libero in scholis Ordinis magisterio

(Epist. decret. *Exultante spiritu*, diei 28 martii 1257, ad Ord. F. Minorum)

Exultante spiritu frequenter advertimus, quod status Ecclesiae generalis per vestrae praedicationis, ac doctrinae salutaris instantiam, Divina gratia sufficiente, multipliciter illustratur. Ex hac siquidem procedit, quod nos ad illa omnia esse prompti delectamur, et faciles, per quae vos praecones Divini Nominis in declaranda Fidei scientia, et roboranda operum disciplina vestri desiderii sanctitate perficere valeatis. Hinc est, quod Nos devotioni vestrae praesentium auctoritate concedimus; ut singuli Fratres de Ordine vestro, quos secundum Constitutiones ipsius Ordinis Conventibus vestris deputandos duxeritis in Lectores,[1] sine cuiusquam alterius licentia libere in Domibus praedicti Ordinis legere, ac docere valeant in Theologica facultate;[2] illis locis exceptis, in quibus viget studium generale;[3] ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus solemniter incipere consuevit.[4]

*Bull. Franc.* II, 208.

[1] Postea Regentes appellati.

[2] In phil. fac. et in disciplinis liberalibus cuique liberum erat.

[3] Nempe Gymnasium seu Academia, uti Parisiis, Oxonii, Bononiae, Patavii etc.

[4] Idem privilegium die 25 martii 1257 concessum fuit Ordini Praedicatorum.



http://www.obrascatolicas.com/

## CLEMENS IV (1265-1268)

62

### Ne impuberes ad habitum admittantur sine parentum voluntate

(Epist. decret. *In superni,* diei 27 aprilis 1267, ad omnes Magalonensis dioecesis Religiosos)

In superni Patris obsequio constituti devotam habere tenemini considerationem ad ipsum, ut animarum salutem potius quam temporalia commoda quaerere vestra devotio dignoscatur. Sane miramur et merito, quod sicut ad Nostrum pervenit auditum, nonnumquam Pueros, et Puellas impuberes consideratione bonorum, quae habiturae essent, si in saeculo remanerent, trahitis ad suscipiendum habitum regularem, quod non omnino censetur honestum; sed videtur potius quaedam simulata species honestatis. Ne igitur in his Deum contingat offendi, aut famae vestrae Religionis in aliquo derogari, nolumus, et auctoritate vobis praesentium inhibemus, ne aliquorum filios familias, vel alios impuberes tutores habentes absque voluntate parentum, et tutorum suorum ad suscipiendum praedictum habitum in Monasteriis vestris admittatis; ita quod exinde nequeatis rationabiliter ulterius reprehendi.

*Bull. Franc.* III, 119-120.

## CONCILIUM LONDINENSE (1268)

63

### De ministeriis novitiis non committendis

Cap. 39. - Nulli quoque novitio, antequam professionem fecerit, aliquod officium seu ministerium committatur; cum eo tempore ita regulari disciplinae deditus esse debeat et intentus, ut ad alia divertere, sibi valde nocivum, apertissime dignoscatur.

Mansi XXIII, 1251.

## CONCILIUM PROVINCIALE LANGESIENSE (1278)

64

### De iuvenibus domi retinendis

Cap. 11. - Prohibemus ne pueri monachi antequam ad decimum octavum annum pervenerint, ad prioratus causa morandi transmit-



tantur: sed in claustro commorentur, ibidem de bonis senioribus instruendi in regularibus disciplinis: nisi ordinarius ex causa aliquibus duxerit concedendum.

Mansi XXIV, 215.

## CONCILIUM PROVINCIALE BITURICENSE (1286)

65

### De iunioribus fratribus domi retinendis

Cap. 23. - Inhibemus, ne monachi, minores viginti annis, ad prioratus, foraneos non conventuales mittantur, moraturi ibidem. Hoc autem ab abbatibus sic praecipimus observari, quod in futuro concilio contra constitutionem huiusmodi transgressores intendimus durius procedere per suspensiones et excommunicationes, et aliter: quantum iustitia suadebit.

Mansi XXIV, 637-638.

## NICOLAUS IV (1288-1292)

66

### Ad alium Ordinem transeuntibus dignitates et officia interdicta

(Epist. decret. *In vestri Ordinis,* diei 14 maii 1288, ad Ordinem Fratrum Minorum)

In vestri Ordinis Regula [1] per Sedem Apostolicam confirmata inter caetera continetur, quod eam professis de ipsa egredi nullo modo licebit; nec vobis licentiandi, et absolvendi ab Ordine ipso potestas tribuitur ex Regula supradicta. [2] Sed nonnulli Ordinis vestri Fratres post factam in ipso professionem ab eis, infirmitate mentita, et aliis confictis mendaciis, ac per malignitatis astutias occasionibus variis adinventis, et ambitionibus crescentibus in eisdem, a Superioribus suis interdum exeundi de Ordine ipso licentiam postulant, eamque obtinent ab eisdem. Interdum vero illicentiati exeunt de eodem ad alios Ordines convolantes, in quibus ad dignitates, prae-

[1] Cap. II.
[2] Ex facultate tamen Sedis Apostolicae illis potestas erat, ut habetur in Innocentii IV epist. decr. *Paci et tranquillitati,* diei 16 augusti 1245, in *Bull. Franc.* I, 371, de qua sermo supra n. 58.

http://www.obrascatolicas.com/

laturas, et officia assumuntur non sine propriae salutis dispendio, et derogatione non modica honestatis Ordinis memorati. Nos itaque volentes huic morbo congruae medelae remedium adhibere, et animarum obviare periculis, et evagandi materiam amputare: auctoritate apostolica statuimus, et etiam ordinamus, ut Fratres vestri Ordinis, qui post professionem ab eis in ipso Ordine factam ad quoscumque Ordines alios professionis cuiuslibet, petita, vel non petita, obtenta vel non a suis Superioribus licentia immediate, vel per alium, seu alios Ordines mediate transiverunt iam, sive transiverint, in Ordine, vel Ordinibus, ad quem, vel ad quos transitum habuerunt, aut eos in posterum habere contigerit, vel etiam extra illos, ad nullam omnino administrationem, vel officium [1] curam animarum habentia; nec etiam ad aliquam dignitatem, vel praelaturam, seu personatum [2] quoquomodo possint assumi absque Apostolicae Sedis speciali, et expressa licentia per ipsius Sedis patentes litteras concedenda, facientes plenam, certam, et determinatam de statuto, et ordinatione huiusmodi mentionem. Nos enim nihilominus ex nunc irritum, et inane decernimus, si secus in hac parte fuerit attentatum. [3]

*Bull. Franc.* IV, 20-21.

## CLEMENS V (1305-1314)

### 67

### De instruendis monachis

(In Concilio Viennensi)

§ 8. Ut ipsis monachis proficiendi in scientia via opportuna non desit, in singulis ipsorum monasteriis, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneus teneatur magister, qui eos in primitivis scientiis instruat diligenter. [a]

C. 1, III, 10 in Clem.

---

[1] N. 58.

[2] *Bull. Franc.* I, 499, nota *f*: explicatur quid sit dignitas et quid personatus: dignitas dat praeeminentiam cum iurisdictione in foro externo; personatus vero solam praeeminentiam sine iurisdictione.

[3] Idem diploma Pontifex contulit Ordini FF. Praedicatorum, epist. decret. *Inter cetera*, diei 28 iulii 1288.

[a] N. 56.



## IOANNES XXI (XXII) (1316-1334)

### 68

### De alumnis ad studia generalia mittendis

(Ex Const. ap. *Exigente debito*, diei 17 novembris 1317, ad Ordinem Grandimontensem)

§ 11. Porro considerantes attente fructus felices et uberes, quos tanquam dona coelestia producunt studia literarum, et quanta bona ex doctrina fidelium scientiarum foecunditate pollentium publica pervenerint et privata, districte praecipimus, quod abbas et definitores praedicti duodecim fratres eiusdem ordinis professos, quos dociles noverint, teneantur et debeant ad studia mittere literarum, et eis huiusmodi studiis insistentibus etiam alimentis et aliis necessariis de bonis dicti ordinis providere.

BR IV, 256.

## BENEDICTUS XII (1334-1342)

### 69

### De recipiendis in Ordinem, de studiis generalibus et de studentibus

(Ex Const. ap. *Fulgens sicut stella*, diei 12 iulii 1335, ad Ordinem Cisterciensium)

25. Nempe cautius providere volentes, quod pro divino cultu et aliis obsequiis praestandis in ordine praelibato, personae recipiantur idoneae ipsis officiis congruentes, statuimus et ordinamus, quod de caetero in eodem ordine non recipiantur in monacos vel conversos nisi personae idoneae ad ea, quae conveniunt monacis vel conversis praedicti ordinis, et nisi per abbates monasteriorum vel principaliter praesidentium regiminibus, et aliorum locorum conventualium ipsius ordinis et infra monasteria seu loca huiusmodi, cum consilio seniorum de conventu, seu maioris et sanioris partis eorum monasterii vel alterius loci conventualis, in quo monacorum vel conversorum fit receptio praedictorum. Si secus actum fuerit, carere viribus decernentes.

43. Abbates monacos illos quos habebunt ad dicta Studia mittere, ad ea de consilio patris abbatis vel visitatoris et conventus proprii aut sanioris partis eiusdem conventus transmittere teneantur. Sic tamen quod mittantur magis dociles et idonei, necnon ad proficiendum dispositi.

http://www.obrascatolicas.com/

49. Et ut iisdem studentibus animarum cura non desit, volumus et ordinamus, quod in eisdem Studiis generalibus abbates ipsorum Studiorum rectores deputent idoneos provisores, qui curam habeant animarum studentium in eisdem, quique illos corrigant et absolvant, sicut proprii abbates subditos proprie corrigere et absolvere possunt in monasteriis eorumdem: propter hoc tamen dicti studentes a potestate proprii abbatis exempti aliquatenus non existant.

50. Ubi autem erit aliquis de ordine ipso in Parisiensi Studio assignatus, qui sit vitae laudabilis, aliasque idoneus et discretus, et ab baccalariatum vel magisterium theologiae dispositus et propitius, abbas Cisterciensis, qui est pro tempore, cum consilio magistrorum, baccalariorum et provisoris domus studentium Parisiis, mandet abbati proprio, quod talem non revocet, sed eum permittat in huiusmodi scientia perfici, et ad statum baccalariatus ac honorem magisterii provehi, lecturamque continuare, prout ipsius ordinis generale capitulum ordinabit; possit tamen ipsum generale capitulum, deficientibus magistris seu baccalariis in theologia, talem etiam ante baccalariatum vel magisterium in quolibet praedictorum generalium Studiorum principalem deputare rectorem, ut eidem generali capitulo visum fuerit expedire.

51. In favorem utique studii eiusdem theologiae, ut ab alumnis eiusdem ordinis studentibus illi ferventius attendatur, statuimus, ordinamus et prohibemus expresse, quod in nullo dictorum Studiorum legantur vel audiantur iura canonica, nec etiam extra illa, per aliquem studentium eorumdem; quod si quis contrarium attentare praesumpserit, sit eo ipso ad claustrum suum ab huiusmodi Studio revocatus. Nec cellararius dictorum Studiorum ex tunc in aliquo illi provideat, sed incontinenti ad proprium monasterium remittatur, et de transgressione ac inobedientia huiusmodi secundum arbitrium abbatis proprii puniendus.

52. Et ut in dictis Studiis pro studentibus in eis necessaria non desint obsequia, volumus et ordinamus, ut praefati abbates ipsorum Studiorum rectores, in eis provideant de cellarariis et aliis officialibus idoneis, prout necessitas vel utilitas cuiuslibet Studiorum requiret ipsorum. Quodque ipsi cellararii et officiales iuramentum praestabunt de fideliter dispensando, ac de receptis et expensis cautionem reddendo, quemadmodum superius est expressum.

53. Et quia decet et expedit, ut inter Studia caetera Studium Parisiense refloreat, et iuge sine intermissionis dispendio habeatur, statuimus et ordinamus, quod in eodem Studio Parisiensi deputentur



magistri, baccalarii, lectores Bibliae, ac provisores, cellararii et officiales praedicti ordinis per capitulum generale. Quod si ipsi vel aliquis eorum deficiant, seu ex aliqua causa magistri, baccalarii et lectores lecturam assumere vel continuare, aut cellararii et officiales praefati sua officia exercere nequirent, subrogentur alii loco eorum per visitatorem illius anni, usque ad sequens dumtaxat capitulum generale. In aliis etiam Studiis generalibus magistri seu lectores principales per dictum generale capitulum deputentur. Alii vero minores rectores et officiales per abbates eorumdem Studiorum rectores debeant deputari.

54. Et cum sit dedecens et deforme, ut quis, praesertim religiosus, cum vanitate et imperitia cathedram ascendat praeeminentiae magistralis, statuimus et ordinamus, quod de caetero nullus de ordine praedicto assumatur ad recipiendum magisterii seu doctoratus honorem, nisi prius per eum praestito iuramento in praesentia provisoris et studentium ipsius ordinis tunc praesentium in Studio, in quo huiusmodi honorem recipere voluerit, seu maioris partis numero eorundem, quod in assumptione ipsius honoris vel ante seu post occasione illius, circa cibos, vestes vel alia non expendat per se vel per alium undecumque habuerit vel fuerit sibi datum; nec quantum in eo fuerit ultra valorem mille Turonensium argenti expendi permittat ab aliis eius consanguineis vel amicis. Baccalarii etiam iurare similiter teneantur in praesentia praedictorum, quod occasione baccalariatus sui vel ante seu post, nullum festum seu convivium faciant per se vel per alium, seu fieri permittant, quantum in eis fuerit, a quibuscumque aliis eorum consanguineis vel amicis.

BR IV, 337-344; BM I, 237-240.

70

**De studiis, de studentibus et de recipiendis in Ordinem**

(Ex Const. ap. *Summi Magistri*, diei 20 iunii 1336, ad Monachos Nignos Ordinis S. Benedicti)

Cap. VI. - Quia vero per exercitium lectionis acquiritur scientiae margarita, et per studium sacrae Paginae ad cognitionem excellentiae divinae familiarius pervenitur; ac per agnitionem humani iuris animus rationabilior efficitur, et ad iustitiam certius informatur: nos cupientes, ut viri eiusdem ordinis seu religionis in agro dominico laborantes, in primitivis, ac deinde in divini et humani, canonici vide-

http://www.obrascatolicas.com/

licet, iurium scientiis instruantur, constitutioni Clementis Papae V, et praedecessoris nostri, de monacis in scientiis primitivis instruendis infra monasteria, quibus degunt, editae [a] inhaerentes, illam volumus et praecipimus firmiter observari. Et nihilominus adiicendo statuimus et ordinamus, ut quibuslibet Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus et aliis conventualibus et solemnibus locis, quibus ad hoc suppetunt facultates, ordinis seu religionis huiusmodi deinceps habeatur magister, qui monacos eorum doceat in huiusmodi scientiis primitivis, videlicet, grammatica, logica et philosophia: proviso attentius ut saeculares instruendi cum ipsis monacis docendis in eisdem Ecclesiis, monasteriis, prioratibus et locis nullatenus admittantur.

Cap. VII. - Caeterum, quia expedire dignoscitur, ut postquam praefati monaci in praedictis scientiis primitivis eruditi fuerint, ad sacrae theologiae vel canonum transeant facultates; statuimus et ordinamus, ut Ecclesiae, monasteria, prioratus et alia loca huiusmodi, singula videlicet eorum cum suis membris inferius declarandis, de quolibet numero vicenario monacorum unum aptum pro fructu maioris scientiae acquirendo, ad generalia seu solemnia studia mittere teneantur...

Eligantur quoque ipsi monaci mittendi, prout in scientia theologiae vel iuris canonici, seu magis in una quam in alia ipsarum aptiores poterunt inveniri. Sic tamen, quod si apti reperiantur pro ipsius theologiae studio, ad minus medietas mittendorum pro ipso theologiae studio destinetur, vel etiam quanto plures aptiores potuerint inveniri: ac reliqua medietas eorumdem mittendorum ad ipsius iuris canonici studium transmittatur. In electione namque dictorum monacorum ad huiusmodi studia mittendorum subsequentem ordinationem modificatam duximus adhibendam: quod videlicet quivis antistes cathedralis Ecclesiae monacalis octo probos et seniores monacos ipsius Ecclesiae per eius capitulum seu maiorem partem ipsius eligendos (inter quos non ut praelatus, sed ut monacus dumtaxat vocem habeat) iuramento infrascripto adstringat ad nominandum et eligendum secum mittendos monacos antedictos, ipseque antistes huiusmodi monacos nominatos et electos per eum, et alios octo praedictos seu maiorem partem eorum, licentiare ad huiusmodi studia teneatur infra tempus inferius declarandum. Quilibet vero abbas, seu prior, vel alius locum conventualem et solemnem obtinens, quatuor mo-

[a] N. 67.



nacos eligat de suo monasterio seu loco seniores, quos esse sinceriores in zelo et discretiores in iudicio existimaverit: et corporali iuramento adstringat eosdem, quod reiectis gratia, odio vel timore, quibuscumque et qualitercumque, secundum Deum, et prout magis expedire viderint, personis et locis, cum consilio instructoris, si monacus fuerit, cum iuramento simili adstringendi, illos ex monacis instructis in eisdem primitivis scientiis et in observantiis regularibus informatis, sive in Ecclesiis, monasteriis et aliis locis principalibus seu membris resideant, ad praedicta studia mittendos, iuxta mittendorum huiusmodi praetaxatum numerum, nominent seu eligant coram eo, quos dociles esse noverint et vitae ac morum honestate decoros, ad puritatem religionis tenendam et ad acquirendum fructum scientiae aptiores. Taliter autem nominati seu electi ab eis, vel ubi concordes non essent, a maiori parte ipsorum, sive ubi quilibet nominaret et eligeret diversos, illi, quos ex ipsis nominatis et electis abbas vel prior seu alius, locum conventualem et solemnem obtinens, elegerit, ad praedicta studia destinentur.

Cap. XXII. - Caeterum quia multum ordini seu religioni praefatis hactenus obfuit indiscreta receptio monacorum; statuimus et ordinamus, ut per illos, ad quos in Ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus, decanatibus seu aliis locis quibuscumque ipsius ordinis seu religionis spectat creatio monacorum, deinceps non recipiantur aut induantur in monacos vel conversos nisi personae idoneae, vel de quarum idoneitate verisimiliter spes existat, et tales per quos inibi Deo in divinis officiis congrue deserviri seu impendi valeant obsequia opportuna; et quod per eosdem, ad quos (ut praemittitur) creatio ipsa spectat, infra Ecclesias, monasteria, prioratus, decanatus huiusmodi seu alia conventualia loca ipsis subiecta et non alibi, cum proborum consilio, Ecclesiae, monasteria, prioratus, decanatus, aut loci huiusmodi, cui hi, ad quos dicta creatio pertinet, praefuerint, induantur; nec per eos huiusmodi creatio, habitus traditio seu receptio, nisi personis ordinis seu religionis eiusdem de caetero committantur; et quod infra tempus probationis ad loca alia, nisi conventualia fuerint, non mittantur. Decernimus quoque, quod cum imminebit huiusmodi receptio facienda, si ad antistites, abbates vel praelatos alios, una cum capitulis vel conventibus eorumdem, seu cum eorumdem consensu pertineat, et capitula seu conventus huiusmodi, vel eorum maior pars ad eam pure procedere vel receptioni huiusmodi pro eorum libito renuat consentire, antistites, abbates seu alii praelati post ipsos, eos moneant in virtute obedientiae ut pure

http://www.obrascatolicas.com/

ac secundum Deum, et iuxta eorum conscientiam infra decem dies, huiusmodi creationi seu receptioni consensum praestare procurent...

Prohibemus insuper, ne aliquis recipiatur in monacum ordinis seu religionis eiusdem, nisi statim induatur habitu monacali, nec literae seu instrumenta super futura receptione monacorum aliquibus concedantur, aut promissiones seu obligationes aliae inde fiant. Ut autem adversus eos, qui, tempore probationis elapso, volunt regularis professionis votum emittere, nullius difficultatibus obstaculum ingeratur, universis et singulis praelatis, ad quos pertinet, suos monacos ad huiusmodi professionem recipere duximus iniungendum, ut omnes illos qui, dicto tempore probationis elapso, expresse profiteri voluerint, iuxta regularia instituta sine dilatione ac difficultate quibuslibet ad huiusmodi professionem admittant.

BR IV, 357-377; BM I, 245-255.

## 71

## De novitiis, studiis et studentibus

(Ex Const. ap. *Redemptor noster*, diei 28 novembris 1336, ad Ordinem Fratrum Minorum)

6. Circa salubrem quoque novitiorum et iuvenum dicti Ordinis informationem statuimus et mandamus inviolabiliter observandum, quod quilibet provincialis minister, vel eius locumtenens annuatim in tabula diffinitionis sui provincialis capituli de diffinitorum consilio certos conventus in sua provincia deputet, in quibus omnes novitii eiusdem provinciae debeant commorari; et in quolibet illorum conventuum magistrum novitiorum assignet unum in eadem religione probatum, maturum, devotum, providum et discretum, qui huiusmodi novitiorum continuam curam gerat, viam Dei ipsos doceat, saepe et pure eos confiteri faciat, et ad servandam cordis et corporis puritatem informet, mores et observantias eiusdem religionis eis verbo et exemplo demonstret. Huiusmodi autem novitiatus sive probationis tempore studio scholastico non intendant, sed divinum addiscentes officium, studio devotionis et orationis vigilanter insistant, nec ordines sacros suscipiant, nec confessiones audiant, si fuerint sacerdotes, nec portam conventus exeant, nisi causa translationis vel generalis processionis, vel emergentis necessitatis, vel alia iusta seu rationabili, quae per fratres confessores et praedicatores conventus, ubi huiusmodi novitii fuerint, extiterit iudicata, nec literas mittant, nec recipiant sine sui magistri scientia et licentia speciali, nec loquantur cum aliqua saeculari persona, nisi suo praesente magistro aut alio per suum magistrum vel guardianum ad hoc specialiter deputato. Caveant autem guardiani et ipsorum novitiorum magistri, ac fratres alii, ne quem constitutum infra probationis annum aliquatenus impedire praesumant, quominus ad aliam religionem, quam maluerit, transeat, vel omnino ad saeculum redeat, sicut de sua processit voluntate. Professis quoque iuvenibus, qui aetatis suae annum vigesimum quintum nondum attigerint, simili modo per ipsum ministrum alius magister idoneus deputetur, qui super eorum vita continue et diligenter invigilet, eos moribus instruat, ab insolentia compescat et retrahat, et ad regularem observantiam instanter inducat. Si qui vero instructionem dicti magistri non reverenter et cum effectu receperint, ipse magister defectus et excessus eorum ac contumaciam custodi suo vel guardiano denunciet, qui eos tali disciplinae subiiciat, quod caeteris transeat in exemplum. Si qui vero huiusmodi magistrorum post provinciale capitulum morte vel longa aegritudine, vel alia iusta et rationabili causa fuerint propediti, minister eorum cum discretorum fratrum consilio de aliis idoneis debeat celeriter providere. Tempore autem regiminis seu curae huiusmodi magisterii magistri praedicti non mittantur extra conventus seu loca, in quibus ad praedicta fuerint deputati, aut alias sic occupentur, quo minus utiliter et salubriter curae intendere valeant praelibatae. Si autem fratres ad huiusmodi magisterium deputati ipsum pertinaciter suscipere recusaverint, puniantur poena, qua fratres inobedientes debent secundum ipsius ordinis instituta puniri.

12. Circa fratres siquidem tam ad Parisien. quam ad alia generalia studia Ordinis transmittendos provide duximus statuendum, quod illi, qui ad huiusmodi studia extra suas provincias de debito transmittuntur, per sua provincialia capitula eligantur; electores autem meliores et magis ad hoc idoneos eligere in virtute sanctae obedientiae teneantur; illi vero, qui de gratia ad huiusmodi studia sunt mittendi, non mittantur sine generalis ministri licentia speciali, et sine sui ministri et provincialis capituli approbatione praecedente: missi vero sive de gratia sive de debito, si fuerint minus idonei ad scientiam capessendam, vel male conversentur ibidem, seu pacis et conventuum seu studentium fuerint turbatores, per ministrum, vel guardianum in eius absentia, de consilio consilii conventus loci, in quo studuerint, ad eorum provincias remittantur.

BR IV, 393-399.



http://www.obrascatolicas.com/

## 72

## De novitiis, studiis et studentibus

(Ex Const. ap. *Ad decorem*, diei 15 maii 1339, ad Canonicos Regulares Ordinis S. Augustini)

1. Statuimus igitur, ut quando in Ecclesia cathedrali, monasterio, seu loco alio religionis eiusdem, canonicorum creatio fuerit facienda, nullus recipiatur vel induatur in canonicum, nisi persona idonea, vel de cuius idoneitate spes verisimilis habeatur, et talis, quae inibi in divinis vel aliis Deo possit et velit debite impendere obsequia opportuna; eo quod huiusmodi creatio et habitus traditio fiant publice infra ecclesiam monasterii, seu alium locum conventualem religionis eiusdem, nisi causa rationabilis eas alibi fieri suaderet, nullisque promissionibus seu obligationibus, cum iuramento vel sine, cuiquam faciendis. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur; quodque huiusmodi creatio seu habitus traditio non nisi personae seu personis religionis eiusdem, quae tunc etiam in Ecclesia, loco, seu monasterio praedictis fieri debeat, aliquantenus committatur.

2. Ii vero, qui creati fuerint in canonicos, infra probationis tempus, in loco, in quo saltem septem canonici resideant, necessario habeant residere; eisque idoneus et fidelis deputetur instructor, qui eos instruere valeat in divinis officiis et observantia regulari.

3. Caeterum si canonicorum creatio fuerit facienda, eaque pertineat ad praelatum, una cum capitulo vel conventu, vel cum consensu fieri debeat eorumdem. Si Capitulum seu conventus vel eorum maior pars, pure ad eam non procederent, vel creationi faciendae sine causa rationabili renuerent consentire, praelatus, ex quo sibi evidenter expediens vel necessarium apparebit, huiusmodi canonicorum creationem fieri debere, vel per praelatum et capitulum seu conventum, aut per illum seu illos, ad quem seu quos pertinuerit, concorditer deliberatum et definitum fuerit fore creationem huiusmodi faciendam; tunc praelatus moneat capitulum seu conventum, et in virtute obedientiae eis iniungat, ut pure ac secundum Deum, infra unius mensis spatium, ad dictam creationem cum eo in primo casu procedant, vel in secundo creationi faciendae suum praestent consensum. Quod si praefati capitulum seu conventus monitioni vel iniunctioni huiusmodi parere neglexerint vel recusaverint, creatio ipsa ea vice libere pertineat ad praelatum, dummodo per eum nil in praemissis factum fuerit fraudolenter. In casu autem devolutionis huiusmodi,



praelatus faciendi eamdem creationem cum consilio seniorum eorumdem capituli vel conventus, eligendorum per ipsum praelatum, tertiam partem numero ad minus facientium eorumdem capituli vel conventus, de personis idoneis, liberam habeat facultatem; ita tamen, quod tunc per dictum praelatum tot et non plures creentur, quot, attentis facultatibus, a statu antiquo et debito locorum creandi seu creati rationabiliter fuissent, si praelatus et capitulum seu conventus in creatione huiusmodi concorditer convenissent. Rursus eorum arbitrium, qui ad privata suorum commoda reciprocantes affectum, faciendae creationi canonicorum huiusmodi nolunt aliter consentire, nisi concedatur eisdem, quod unus vel plures, quos maluerint seu nominaverint in canonicos creentur: penitus detestantes hoc deinceps omnino fieri prohibemus, decernentes concessiones huiusmodi (si quae eis factae fuerint) fore nullas; quodque nulli ex receptione seu creatione ex ea vel ob eam secuta, ius aliquod in loco, in quo seu ad quem fuerit, aliquatenus acquiratur. Insuper praemissis adiicimus, quod capitulum vel conventus religionis eiusdem in novitate sui praelati nequeant eidem praelato vel alteri occasione ipsius facere gratiam super receptione vel creatione canonicorum plurium quam duorum, nec ad huiusmodi pro duobus gratiam faciendam, eos, nisi de libera eorum voluntate processerint, intendimus obligare.

4. Praesenti quoque statuimus sanctione, quod singuli canonici religionis eiusdem professionem expressam faciant, non clandestine, sed patenter, et si commode fieri poterit, in Ecclesia et cum Missa; quod si forte praelatus, ad quem spectabit professionem ipsam recipere, tempore probationis elapso, per canonicum profiteri volentem, congruo loco et tempore humiliter requisitus, professionem eamdem recipere, sine rationabili causa, renuerit, vel ultra debitum forte distulerit, dictus canonicus ex tunc in dicta Ecclesia vel monasterio ac membris ipsius, ad omnia idoneus censeatur, ad quae censeretur, si foret expresse professus. Teneatur tamen, quum ad hoc opportunitas se obtulerit, expresse nihilominus profiteri. Alioquin ex tunc ad praemissa, donec expresse fuerit professus, minus idoneus habeatur: ac nihilominus possit per proprium praelatum ad profitendum expresse compelli. Praelatus quoque, qui professionem ab eo recipere renuerit aut distulerit, ut praefertur, ad ipsius professionem admittendam expresse per suum immediatum superiorem religionis eiusdem, seu per eum, ad quem pertinuerit, compellatur.

22. Quoniam per exercitium lectionis studentes literarum scientiis imbuuntur, nos cupientes, ut viri religionis eiusdem in primitivis,

http://www.obrascatolicas.com/

et deinde in divini et canonici iuris scientiis instruantur, statuimus quod in qualibet Ecclesia cathedrali, monasterio, locove alio conventuali seu collegiato dictae religionis, cui ad hoc suppetent facultates, habeatur magister, qui canonicos doceat infra septa locorum in scientiis, videlitet, grammatica, logica et philosophia, proviso attentius, ut saeculares instruendi cum ipsis canonicis, docendive in eisdem monasteriis sive locis nullatenus admittantur...

Praelati vero, seu alii, ad quos spectaverit, canonicos instruendos dociles tam de capite, quam de membris, cum consilio seniorum eligere, et de ipsorum certo numero ac de locis et temporibus, quibus lectionibus quibusve divinis officiis, seu obsequiis aliis opportunis intendant, ordinare pure et provide teneantur. Si tamen dicti canonici instruendi teneri et instrui commode in loco principali nequiverint, et propter hoc fuerit hactenus consuetum, ipsos instruendos in aliquo de membris ipsius loci teneri atque instrui, non intendimus circa hoc, dummodo ibidem vigeat observantia regularis, aliquid immutare. Possint autem praefatus magister seu instructor et instruendi cum consilio seniorum, prout expediens visum fuerit eis, ad quos pertinuerit, removeri, et per eos loco eorum, qui remoti fuerint, alii subrogari.

23. Quia vero expedire dignoscitur, ut iidem canonici, postquam in scientiis primitivis fuerint eruditi, ad sacrae theologiae vel canonum transeant facultatem, statuimus ut Ecclesia cathedralis, monasterium, prioratus vel locus alius religionis eiusdem, cum membris inferius declarandis, de quolibet vicenario numero canonicorum unum aptum canonicum huiusmodi scientiis acquirendis ad generalia seu solemnia Studia mittere... teneantur.

Eligantur autem ipsi canonici mittendi, prout ad scientias theologiae vel iuris canonici, seu magis ad unam quam ad alteram aptiores poterint inveniri, sic tamen quod (si tot apte reperiantur pro ipsius theologiae studio) ad minus medietas mittendorum, pro ipsius theologiae studio destinetur, et qui electus fuerit ad unam de iis scientiis, ad aliam proprio arbitrio nequeat se transferre: quod si fecerit, de Studio revocetur. Ut autem ad electionem canonicorum ad praedicta Studia mittendorum sincere et celeritate congrua procedatur, capitulum Ecclesiae cathedralis religionis eiusdem, septem; abbas vero, prior et quivis alius praelatus monasterii seu prioratus et loci conventualis religionis eiusdem, habentis vicenarium aut maiorem numerum canonicorum, quinque; habentis vero numerum minorem vicenario, tres canonicos seniores, qui dictam electionem



facere habeant infra quinque dies post festum B. Mariae Magdalenae, quod primitus a publicatione huiusmodi nostrae constitutionis in eorum capitulis annalibus facta occurrerit, et deinde singulis annis in perpetuum, quoties electio de canonicis, ut praemittitur, mittendis extiterit facienda, infra idem tempus eligere teneatur. Seniores autem ipsi antequam ad huiusmodi electionem procedant, iuramentum praestent (ad quod praestandum per superiores suos, si opus fuerit, eos volumus coarctari) quod, timore, amore, odio, pretio seu favore reiectis, illos ex canonicis in scientiis primitivis et regularibus observantiis informatis, ac vita et moribus commendandis, eligant ad Studia supradicta, quos magis dociles et aptiores esse crediderint ad alterutram, ex theologiae et iuris canonici scientiis, ad quam fuerint destinandi. Quum vero dicti seniores praestiterint huiusmodi iuramentum, teneantur infra tres dies cum consilio instructoris, si canonicus extiterit, iuramento simili adstringendi, coram Ecclesiae cathedralis capitulo vel abbate vel priore vel alio praelato praedictis, mittendos praefatos eligere. Electione autem facta per seniores eosdem vel maiorem partem numeri eorumdem, cum consilio, ut praemittitur, instructoris, is ad quem pertinuerit, licentiam eundi ad Studia supradicta infra sex dies, post habitam de dicta electione notitiam, eis concedere sit adstrictus.

26. Ubi autem erit aliquis de ipsis studentibus, qui sit vitae laudabilis, et alias idoneus ac discretus, et ad baccalariatum vel magisterium dispositus vel habilis, de cuius fructu scientiae acquirendae possit verisimilis spes haberi, prior dictorum studentium, qui erit pro tempore, cum consilio aliquorum studentium eorundem proborum scribat praesidentibus antedictis, ut proprio praelato ipsius mandent et ordinent cum eodem quod talem de Studio non revocet, sed eum in scientia proficere, et ad statum baccalariatus et honorem magisterii pervenire, lecturamque continuare permittat; ipsumque et alios similes, quos in scientia laudabiliter proficere noverit, dignis attollat laudibus, honoribus et promotionibus efferat opportunis. Provideant quoque praesidentes et alii praelati convenientes in ipso capitulo provinciali, quod canonici ad dicta Studia transmittendi, prout convenientius et commodius fieri poterit, insimul commorentur, saltem quinque vel quatuor ad minus; et quatuor vel quinque huiusmodi duobus servitoribus sint contenti.

27. Praecavere nempe volentes et etiam providere ut dictis scholaribus in dictis Studiis pro tempore morantibus regularis non desit salubre gubernaculum disciplinae, ordinamus quod in capitulis pro-

http://www.obrascatolicas.com/

vinciarum, in quibus erunt huiusmodi studia, praesidentes unum de iis qui debent ad provinciale capitulum convenire, vicinum loco ubi Studium erit (quem, quotiens eis placuerit, ponere valeant et mutare), deputent et signent qui ex dictis studentibus unum inibi priorem studentium constituat, per annum solummodo duraturum, quem tamen priorem, tam ipse, quam etiam praesidentes et quilibet eorumdem, mutare valeant infra annum, si et quotiens eis videbitur expedire. Constituatur autem ipse prior talis, qui sit potens in opere et sermone, ut canonicos studentes pensionarios et alios etiam beneficiatos in bono instruat, et a malo studeat revocare; ipsosque, quotiens sibi videbitur expedire, convocet ad alium locum competentem, eisque quoad regularem praesideat disciplinam. Et potestatem habeat illos corrigendi, puniendi et absolvendi, et cum eis dispensandi, quandiu in ipsis Studiis moram traxerint, ab omnibus, a quibus et super quibus, et prout posset superior post antistitem, vel abbas seu praelatus alius eorum proprius in Ecclesia, monasterio vel alio loco unde claustrales existunt; ipsosque informandi et instruendi et tenendi sub regularibus disciplinis, et illos etiam coercendi, ne vagentur, vel actibus seu operibus vacent illicitis, sed studeant et proficiant, sicut decet, vivantque laudabiliter et honeste. Provideat insuper idem prior studentium quod dicti canonici pensionarii studentes expensas faciant moderatas, non superfluas, nec aliquatenus excessivas, eosque cogat ad reddendum de receptis et expensis in fine mensis cuiuslibet, et prout alias sibi videbitur, rationem illi vel illis providis et discretis quos idem prior ad id duxerit deputandos, et quando ipsorum studentium conditio seu demerita suaserint eos a Studio revocandos, idem prior teneatur id (consulte tamen et caute) antistiti, abbati vel alio praelato eorum proprio per suas literas intimare: iidemque antistites, abbas seu praelatus proprius eos revocare debeat, et in locis eorum totidem canonicos subrogare per modum suprascriptum, apellatione, contradictione vel reclamatione reiectis. Concedimus quoque praedicto priori canonicos studentes pensionarios et alios etiam beneficiatos, quandiu fuerint in ipsis Studiis, ab excommunicationis, suspensionum et interdictorum sententiis, per statuta provincialia seu cuiusvis Ecclesiae, monasterii sive loci dictae religionis, vel per dioecesanum contra studentes in locis ubi erunt Studia generaliter promulgatis, congrua satisfactione praemissa, iuxta formam Ecclesiae auctoritate apostolica absolvendi, et cum eis super irregularitate, quam sic ligati celebrando divina seu alias se ingerendo eisdem per simplicitatem et iuris ignorantiam (non tamen in contemptum clavium) incurrerint, dispensandi auctoritate praedicta liberam potestatem. Per hoc vero dictos canonicos studentes a potestate antistitis vel aliorum ordinariorum suorum vel alterius praelati sui, nolumus aliquatenus eximere vel etiam liberare. Quilibet autem dictorum canonicorum religionis eiusdem, huiusmodi Studiis insistens, pensionarius et alius etiam beneficiatus, praefato eorum priori de quinque solidis turonensium parvorum vel eorum valore in alia moneta providere annis singulis teneatur, ad quorum solutionem idem prior possit eosdem per censuram ecclesiasticam et alia ipsius religionis remedia, auctoritate apostolica, remoto appellationis obstaculo, coercere. Idem tamen prior sumptus nunciorum subeat, quos pro praemissis duxerit transmittendos. [a]

BR IV, 425-440; BM I, 259-266; MANSI XXV, 993-1010; *Bull. Can. Reg. SS. Salv.* I, 30-60.



## GREGORIUS XI (1370-1378)

### 73

### De lectoribus et de egressis e religione

(Ex Const. ap. *Virtute conspicuos,* diei 6 martii 1374, ad Ordinem Praedicatorum)

4. Fratres autem de Ordine vestro, quos secundum constitutiones ipsius Ordinis conventibus vestris deputandos duxeritis in lectores, sine alterius cuiuscumque licentia, libere in domibus praedicti Ordinis legere et docere valeant in theologica facultate, illis locis exceptis, in quibus viget Studium generale ac etiam quilibet in facultate ipsa docturus, ut magister incipere solemniter consuevit.

17. Inhibemus quoque ne quis post professionem in Ordine vestro factam ab ipso Ordine sine magistri vel sui prioris licentia discedat: discendentem vero absque cautione literarum alterius ipsorum, praetextu alicuius privilegii Apostolicae Sedis, nullus audeat retinere. Quod si forte retinere praesumpserit, vobis, magister et singuli priores dumtaxat, et vestris vicariis licitum sit in ipsos discedentes fratres excommunicationis sententiam promulgare: detinentes vero eosdem secum vel in monasteriis seu Ecclesiis suis (nisi eos

---

[a] Vide declarationes huius Constitutionis in Epist. decret. *Dudum pro bono,* diei 5 decembris 1340, in MANSI XXV, 1032-1038.



http://www.obrascatolicas.com/

eiecerint) postquam eis denunciatum fuerit, excommunicationis sententiae volumus subiacere: non obstante quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem.

18. Si vero aliqui de fratribus vestri Ordinis, post obtentam licentiam a Sede praedicta, aut a vobis, ad religionem aliam transeundi, infra duos vel tres menses se ad illam religionem suae saluti congruam non contulerint et ipsius non susceperint habitum regularem, licitum sit vobis singulis, magistro et prioribus, ac vices vestras gerentibus, contra ipsos tamquam contra alios vestri ordinis apostatas procedere, secundum quod honestati dicti Ordinis videritis expedire. Illud idem intelligi volumus de illis, qui post susceptionem habitus alterius religionis, infra tempus probationis, nulla professione facta, inde praesumpserint resilire, aut etiam si post professionem huiusmodi ad religionem laxiorem seu mitiorem Ordinem transierint, vel (quod absit) ad saeculum revertantur, vos volumus contra ipsos rigorem vestri Ordinis exercere.

19. Apostatas quoque vestri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare et alias subdere disciplinae rigori possitis, per vos, ac etiam alios, in quocumque habitu contigerit eos inveniri, invocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii saecularis.

20. Inhibemus etiam, ne fratres quos ab Ordine vestro pro suis culpis, per magistrum vel priores ac eorum vicarios expelli contigerit, vel qui egressi fuerint proprio suo motu, praedicare, confessiones audire, seu docere praesumant, nisi ad alium Ordinem in quo licite huiusmodi exerceantur officia, transierint, de nostra vel magistri, seu prioris vel vicariorum ipsorum licentia speciali. Quod si forte ipsi contra huiusmodi inhibitionem nostram aliquid super praemissis temere attentare praesumpserint, vos magistri et singuli priores vel vestri vicarii, in illos, quos infra fines praedicationis suae, iuxta consuetudinem Ordinis vestri distractos inveneritis talia perpetrantes, monitione praemissa, auctoritate nostra excommunicationis sententiam valeatis promulgare. Eiectos autem de Ordine vestro vel egressos, qui receptione in eodem Ordine suis culpis exigentibus reddiderint se indignos, et alios fratres eiusdem Ordinis ex rationabili causa ad quoscumque Ordines approbatos (praeterquam ad B. Augustini, Hospitalariorum et aliorum religiosorum arma portantium) ad vitandam occasionem evagandi, vos, magister et singuli priores seu vestri vicarii, cum testimonialibus literis, auctoritate nostra, licentiandi liberam habeatis facultatem. Nos enim districtius inhibemus, ne



tales ad alium Ordinem aliter transire, vel aliqui eos recipere seu retinere praesumant, absque licentia speciali Sedis Apostolicae faciente de hoc plenariam mentionem.[a]

BR IV, 568-571; BM I, 286-288.

## BONIFACIUS IX (1389-1404)

### 74

### De magistris sacrae theologiae

(Ex Epist. decret. *A supremo*, diei 17 iunii 1395, ad Ordinem Fratrum Minorum)

A supremo Patrefamilias in domo Domini dispensatores licet insufficientibus meritis constituti inter prementes nos curas innumeras praecipua quadam sollicitudine perurgemur, ut, qui ad instruendum indoctos per doctrinae et praedicationis ministerium evocantur, sint compositi moribus, enitescant vitae sinceritate et studiosae scientiae dilucida claritate coruscent, nec vitae labes aut incompositio morum instruentis verbis auctoritatem et fidem levet vel eos imperitia caecos efficiat et caecorum duces, ne vel sic et ductor caecus et caecus ductus ambo in foveam cadant;[b] et si hoc in Domini universali domo procurare tenemur, in ordine tamen fratrum Minorum, qui in pomerio domus eiusdem a Deo plantatus per exemplaria merita et sanctas praedicationes semper fructus uberes producere consuevit et ipso Deo incrementum praestante producit, singulari caritate, qua totum complectimur ordinem ipsum, tales instructores, praesertim qui sacra in pagina ad alios docendum suscipiunt magisterii gradum, esse cupimus et speciali desiderio desideramus, in quibus mores aut vita a sancta doctrina et praedicatione non discrepent nec imperitia venerabile ministerium vilipendat, et quod, si qui forsan ex eis ad huiusmodi gradum vel ministerium fuerint assumpti, qui protervia seu temeritate sacrum ministerium labefactent, ne effrenata licentia et subsecuta impunitas scandalum generet vel contemptum seu delirantes nutriat in errore aut aliis delirandi praebeat incentivum, ad condignum exacta diligentia suscipiant disciplinam.

*Bull. Franc.* VII, 49-50.

---

[a] Idem in Clementis IV Const. ap. *Virtute conspicuos*, diei 21 iulii 1265, §§ 5, 7, 17-19, in BR III, 737-740.
[b] *Mt.* XV, 14.

http://www.obrascatolicas.com/

## MARTINUS V (1417-1431)

### 75

### Damnatio quarumdam Ioannis Wicleff propositionum

(In Concilio Constantiensi; ex Const. ap. *Inter cunctas,* diei 22 februarii 1418)

31. Peccant fundantes claustra; et ingredientes sunt viri diabolici.

44. Augustinus, Benedictus, et Bernardus damnati sunt, nisi poenituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, et instituerunt, et intraverunt religiones: et sic a Papa usque ad ultimum religiosum, omnes sunt haeretici.

Mansi XXVII, 1208-1209; *Fontes* I, 43.

## CONCILIUM PARISIENSE (1429)

### 76

### De magistro iuvenum

Cap. 16. - Cum Sacrarum scripturarum lectura et intellectus in religiosis etiam conferat devotionem, dilatet et augeat; idem Benedictus [a] voluit et ordinavit, quod in monasteriis quorumlibet ordinum, abbates, vel alii superiores provideant de idoneis magistris, qui novitios, ceterosque illiteratos in grammatices rudimentis habeant competenter instruere. Quod quidem statutum censemus in monasteriis vobis subditis observari debere: aliorum monasteriorum superiores in Domino exhortantes, quatenus faciant similiter in locis sibi subditis cum debita sollicitudine observari.

Mansi XXVIII, 1104.

## MARTINUS V

### 77

### De fratribus ad studia mittendis

(Ex Const. ap. *Cum generale,* diei 21 iunii 1430, Declarationes in caput X Regulae Fratrum Minorum)

Statuimus insuper, quod Ministri diligenter et sollicite instent, et invigilent reformationi studiorum, per quaslibet suas Provincias, ita et taliter, quod cuilibet studenti pro posse provideatur de suis

[a] N. 70.



necessariis, tam pro libris, quam pro reliquis opportunis, de communibus eleemosynis per Procuratorem receptis pro quolibet Conventu, sive loco nativo Fratris ad studium promovendi. Exhortantes strictissime in visceribus Iesu Christi caeteros Fratres aliorum locorum, quod cum viderint idoneos ad studia promovendos, totis viribus eisdem impendant auxilium, consilium et favorem in quibuslibet opportunis, quaerendo pro eis eleemosynas, recommendando volentibus subvenire, eisque serviendo in visceribus charitatis; cum scientia donum Dei sit, et armatura ad defendendam sanctam fidem catholicam, corona Ordinis, lumen veritatis, et via in tenebris ambulantium populorum.

BR IV, 741; BM I, 332.

## PIUS II (1458-1464)

### 78

### De studentium subiectione

(Ex Epist. decret. *Religiosorum excessus,* diei 17 septembris 1458, ad Ministros Generales Ordinum Regularium)

§ 1. Cum itaque sicut accepimus, dilecti filii provinciales vestrorum Ordinum laudabilem consuetudinem diutius observatam imitantes, nonnullos ex fratribus Ordinum praedictorum, ad hoc idoneos, ad literarum studia, in locis ubi illa vigere noscuntur, causa adipiscendi scientiae margaritam, destinare consueverint, quorum nonnulli, iuvenili et humana fragilitate causantibus, interdum a semita rationis deviantes, discoli et vagabundi effici solent et propriae salutis immemores, quo fit ut suave iugum Domini contemnentes, praelatis suis obtemperare, eorumque salutares correptiones et disciplinam effugere, quinimmo despicere et multimode eludere contendant, et, ut id impune efficiant, rectorum, gubernatorum et conservatorum Studiorum, sive privilegiorum eorumdem praesidia et patrocinia, quibus se protegi et tueri valeant, satagunt, exquisitis modis implorant, se ab ipsorum Ordinum superiorum iurisdictione, potestate et correctione exemptos esse praetendentes. Et similiter baccalaurei, lectores, bibliistae sive alii officiales pro tempore in domibus et conventibus civitatum et locorum, in quibus studia huiusmodi vigere noscuntur deputati, cum excessus aliquos commiserint, sive aliter deliquerint, vel, eorum inscitia aut imperitia exigente, ab huius-

http://www.obrascatolicas.com/

modi eorum officiis depositi fuerint, idipsum praesumere moliantur, in grave Ordinum praedictorum praeiudicium, animarum suarum periculum, regularis disciplinae vilipendium et contemptum, ac scandalum plurimorum.

§ 2. Nos itaque, attendentes quod si ad reprimendos excessus huiusmodi, et talium praesumptiones temerarias cohibendum, nervus publicae disciplinae lentescat, eorum voluntas fit proclivior ad peccandum, et impunitatis exemplum periculosius in alios derivatur, ac volentes super his de opportuno remedio providere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus omnes et singulos vestrorum Ordinum professores, qui, spiritu rebellionis assumpto, talia perpetrare praesumpserint, cuiuscumque gradus vel conditionis existant, nisi, canonica monitione praemissa, a coeptis resipuerint, et debitam a vobis pro commissis poenitentiam humiliter susceperint, ac mandatis vestris efficaciter obtemperare studuerint cum effectu, tamdiu excommunicatos, ac omnibus magisterii, bacccalariatus, lectoriae, bibliistatus officiis, aliisque dignitatibus et honoribus dictorum Ordinum exutos privatosque, auctoritate apostolica, nuncietis, et ab aliis, ubi, quando et quoties expedierit, nunciari; et si eorum contumacia, protervitas et rebellio id exegerit, carceribus ad poenitentiam peragendam detrudi et mancipari faciatis, donec spiritu consilii sanioris resumpto, vestris monitionibus et mandatis studuerint, cum emendatione prioris vitae, humiliter obedire, et ab huiusmodi excommunicationis sententia meruerint a Sede Apostolica vel a vobis absolutionis beneficium obtinere.

BR V, 143-144; BM I, 384-385; *Bull. Carm.* I, 252; *Bull. Praed.* III, 384.

## CONCILIUM SENOSENSE (1485)

### 79

### De magistris iuvenum et de simonia in receptione vitanda

(Constitutiones, art. III)

Cap. I. - Et primo cum idem Benedictus duodecimus papa [1] voluerit et ordinaverit, quod in monasteriis quorumlibet ordinum, abbates vel alii superiores provideant de idoneis magistris, qui novitios et iuvenes, ceterosque illiteratos et indoctos religiosos in grammaticae rudimentis, et intellectu scripturarum sanctarum, et eorum quae in ecclesiis leguntur, habeant convenienter instruere, ut sic sacrarum scripturarum lectura et intellectus, religiosis ipsis otiositatem auferat, devotionem dilatet et augeat, et ad sanctorum patrum sequendas doctrinas et exempla inducat: hoc salutare statutum duximus de caetero in singulis religionibus observandum: ordinantes, quatenus hi ad quos spectat, super hoc solicitudinem adhibeant specialem; super quo etiam in visitationibus dictorum monasteriorum per ordinarios et alios inquisitionem fieri volumus diligentem.

[1] N. 70.



Cap. III. - Quia canonicae institutiones, quae de Simonia loquuntur, districte prohibent pro ingressu religionis ab ipsis ingredientibus, vel eorum nomine, quicquam exigi, etiam praetextu cuiuscumque consuetudinis, [a] quae potius dici debet corruptela: omnibus abbatibus et abbatissis, prioribus et priorissis, et aliis quibuscumque, suademus, quod iura de hac materia loquentia diligenter observent, sic scilicet, quod pro ingressu religionis pro se vel monasteriis suis ex pacto vel conventione nihil recipiant. Si autem post ipsum religionis ingressum aliquid fuerit ab ipsis ingredientibus, vel eorum parentibus, monasterio ex devotione oblatum, illud recipi minime prohibemus.

Mansi XXXII, 424-426.

## IULIUS II (1503-1513)

### 80

### De extra claustra commorandi prohibitione

(Ex Epist. decret. *In supremae,* diei 8 augusti 1508, ad Ordines Praedicatorum et Minorum)

§ 3. Nos igitur, attendentes quam gratus Deo sit et acceptus obedientiae fructus, quodque, inter alia Religionis merita, abnegatio propriarum voluntatum praecipuum est, ac quod praelati ipsi optime scire praesumuntur, qui fratres literarum studio et quanto tempore, et qui aliis Religionis occupationibus vacare debent, omniumque, praesertim religiosarum personarum tranquillitatem, ac illis evagandi materiam occasionemque praecludi, eorumque excessibus obviari

[a] Vide n. 52 et Gregorii XI Const. ap. *Tenorem quarundam,* diei 18 februarii 1372, in *Bull. Praed.* VII, 64, in qua damnatur epularum occasione receptionis consuetudo.

http://www.obrascatolicas.com/

supremis optantes affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de caetero, perpetuis futuris temporibus, fratres praedicti extra dictas domos, cuiuscumque causae occasione vel respectu, etiam studii, sive in Salmantin. sive in aliis Universitatibus et locis, quibus literarum studia vigeant, praeter et absque licentia provincialium, priorum ac ministrorum vel eorum vicariorum respective et, illa durante, etiam de licentia Sedis Apostolicae praedictae, etiam praetextu quarumcumque facultatum, indultorum et aliarum literarum apostol. Salmantin. et aliis Universitatibus praedictis pro tempore concessorum [praelatis] invitis commorari non possint... tenore praesentium statuimus et ordinamus.

BR V, 473.

## LEO X (1513-1521)

### 81

### De ordinationibus

(Ex Const. ap. *Dum intra,* diei 19 decembris 1516, in Concilio Lateranensi V)

§ 11. Quodque Fratres ipsi ad ordines promovendi, per Ordinarios de grammatica, et sufficientia examinari, et dummodo competenter respondeant, per eosdem Ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum Ecclesiis, seu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio, quam a Dioecesano Episcopo, vel eius Vicario, super hoc cum debita reverentia requisito, et absque rationabili causa contradicente, vel eo a Dioecesi absente, ad dictos Ordines promoveri debeant.

BR V, 687; *Fontes* I, 72.

## CLEMENS VII (1523-1534)

### 82

### De graduatis et legentibus

(Ex Epist. decret. *Religionis vestrae,* diei 8 decembris 1529, ad Ord. B. V. M. de Monte Carmelo Congregationis Mantuanae)

Imposterum vero graduandi in honore habeantur, et haberi debeant, sicuti habentur fratres Ordinis, et Congregationis praedictorum de observantia iuxta eorum statuta, et laudabilem consuetudinem; omnesque graduati, tam Magistri quam minoris, vel inferioris gradus intersint omnino divinis officiis omnibus diebus, praeter actu publice legentes, qui diebus Dominicis, et festis intersint sub poena



privationis gradus, ac omnium privilegiorum eis concessorum; quodque nullus graduatus habeat, et teneat servitorem, nisi publice legens in aliqua Universitate, cui etiam pro tabula singulis septimanis de more religionis per Priorem vel loci praesidem vicissim assignetur, similiter sub poena privationis gradus, ac privilegiorum, et indultorum sibi concessorum; quodque omnes graduati, et graduandi praeter Magistros publice legentes, vivant in communi cum aliis fratribus, cum conveniat ipsis legentibus, et laborantibus pro eorum labore, et meritis per Priorem, seu Praesidem loci provideri; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescendo.

*Bull. Carmel.* II, 44.

## CONCILIUM PROVINCIALE CANTUARIENSE (1530)

### 83

### De educatione et exercitio religiosorum

(Statuta et Ordinationes, cap. ut in rubrica)

Statuimus et ordinamus, ut in quolibet monasterio et loco religioso sit *iuxta Cle. ne in agro dominico* [a] instructor aliquis grammatices sufficienter eruditus, ad informandum religiosos in grammatica, et aliis primitivis scientiis. Ex quibus illi, qui in singulis locis ad capessendas literas aptiores fuerint, iuxta facultatem possessionum eorundem mittantur ad universitatem Oxon. vel Cantab. ad studendum in sacris literis, ut eo modo cognita lege divina, magis convalescat observantia verae religionis. Et ut abbates, et priores diligenter et assidue curent religiosos subditos minores per alios suorum monasteriorum provectiores in regulis, constitutionibus, et ceremoniis sui ordinis institui et informari, et quos ad administrationem spritualium seu temporalium aptiores inter suos fratres arbitrentur, eos in administrationibus competentibus exercere satagant officia cellarii, camerarii, hospitalarii; et alia tam claustralis observantiae, quam exterioris industriae fratribus ad hoc aptioribus ita impertiendo et committendo, ut in utrisque vicissim triti et exercitati, ad abbatis seu prioris officium, cum vacaverit, habiliores reddantur. [b]

Mansi XXXV, 342.

---

[a] N. 67.
[b] Idem in Concilio prov. Cantuariensi V, anno 1557, in Mansi, XXXV, 500.

http://www.obrascatolicas.com/

## CLEMENS VII

### 84

### De iuvenibus ad studia generalia mittendis

(Ex Epist. decret. *Cum ad cunctorum*, diei 12 aprilis 1532, ad Capitulum Generale Ordinis B. V. M. de Monte Carmelo)

Illud item vobis est curandum, et ipso effectu perficiendum, ut quilibet vestri Ordinis Conventus, quantumvis tenuis, habeat saltem unum vestri Ordinis professorem studentem in universitate aliqua studii litterarum generalis, et si aliquis Conventus non haberet studentem, ut is nutriat, et sustentet unum studentem alterius Conventus privati pluribus studentibus, si ad id vires eius suppetierint, alioquin alio modo provideatur prout vestra discretio desuper opportune duxerit ordinandum, provide attendendo ut ipsi studentes indolem certi profectus ostendant, quo eligantur idonei, et impensa non sit infructuosa.

*Bull. Carmel.* II, 60.

### 85

### De facultate studentes clericos super divinorum officiorum recitatione dispensandi

(Ex Const. ap. *Dudum pro parte*, diei 7 martii 1533, ad Congregationem Regularium Theatinorum)

2. Nos vestris, etiam tunc, supplicationibus inclinati, vobis ut superiores vestri, praepositi nuncupati, pro tempore exsistentes, cum clericis et sociis suis, qui in supradictis pietatis operibus aut studio literarum sacrarum occuparentur, seu infirmitate aut infirmorum curatione et ministerio pro tempore praepedirentur, super recitatione divinorum officiorum, ad hoc ut ipsi occupati vel impediti, certum psalmorum per ipsos superiores eis assignandorum numerum, non minus septem aut sex, cum divisione, ac Orationem Dominicam septies, Symbolum Apostolorum bis; graviter autem aegrotantes, Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam, septies in die recitando, septem horis canonicis et toti divino officio satisfecisse censerentur; et cum quibusvis clericis et sociis vestris in praeveniendo vel postponendo, veniendo vel decidendo [1] in communi vel speciali horas canonicas, ac in breviandis et protelandis lectionibus... dispensare possint... concessimus.

BR VI, 161.

[1] uniendo vel dividendo (?).



## CONCILIUM PROVINCIALE COLONIENSE I (1536)

### 86

### De vita monastica

(Decreta, pars X)

Cap. I. - Vita monastica non multo post apostolorum tempora coepit, quamquam multis persuasum sit, aliam tum fuisse, quam nunc est, monachismi rationem. Nemo tamen negaverit, hoc vitae genus ad perfectionem evangelicam maxime commodum, modo secundum sanctissimam institutionem pure immaculateque observetur. Quia vero res est quammaxime ardua, in carne vivere, et carnis stimulis nullum locum dare, diabolique mille fraudibus (quibus praesertim solitarios aggreditur) feliciter semper resistere, idcirco in hoc vitae genus nemo vel invitus intrudendus, vel pelliciendus, [a] vel temere suscipiendus, [b] sed summa cura adhibita, [c] post diligentissimam demum examinationem monachi ac monachae recipiantur. Quibus saepe inculcandum est prius Christi verbum de eunuchis, qui se castrarunt propter regnum coelorum, cum inquit: *Qui potest capere, capiat.* [d] Proponenda Sapientis sententia, quae habet in haec verba: *Altiora te ne quaesieris,* [e] etc. Rememorandum quoque diligentissime, quod Deo stulta et infidelis promissio admodum displiceat. Breviter, admonendus est omnis ad hanc vitam aspirans, ut primum se totum excutiat, ne provinciam suscipiat, cui non suffecerit, alioqui parabolae evangelicae dicterio notandus, quod coeperit aedificare, et non potuerit consummare. [f] Maxima autem cautio adhibenda est in puellis, propter sexus fragilitatem, ne vel ob aetatem desit voluntas, vel metus adsit, aut alius affectus minime Christianus.

Cap. II. - Certe sancti patres [1] admodum fuerunt soliciti, ut non nisi voluntario ac spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitus susciperentur, quod coacta servitia domino ingrata esse dignoscantur: siquidem voluntarie domino sacrificandum est, et voluntaria oris sui beneplacita fieri in conspectu domini psalmographus

[1] C. 2, C. XX, q. 2; c. 4, C. XX, q. 3.

[a] N. 27.
[b] Nn. 41, 54.
[c] Nn. 69-72.
[d] *Mt* XIX, 11-12.
[e] *Eccli* III, 22.
[f] *Lc.* XIV, 30.

http://www.obrascatolicas.com/

obsecrat.[a] Quod enim quis non eligit, nec optat: quod non optat, nec diligit: quod non diligit, facile contemnit. Unde consequitur, nullum esse bonum, nisi voluntarium: adeo ut qui alio affectu quam bonae voluntatis monachismo se alligant, magis peccent quam mereantur. Ambigi enim non potest crimen magnum admitti, ubi et propositum deseritur, et consecratio violatur. Nam si humana facta non possunt impune calcari, quis de eis manebit, qui corruperint foedera divini sacramenti? De adolescentibus viduis Paulus pronuntiavit, quod cum fuerint luxuriatae, in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.[b]

Cap. III. - Admonendi quoque erunt parentes, ne liberos in monasterium invitos detrudant, quod illos Vae longe gravius maneat, quam Pharisaeos, qui circumibant mare et aridam, ut facerent unum proselytum, et cum esset factus, fiebat filius gehennae duplo magis quam ipsi.[c]

Cap. IV. - Qui monasterium ingreditur, alio affectu quam simplici amore Dei ductus, veluti vel spem vel promissionem abbatiam consequendi habens,[d] vel in otio vivere affectans, vel lucris temporalibus inhians, vel honores ab hominibus appetens; quisquis talis est, non Dei filius aut monachus, sed plane mercenarius est, quemadmodum superius nos de clericis etiam dixisse meminimus:[e] cui verendum est, ut cum volet ingredi nuptias evangelicas, obiiciatur illud: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* quodque ipso obmutescente, rex sit praecepturus ministris, ut ligatis manibus et pedibus, ipsum in tenebras exteriores mittant, ubi erit fletus et stridor dentium.[f]

Cap. V. - Habendus est in virorum monasteriis vir pius ac doctus, qui doceat monachos ab adolescentia meditari in lege domini die ac nocte, ad quod munus in monasteriis monialium, sanctimonialis ceteris vita et doctrina praestantior deligatur. Debet autem qui monasterio praeest, summa discretione uti, maxime erga eos, quos compererit divinis literis intentos aut contemplationi deditos, ut scilicet tales a sordidioribus officiis sinat esse immunes.[g]

---

[a] *Ps. LIII*, 8.
[b] *1 Tim.* V, 11-12.
[c] *Mt.* XXIII, 15.
[d] N. 31.
[e] Pars I, a pag. 1213.
[f] *Mt.* XXII, 12.
[g] N. 83.



Cap. VII. - Neque nobis displicuerit, ut aliquot ex monachis bonae indolis, ad universitates publicas et bene Christianas, aliquot annos theologicis studiis operam navaturi mitterentur: illic tamen non alibi quam in monasteriis seu gymnasiis sub cura et oculis praeceptorum commoraturi, ne bonis ac rectis studiis destinati, mores minime monasticos imbibant ac contrahant.[a]

Cap. XVI. - Monachus et monacha amare debent scripturarum scientiam, et carnis vitia non amare. Psalterii librum de manu aut oculis nunquam deponere, semper orare, sensu vigilare, vanis cogitationibus aditum praecludere, corpore pariter et animo in Deum tendere, iram patientia vincere. Breviter nullis animi perturbationibus (quae si insederint, ad delictum maximum inducunt) locum dare: semper aliquid operis facere, ut eos diabolus semper inveniat occupatos.[b]

Mansi XXXII, 1278-1282.

## PAULUS III (1534-1549)

### 87

**De necessitate superiorum licentiae ad gradus consequendos**

(Ex Const. ap. *Ex clementi*, diei 7 aprilis 1539, ad Ordinem Fratrum B. V. M. de Monte Carmelo)

§ 9. Et nihilominus, potiori pro cautela, praemissa omnia de novo, quodque de cetero perpetuis futuris temporibus fratres praedicti, etiam praetextu quarumcumque facultatum, indultorum et literarum apostolicarum, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, irritantibus et aliis decretis concessorum, baccalaureatus, magisterii, iubilatus seu licentiatus et alios quarumcumque facultatum gradus extra dictum Ordinem et absque licentia huiusmodi suscipere, seu ad illos et ad presbyteratus et alios sacros ordines se promoveri facere minime possint; ac propter eorum demerita seu alias a domibus et Ordine praedictis expulsi, ad illos quovis modo reverti nequeant; et si qui forsan ex fratribus praefatis ad gradus aut ad ordines huiusmodi promoti fuerint, eorum privilegiis uti nullatenus valeant et pro non promotis habeantur, statuimus et ordinamus.

BR VI, 274.

---

[a] N. 80.
[b] C. 33, D. V, *de cons.*

http://www.obrascatolicas.com/

## SYNODUS AUGUSTENSIS (1548)

### 88

### De studiis

(Statuta, tit. XII)

Intermissa sacrarum literarum atque ea etiam, per quae ad sacras literas pervenitur, studia, apud opulenta monasteria intra sex mensium spatium restaurentur. Ubi vero pauci sunt monachi, iidemque egentes, unus atque alter ad aliud eiusdem, aut si commodum videbitur, diversi ordinis monasterium, ubi scholae restitutae sunt mittantur, ubi et in sacris literis, et in religionis observantia institui et proficere, atque ad praedicationem divini verbi idonei reddi possint.

MANSI XXXII, 1305-1306.

## CONCILIUM PROVINCIALE MOGUNTINUM (1549)

### 89

### De studiis

(Constitutiones, tit. De moribus)

Cap. 66. - De clericis vero regularibus, dispositionem reformationis et iuris communis volumus observari: ut monasteria opulentiora, intermissa studia, in primis vero theologica, apud se instaurent. Quae vero minus opulenta sunt, et pauciores habent monachos, aliquot tamen iuvenes felicioris ingenii, ad eiusdem ordinis et provinciae monasterium, in quo studia vigeant, ablegent. Ubi vero praelati, sive saeculares, sive regulares, in ea re negligentes fuerint, per ordinarium debent ad hoc debitis poenis compelli. [a]

MANSI XXXII, 1424.

---

[a] N. 88.



## CONCILIUM PROVINCIALE TREVERENSE II (1549)

### 90

### De religiosis

(Decreta, cap. XI)

2. Et inter ceteros abusus reformandos curent praelati, abbates, priores, guardiani, simul et monasteriorum visitatores, et alii quocumque titulo nominentur, ne aliquis ante decimumquintum annum, ad probationis annum admittatur. [a]

3. Item ne quis anno probationis non completo ad professionem recipiatur. [b]

4. Item receptis sic praeceptores idonei deputentur, qui eos in regulari observantia, et divinis officiis non minus quam in literis, et e converso, instituant et forment. [c]

5. Ad sacros ordines suscipiendos non nisi aetate et scientia sufficientes praesentent. [d]

6. Item idonei ad iussum superioris sui, excusatione legitima cessante, se faciant promoveri.

7. Quoque gratis singuli ad professionem recipiantur, nullo accepto precio, nec aliqua facta conventione: et ne haec sub paupertatis praetextu pallientur districte inhibemus. [e]

MANSI XXXII, 1449.

## CONCILIUM PROVINCIALE EDINBURGENSE (1549)

### 91

### De studio et de studentibus

Cap. 22. - Similique pro effectu ad eundem modum, ut sacrarum literarum studia et virtutes, ipsi Deo acceptae, in monasteriis, ut olim, secundum Deum floreant, ordinatum est ut singuli abbates, priores, commendatarii, praelaturarum maiorum administratores inveniant et sustentent theologum religiosum vel saecularem, qui sin-

---

[a] N. 55.
[b] N. 57.
[c] N. 86.
[d] N. 26.
[e] N. 79.

http://www.obrascatolicas.com/

gulis diebus, ut supra, infra septa monasteriorum divinas literas, prout auditoribus expedierit, legere teneantur, et in ecclesiis ipsis monasteriis annexatis, ut praemittitur, praedicent...

Item ut in monasteriis de se etiam evadant et effloreant viri literati, et in divino eloquio et pastu animarum salutari concionatores, haec sancta conventio praecipit, ut ex uniuscuiusque huius regni dioecesis monasteriis, iuxta ipsorum monasteriorum facultates, transmittantur, duo aut unus religiosi, vel religiosus ad literarum capacitatem maxime habiles, et ingeniosi, ad universitates omnes proximas vel alias, ut illis libuerit, ibidem saltem ad quadriennium in theologia et sacris litteris studenda remansuri, quo spatio completo remittantur ad ipsas universitates alii religiosi praedicti, pari modo literis vacaturi.

Mansi XXXV, 442-443.

## CONCILIUM OECUMENICUM TRIDENTINUM (1545-1563)

### 92

### De instituenda lectione sacrae scripturae et liberalium artium

(Sess. V, *De ref.*, c. 1)

In monasteriis quoque monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio sacrae scripturae [1] habeatur: qua in re si abbates negligentes fuerint, episcopi locorum in hoc, ut sedis apostolicae delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

In conventibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacrae scripturae lectio similiter habeatur: quae lectio a capitulis generalibus vel provincialibus assignetur digrioribus magistris.

Mansi XXXIII, 30.

### 93

### De ordinationibus

(Sess. VII, *De ref.*, c. 11)

Facultates de promovendo a quocumque [2] non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis episcopis ordinari

[1] Paulus V addidit lectionem Hebraicam, Graecam et Arabicam; vide n. 135.

[2] Sess. VI, *De ref.*, c. 5, in Mansi XXXIII, 46; Sess. XIV, *De ref.*, c. 2, in Mansi XXXIII, 103.



non possint, in litteris exprimendam: et tunc non ordinentur, nisi ab episcopo in sua dioecesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, et diligenti praevio examine. [a]

Mansi XXXIII, 57-58.

### 94

### De obedientia eorum qui ad alium ordinem translati sunt

(Sess. XIV, *De ref.*, c. 11)

Quia vero regulares de uno ad alium ordinem translati, facile a suo superiore licentiam standi extra monasterium obtinere solent, ex quo vagandi et apostatandi occasio tribuitur, nemo cuiuscumque ordinis praelatus vel superior, vigore cuiuscumque facultatis aliquem ad habitum et professionem admittere possit, nisi ut in ordine ipso ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustro perpetuo maneat, ac taliter translatus, etiamsi canonicorum regularium fuerit, ad beneficia saecularia, etiamsi curata, omnino incapax existat. [b]

Mansi XXXIII, 106-107.

### 95

### Item de ordinationibus

(Sess. XXIII, *De ref.*, c. 8)

Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur. [1] Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendetur. [c]

Mansi XXXIII, 143.

[1] Conc. Carth. III, cap. 21, in Mansi III, 883; Sess. XIV, *De ref.*, c. 2, 3, in Mansi XXXIII, 103-104.

[a] Nn. 59, 127, 176.

[b] Nn. 66, 73.

[c] Nn. 59, 93.



http://www.obrascatolicas.com/

## 96

### De aetate ordinandorum

(Sess. XXIII, *De ref.*, c. 12)

Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimumsecundum,[1] ad diaconatus ante vigesimumtertium, ad presbyteratus ante vigesimumquintum aetatis suae annum promoveatur. Sciant tamen episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque, quoad hoc, penitus exclusis.[a]

MANSI XXXIII, 145.

## 97

### Absens studiorum causa in conventibus commoretur

(Sess. XXV, *De Regul.*, c. 4)

Illi autem, qui studiorum causa ad universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent; alioquin ab ordinariis contra eos procedatur.[b]

MANSI XXXIII, 174.

## 98

### De professionis tempore et de professorum aetate

(Sess. XXV, *De Regul.*, c. 15)

In quacumque religione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante decimumsextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulae, vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus.[c]

MANSI XXXIII, 177.

---

[1] Concilium Carthaginense III (397), cap. 4, in MANSI III, 880; Concilium Agathense (506), can. 16, 17, in MANSI VIII, 329; Concilium Toletanum (531), cap. 1, in MANSI VIII, 785; Concilium Toletanum IV (633), cap. 20, 21, in MANSI X, 625.

[a] N. 90.
[b] N. 86, cap. VII.
[c] N. 90.



## 99

### De novitiorum renunciatione et professione

(Sess. XXV, *De Regul.*, c. 16)

Nulla quoque renunciatio aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscumque causae piae, valeat, nisi cum licentia episcopi, sive eius vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum huius favoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita et nullius effectus.

Finito tempore novitiatus superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e monasterio eos eiiciant.[a]

MANSI XXXIII, 178.

# PIUS IV (1559-1565)

## 100

### De forma professionis fidei a promotis et promovendis observanda

(Ex Motu proprio *In sacrosancta*, diei 13 novembris 1564)

§ 1. Cum itaque, iuxta notum sanctissimi Vatis oraculum, timor Domini, sine quo vera religio et catholicae fidei puritas nullibi reperitur, sapientiae sit initium,[b] et qui vel in scientiis proficere, vel eas alios docere parant, supremum Illum sapientiae parentem benignumque largitorem devoto sanae fidei obsequio demereri, veraque sincerae religionis pietate sibi conciliare debeant.

§ 2. Idcirco, hanc fidei puritatem scientiis doctrinisque quibuslibet, tum tradendis, tum addiscendis, tamquam necessariam basim, constituere, et ne simplicia nonnullorum adolescentium, res novas audiendi cupidorum, ingenia in naufragos blandientium haeresum scrupulos[1] imprudenter impingant, occurrere cupientes, motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, quod deinceps nullus doctor, magister, regens vel alius cuius-

---

[1] scopulos.

[a] N. 150.
[b] Ps. CX, 10.

cumque artis et facultatis professor, sive clericus sive laicus ac saecularis vel cuiusvis Ordinis regularis sit, in quibusvis Studiorum generalium Universitatibus aut gymnasiis publicis, aut alibi ordinariam vel extraordinariam lectoris cathedram assequi, vel iam obtentam retinere, seu alias theologiam, canonicam vel civilem censuram, medicinam, philosophiam, grammaticam vel alias liberales artes, in quibuscumque civitatibus, terris, oppidis ac locis, etiam in ecclesiis, monasteriis aut conventibus regularium quorumcumque, publice vel privatim, quoquomodo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere vel exercere.

§ 3. Neque doctores ipsi aut Universitatum seu gymnasiorum eorumdem rectores, cancellarii vel alii superiores, sed nec etiam palatini comites aut alii particulares, facultatem eruditos viros ad eosdem gradus promovendi, etiam a nobis et Apostolica Sede vel alias, undecumque habentes, scholares, tam laicos quam clericos et cuiusvis Ordinis regulares vel alios quoscumque, quantalibet eruditione praeditos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere et admittere.

§ 4. Neque doctores, magistri et scholares ad electionem alicuius in rectorem vel cancellarium Universitatis aut gymnasii procedere; nec ipsi scholares vel alii, quantumlibet docti et alioqui habiles, gradus huiusmodi vel eorum aliquem, palam vel privatim, recipere valeant, nisi doctores videlicet ac regentes, magistri et alii professores, iam ad cathedras et lecturas recepti, in Italia, infra tres; extra vero illam, infra sex menses a die publicationis praesentium computandos; reliqui vero ad cathedras et alias lecturas ibidem in posterum assumendi, ante illorum receptionem, in rectoris vel aliorum superiorum; eligendi autem in rectores vel cancellarios, ante illorum electionem vel saltem admissionem, in ordinarii loci vel eius in spiritualibus vicarii, ac promovendi scholares et alii praefati, ante illorum promotionem, in eisdem ordinarii seu eius vicarii aut doctorum, aliorumque promoventium manibus, praevio etiam processu, vel debita informatione, quantum eis sufficere videbitur, super religione fideque catholica rectorum, cancellariorum, doctorum, lectorum et promovendorum eorumdem per ipsos locorum ordinarios vel eorum vicarios rite facta, praecedente, eandem catholicam fidem, verbis iuxta formae infrascriptae tenorem conceptis, palam et solemniter profiteri teneantur. Et desuper instrumentum publicum confici, ac de processu seu informatione et fidei professione, in privilegio doctoratus vel alterius gradus huiusmodi, specialis ac de verbo ad



verbum mentio et relatio fieri debeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, perpetuo statuimus et ordinamus. [a]

BR VII, 323-324; *Bull. Praed.* VI, 168.

## CONCILIUM PROVINCIALE CAMERACENSE (1565)

### 101

### De studio sacrae theologiae et de novitiorum instructione

(Decreta, tit. II, cap. II et III; tit. XIX, cap. XIV)

Praecipit itaque in collegiis, atque monasteriis doctos viros constitui, qui theologiam doceant: quique in eo praestando eum ordinem teneant, qui maxime auditoribus sit commodus, ut lectionis adminiculo non doctiores tantum, sed probiores evadant.

Curent autem episcopi cum capitulis, et monasteriis, quacumque ratione commodius fieri queat, proposita sive poena, sive praemio, ut frequens sit auditorium: qua in re plurimum valebit docentis industria, si sit efficax in docendo: ut non tantum rem exponere, sed auditorem dicendo retinere, et oblectare possit.

Insuper quo novitiorum, vel novitiarum iuvenum institutio, et formatio ubi laudabiliter continuata est, constantius conservetur: ubi vero neglecta est, diligenter instauretur: mandat omnibus monasteriorum superioribus sancta synodus, ut regulae, ac statutorum monasterii, in quo iuvenes cupiunt profiteri, lectio, et explicatio eisdem novitiis fiat: ne imprudentius voveant, si ipsis minus constet, ad quid se per professionem obligent.

Mansi XXXIII, 1396, 1419.

## S. PIUS V (1566-1572)

### 102

### De ordinationibus

(Ex Const. ap. *Etsi Mendicantium*, diei 16 maii 1567, declaratio 7)

Sessione vero XXIII, capite VIII [b] neminem nisi a proprio episcopo ordinari posse statuens (Concilium Tridentinum), in regula-

---

[a] Sequitur, in § 10, formula eiusdem professionis; invenitur initio *CIC* vel in *Enchir. Cler.* 838.

[b] N. 95.

http://www.obrascatolicas.com/

ribus locum non habere omnino declaramus: ita quod fratres huiusmodi praefatos etiam sacros ordines a quolibet antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, ordinarii loci minime requisita licentia, in locis seu domibus fratrum huiusmodi aut alibi recipere possint.

BR VII, 578.

## CONCILIUM PROVINCIALE SIPONTINUM (1567)

### 103

### De novitiis circa observanda erudiendis

(Decreta, cap. *De monasteriis*)

Superiores autem studiose curent, ut novitii, novitiaeque ad plenum doceantur, quaecumque in regulis, statutis, ordinationibus ab eis observandis continentur; ut quacumque in re eorum debita sciant, et ad votum imprudentes non accedant. [a]

MANSI XXXV, 891.

## S. PIUS V

### 104

### De titulo ordinationis

(Ex Const. ap. *Romanus Pontifex,* diei 14 octobris 1568)

§ 1. Sane, cum non deceat divino ministerio adscriptos cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere, a sacro Tridentino concilio, inter alia, decretum fuit [1] ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias moribus, scientia et aetate esset idoneus, ad sacros ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere; vel alias ordinari non posset, nisi iuxta decreti ab ipso concilio desuper editi formam et tenorem.

§ 2. Cum autem nulla in huiusmodi decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli, uti moleste accepimus, certorum Ordinum religiosi seu canonici vel clerici, intra claustra monasteriorum seu domorum, more regularium, in com-

---

[1] Sess. XXI, *De ref.*, c. 2, in MANSI XXXIII, 124.
[a] N. 101.



muni viventes, qui nunquam, seu non nisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt, Religionis praetextu, titulo sufficientis beneficii, nec iuxta dicti decreti tenorem, ad sacros ordines se promoveri praetendant, et a nonnullis episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconveniens eveniat, ut sic promoti et a claustro exeuntes et per saeculum vagantes, vel mendicare vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore ac Ordinis vilipendio et quamplurimorum christifidelium scandalo cogantur.

§ 3. Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem et decus, quantum in nobis est, sinceris exoptamus affectibus, motu proprio et ex certa nostra scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione, decretum praedictum, de clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos, etiam cuiuscumque Ordinis clericos religiosos sive saeculares, more religiosorum, viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus, ac religiosis et aliis praedictis non professis, ut ad sacros ordines promoveri; necnon omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis et episcopis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, ut ordines ipsos huiusmodi religiosis personis impendere, nisi observata forma dicti decreti, nos, virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae poena, interdicimus et prohibemus, ac contrafacientes per annum a praestatione talium ordinum ipso iure suspendimus.

§ 4. Statuentes et decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad ordines huiusmodi, contra ipsius decreti concilii Tridentini formam, etiam cuiusvis licentiae, illis ab Apostolica Sede vel illarum superioribus, cuiuscumque dignitatis status, gradus et praeeminentiae existant, etsi pontificali dignitate fungantur, vel cardinalatus honore praefulgeant, concessae praetextu, factas, executione praedictorum ordinum omnino carere, nullasque prorsus et irritas existere, sicque promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse. Quinimmo ministrantes privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et aliis gratiis clericis concessis omnino privari, et irregularitatis aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus, nisi a Romano Pontifice vel in mortis articulo, minime absolvi possint. [a]

BR VII, 723-724; *Fontes* I, 129.

---

[a] Nn. 206, 207.

http://www.obrascatolicas.com/

## 105

### De solemni trium votorum substantialium professione

(Ex Const. ap. *Lubricum vitae*, diei 17 novembris 1568)

§ 1. Itaque, de nobis attributae potestatis plenitudine, statuimus ut omnes et singuli priores, praepositi et alii praesidentes generales, provinciales et conventuales necnon canonici et fratres Sancti Georgii in Alga Venetiarum ac Eremitarum Sancti Hieronymi, alias Beati Petri Pisarum, et omnium ac quarumcumque aliarum congregationum, necnon ecclesiarum, domorum et conventuum, in communi et sub obedientia voluntaria et extra votum solemne Religionis viventes, quorum habitus a saecularibus presbyteris est distinctus, qui Religionem amplecti et professionem regularem solemnem emittere voluerint, id in suis quisque conventibus et domibus, intra viginti-quatuor horarum spatium, postquam delegatus noster praesentes litteras eis significaverit, palam et sponte deliberent et declarent; inde convocato quamprimum, per singulas huiusmodi congregationes, generali vel alio supremo, iuxta morem cuiusque congregationis, capitulo, ibique electa una, sub qua degant, ex Regulis approbatis, in quam maior pars vocum ipsius capituli consenserit, trium votorum substantialium professionem regularem intra mensem solemniter emittant, et in ea tam ipsi quam illam deinceps ingressuri atque professuri perpetuum ferant Altissimo famulatum. Sicque professi, vel in suis quisque prioratibus, praeposituris, praesidentiis, administrationibus et officiis confirmentur, vel ad alia transferantur, prout cuique congregationi et superioribus suis videbitur utilius expedire.

BR VII, 725; BM II, 272.

## CONCILIUM SALISBURGENSE (1569)

## 106

### De regularibus

(Constitutiones et Decreta, constitutio XXX)

Cap. III. - Deinde curabunt monasteria sua, iuxta cuiusque necessitatem, piis, honestis, religiosis ac notis fratribus vel sororibus, non adventitiis et ignotis sustentare. [1] Et si professos, quantum satis

[1] C. 4, C. XX, q. 3.



est, non habeant, dent operam, ut bonae spei iuvenes ad habitum recipiant, ita tamen, ne aliquem cogant: nemo enim invitus monasticis disciplinis subiici debet. Quod si quidem aliquis non eligit nec optat, id certe non diligit; quod autem non diligit, facile contemnit. Nullum ergo bonum, nisi voluntarium, quapropter David voluntarie se Deo sacrificaturum pronuntiat. [1] Neque porro ante aetatem legitimam ad professionem quemquam accipiant: « In quacumque enim religione, tam virorum quam mulierum, inquit sacra synodus Tridentina, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui in minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur ». [2] Professio autem antea facta, sit nulla; nullamque inducat obligationem ad alicuius regulae vel religionis vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. Finito autem tempore probationis alicuius, illius superior, eumdem novitium vel novitiam, si iudicaverit habilem ad profitendum, admittat; sin minus, e monasterio dimittat.

Cap. VII. - Statuimus etiam et ordinamus, ut in virorum monasteriis, praeter vitae regularis ac caeremoniarum ordinis instructorem, qui eiusdem professionis, et maturus, prudens ac exemplaris esse debet, alius quoque vir pius ac doctus habeatur, si ille ad hoc praestandum insufficiens seu impotens fuerit iudicatus, qui novitios et alios iuvenes in humanioribus instruat litteris, deinde in liberalibus artibus. Quia, teste S. Hieronymo, « monachus, qui liberalibus in adolescentia est eruditus studiis, iugum Christi collo suo imposuit ». [3] Et si inter eos bonae fuerint indolis, alicuiusque exspectationis, ad universitates bene christianas, aliquot annis theologiae operam daturi mittantur: ita tamen, quod illic non alio in loco, uti etiam Tridentinum determinat concilium, quam in monasteriis et in habitu religionis, quam professi sunt, sub cura et oculis honestorum praeceptorum degant. [4] At si quispiam eorum stupidior fuerit, quam quod litterarum doctrinam assequi possit, is in monasterio circa sacerdotii necessaria ad minus, ut fieri poterit, instituatur. Quod si nec ad ea percipienda fuerit aptus, tunc a sacrorum ordinum limine, tanquam inutile pondus terrae, arceatur.

Mansi XXXVI-A, 226-227.

[1] *Ps. LIII*, 8.
[2] N. 98.
[3] Ad Rusticum: ML XXII, 1077.
[4] N. 97.

http://www.obrascatolicas.com/

## S. PIUS V

### 107
### De novitiatu

(Ex Const. ap. *Ex innumeris,* diei 8 martii 1570, ad Ordinem Cluniacensem)

§ 8. Et ut novitii, qua decet disciplina informentur, unum aut duo monasteria in quaque provincia, uti commode fieri poterit, ordinentur, in quibus magistri etiam ceterorum monasteriorum novitios divini officii rationem et regularis observantiae instituta doceant; ita ut quodque monasterium necessaria suis suppeditet; et si nullos habuerit, alii pro eo eiusque impensis recipiantur et instruantur.[a]

BR VII, 814.

### 108
### De forma promovendi ad gradus et de novitiis

(Ex Const. ap. *Postquam nos,* diei 30 maii 1570, ad Ordinem FF. Servorum B. M. V.)

§ 11. In maioribus Studiis regentes duas lectiones theologicas interpretentur, alteram practicam, veluti de sacramentis vel de vita sancte recteque instituenda; alteram vero speculativam, ex catholicis et approbatis doctoribus, superioris arbitrio statuendas: in minoribus vero, una lectione ex theologia practica contenti sint.

§ 15. Nullus ad aliquem gradum promoveatur, nisi aetate, vitae probitate et literatura praestans, et in eis probatus per examen diligens a priore generali seu ab aliis, qui per eum huic muneri ordinabuntur, faciendum, deinde in capitulo generali publice iterandum. Aetas autem et tempus ac cursus exprimatur; et praeterea probetur quod promovendus nulla umquam infamia seu sinistra opinione fuerit maculatus. A promovendis ad gradus huiusmodi nihil omnino exigatur, nec etiam sponte oblatum accipiatur; verumtamen si, promotione facta, conventus promotorum aliquid Religioni donare voluerit, id, quicquid sit, procuratori generali Ordinis tribuatur, ut ad levationem onerum omnium Religionis conferatur; eodem procuratore, acceptorum et expensorum rationem priori generali et diffi-

[a] N. 71.



nitoribus reddituro. Ceterum, omnes a decem annis promoti, rursus per probos et idoneos viros, a priore generali in quaque provincia constituendos, examinentur; et qui saltem mediocri scientia in theologia praediti reperti non fuerint, usu et exercitio gradus suspendantur, nec debeant privilegio gradus huiusmodi gaudere. Caveant praeterea superiores licentiam ulli fratri concedere ut ad aliquos ordines sacros sive maiores sive minores promoveri possit, nisi ille in aetate legitima constitutus et literatura ad eos requisita praeditus sit, habeatque omnia quae a sacris canonibus regularibusque institutis requiruntur; aliter promotus ab suorum ordinum executione suspendatur, et licentiam concedens officio deponatur, et per sexennium inhabilis ad omnia officia habeatur. Sed et nostra constitutio, qua cavetur ne quis regularis, ante emissam a se expressam professionem regularem, ad sacros ordines promoveri possit, inviolabiliter observetur.[a]

§ 23. Novitii, etiam oblati, ante decimumoctavum aetatis suae annum completum non recipiantur, neque ante decimumnonum completum ad professionem admittantur; qui hactenus recepti, etiam oblati, decimumquintum annum non compleverint, dimisso habitu Religionis, domum ad parentes et necessarios, etiam inviti, remittantur, vel alias omnino emittantur, nec postea in aedibus unde exierint aut in aliis eiusdem Ordinis domibus ullo modo debeant conversari. Laici, qui vigesimumquintum annum non attigerint, ad serviendum non accipiantur, et qui recepti etiam nunc ea aetate minores sunt, reiiciantur. Novitii non admittantur aut educentur, nisi in conventibus insignioribus,[b] in quibus dormitorium et capitulum habeant omnino separatum, cuius ingressus aliis fratribus sit penitus interdictus. In eisdem domibus sit unus magister, aetatis provectioris, moribus et doctrina praeditus, qui diligentem habeat praedictorum novitiorum curam et illis praesit. Ipsi autem in grammatica, cantu, caeremoniis et iis, quae ad christianam disciplinam faciunt, instruantur; nec e loco novitiatus, nisi ad ecclesiam, refectorium et ad publicas processiones et interdiu ad aliquam honestam recreationem cum fida custodia exire debeant.[c]

BR VII, 823-825; BM II, 306-307.

[a] N. 104.
[b] N. 107.
[c] Similiter Const. ap. *Quoniam,* diei 29 aprilis 1570, ad O. Erem. S. Aug., in *Bull. Erem. S. Aug.,* p. 313 ss.

http://www.obrascatolicas.com/

## 109

### De recipiendorum novitiorum qualitatibus

(Ex Motu proprio *Pastoralis officii*, diei 28 maii 1571, ad Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia)

§ 11. Postremo, quod in novitiis recipiendis fiat inquisitio de moribus et vita eorum iuxta Regulam eiusdem Beati Francisci [a] quae ait, *Diligenter examinent eos de fide catholica et de ecclesiasticis sacramentis* etc. Et fiat inquisito de progenitorum suorum defectu: volentes quod iis, qui ex maumethanorum vel iudaeorum genere descendunt, cum, post susceptum ab eis sacrum Baptisma, graeci et iudaei distinctio esse non debeat, nullatenus defectus generis huiusmodi, quo minus in Ordinem praedictum recipiantur, et ad consequendas in dicto Ordine dignitates, gradus et officia Religionis, vel cuipiam alteri nocere possit vel debeat. Et quoad descendentes ex haereticis, videlicet conversis, pariter minime circa praemissa quicquam obstet.

§ 12. Quoad vero illos qui ex haereticis damnatis et non conversis, vel quorum statuae combustae fuerint, originem ducunt, per lineam paternam usque ad secundam generationem, per lineam autem maternam usque ad primam tantum in praemissis obesse decernimus, et idem servetur in fratribus, qui ad sacros, etiam presbyteratus, ordines admittuntur.

BR VII, 918.

## SYNODUS CONSENTINA (1579)

## 110

### De lectione sacrae Scripturae

(Decreta, cap. De praebenda theologali et lectione sacrae Scripturae in monasteriis)

Admonentur insuper omnium monachorum superiores, ut in conventibus ipsorum, ubi sacrae scripturae lectio commode haberi poterit, illam a capitulis generalibus, vel provincialibus dignioribus magistris secundum praedicti decreti ordinationem assignandam curent. Quod si facere neglexerint, episcopi omnes, ut Apostolicae sedis delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.

[a] Cap. II.



Is vero, qui lectioni huiusmodi deputatus fuerit, tam publice, quam privatim, non admittatur, nisi prius de vita, moribus, et scientia fuerit examinatus, et per fidei professionem admissus, iuxta sepe memoratas litteras fel. rec. Pii Papae Quarti. [a]

Mansi XXXV, 916.

## CONCILIUM PROVINCIALE RHEMENSE (1583)

## 111

### De novitiis, de studiis et de studentium moderatore

(Decreta, cap. *De regularibus*)

2. Primum autem statuimus, ne qui inviti tradantur in monasteria, ne quod Christus dominus consilii esse voluit, libertatis consensum expectans, ac ita pronuncians, Qui potest capere, capiat, [b] vim iam praecepti aut necessitatis habere videatur. Quisquis vero virginem, vel mulierem invitam ad monasticam vitam adegerit, (praeterquam in casibus a iure expressis) vel qui consensum, auxilium, consilium, vel auctoritatem sciens et prudens interposuerit, anathema sit.

3. Et quoniam arma huius sanctae militiae non debent esse carnalia, (ut verbis apostoli utamur) adulti monasterium ingressuri, vel puerorum parentes qui illos offerunt, moneantur, ut alia non subeat ipsorum animos cogitatio, quam sempiternorum bonorum. Quisquis igitur otium, honores, beneficia, vel alia temporalia quasi scopum sibi proponit, vitam monasticam suscepturus, vereatur ne mittatur in tenebras exteriores, non afferens vestem nuptialem, [c] cui periculo se etiam obnoxios parentes noverint, qui liberis ingressum religionis procurant, vel quod natura sint ad res gerendas inepti, animo hebetes, vel corpore vitiosi, aut valde deformes: vel certe ut aliis liberis istorum quasi ablegatione ampliores opes relinquant.

4. Multum Deo displicet infidelis et stulta promissio: ideo monasteriorum novitii non munusculis, vel blanditiis alliciantur, sed praedicentur potius eis dura et aspera. Et dum tempus novitiatus exegerint (quod vel unius saltem anni, et non nisi post finem decimi sexti anni, debet expleri) aut profiteri teneantur, aut si ad religionis

[a] N. 100; idem in Concilio prov. S. Severinae, anno 1597, Decreta, cap. ut supra, in Mansi XXXV, 1035.
[b] *Mt.* XIX, 12.
[c] *Mt.* XXII, 12.

http://www.obrascatolicas.com/

onera sint inepti, emittantur cum his bonis, quae ad monasterium secum attulerunt, deductis tamen vestibus et alimentis.

5. Operae pretium esse putamus, ut aliquot ex iunioribus, qui sint bonae indolis, in academias bene Christianas proficisci permittantur, literis humanioribus theologicisque operam daturi, modo in collegiis regularibus, habitu religionis servato, vivant ex portione congrua illis assignata, ab his qui proventus annuos percipiunt. Qui si gradum postea consequantur in aliqua facultate, non tamen ab officiis monasterii, et regulae suae obedientia sint immunes.

6. Aliis praeficiatur vir pius et doctus, cuius monitis et ductu discant assuescantque iam ab ipsa adolescentia meditari die ac nocte in lege domini, quique illos in sacris litteris diligenter exerceat, assidue commonefaciens de assumendo gladio spiritus, quod est verbum Dei. Rem quippe nullis satis dignam lacrymis putamus, aliquot iam saeculis verbum Dei neque praelegendo, neque concionnes habendo in illis locis explicari, in quibus olim omnis doctrinae atque virtutis scholas fuisse ecclesiasticae testantur historiae.

Mansi XXXIV, 702-703.

## CONCILIUM PROVINCIALE BURDIGALENSE (1583)

### 112

### De admittendis ad novitiatum, ad professionem et ad studia

Cap. XXV. - Et quia experientia docet, disciplinam religiosam, eorum vitio ex parte collapsam esse, qui in religiosas familias intrusi, aut alia quavis ratione humana inducti potius, quam a sancto Spiritu vocati fuerunt; diligentissime superiores animum atque voluntatem eorum explorent, qui ad novitiatum vel professionem admittendi erunt, nec quemquam recipiant, aut profiteri nullo modo permittant, nisi de divina eius vocatione, atque etiam perseverandi voluntate, non obscura sed perspicua argumenta habuerint, licet pauciores futuri sint religiosi. Sancta enim et religiosa paucorum congregatio, quantumvis magna ineptorum hominum multitudine, Deo et hominibus acceptior est, et ecclesiae utilior...

Nulli autem eorum, qui studiorum causa in aliqua sunt universitate, alibi habitare fas sit, quam in monasterio et conventu: alioqui in eos animadvertat ordinarius. [a]

Mansi XXXIV, 779.

[a] N. 97.



## SYNODUS PROVINCIALIS TURONENSIS (1583)

### 113

### De erudiendae iuventutis moderatore

Cap. XVI. - Qui noviciandi praesentabunt se abbati, priori et conventui: qui super capacitate et insufficientia supplicantis, in praesentia infirmarii diligenter inquirent si sit sanus mente et corpore, habilis ad portandum iugum domini et onus regulae. Qui si repertus fuerit idoneus, facta prius professione fidei, regulari cuculla induetur: ideoque sanxit concilium, priorem claustralem cuiusque monasterii vicarium esse destinatum ad induendos praesentatos habitu noviciorum, eosdemque ad professionem admittendos, et ad concedendam licentiam, ut ad ordines tam minores quam maiores rite valeant promoveri.

Prohibemus omnibus abbatibus et monachis praeter iura consueta cuiusque monasterii rationi consentanea sub poenis a canone indictis pecuniam aut quid aliud pro monachatione accipere.

Statuit haec synodus in omnibus et singulis quorumcumque ordinum monasteriis, certum confici regestum, in quo singuli abbates vel priores claustrales et alii iisdem praefecti, omnium et singulorum qui dicta monasteria posthac ingredientur et religionis habitum suscipient ac etiam vovebunt, seu ordinem profitebuntur, nomina cognomina et aetates, una cum die, mense et anno quibus et habitum susceperint ac etiam voverint, annotare tenebuntur: cui regesto ut plenissima fides adhiberi possit, ipsum per abbatem vel priorem claustralem qui eos ad habitum et votum admiserint, ipsumque suscipientem vel voventem necnon duos aut tres testes qui adfuerint, signari, et in monasterio quam accurate fieri poterit, asservari mandamus.

Utque magis habitus susceptio et emissio voti innotescant et palam sint, mandat synodus ut publice in sacrario seu choro ecclesiae monasterii post maioris missae offertorium omnibus religiosis assistentibus, saltem intimatis, et de eorum assensu habitus susceptio et voti amissio, fiant.

Nullus ante probationis annum et nisi decimum sextum suae aetatis compleverit, ad professionem admittatur. [a]

[a] N. 98.

http://www.obrascatolicas.com/

Eligatur per abbatem, priorem et conventum vir moribus et doctrina commendatus, cui demandetur cura erudiendae monasticae iuventutis, aliosque doctrina indigentes monachos doceat: stipendia autem ab abbatibus accipiat. [a]

Ex monachis professis cuiusque monasterii eligantur ab abbate seu priore et conventu qui ad universitates et studia generalia transmitti possint: In ipsis monasteriis eo relicto numero qui ad divinum celebrandum officium sufficiat, quibus per abbatem seu priorem et conventum, camerarium etiam et cellerarium, aliosque officiarios ea erogabuntur, quae in monasterio residentibus suppeditari deberent.

Mansi XXXIV, 841-843.

## SYNODUS PROVINCIALIS CAMERACENSIS (1586)

### 114

### De sacra lectione theologica

(Decreta, tit. XX)

III. Sacra lectio Theologica ubique habeatur; ad quam omnes religiosi conveniant, exceptis iis, qui propter administrationem rerum monasterii sibi commissam legitime impediuntur: Et praeter eam etiam pro novitiis lectio fiat pro eorum capacitate; ad sacros ordines nonnisi bene instructi in caerimoniis ecclesiasticis, et rudimentis doctrinae Christianae praesententur.

Mansi XXXIV, 1253.

## SIXTUS V (1585-1590)

### 115

### De illegitimis, criminosis, aere alieno gravatis non recipiendis

(Ex Const. ap. *Cum de omnibus*, diei 26 novembris 1587)

Cum de omnibus ecclesiasticis Ordinibus, in ea, qua convenit, puritate et dignitate conservandis, praecipuam geramus sollicitudinem, tum vero illud praeter cetera nobis cordi est ut a regularium personarum congregationibus, quas, tamquam Deo dicatas, maxime

[a] N. 107.



candor sanctitasque decet, cuiuscumque criminis aut turpitudinis labes et scandali occasio quam longissime arceantur. Siquidem res ipsa nos admonet quam indecorum sit, et ab ea quae divinae Maiestati eique consecratis personis debetur reverentia alienum, si eiusmodi homines, qui propter sua scelera poenas graves sibi in saeculo propositas timent, quive propter immunditiam et peccata, ex quibus orti sunt, notati perpetua ignominia, ab omni mundano honore et a paterna haereditate repelluntur, iidem omnipotenti Deo tamquam hostiae offerantur, atque ad habitandum in domo, quam decet honor et sanctitudo, inter ministros Domini, cui servire regnare est, ad sacras functiones, quacumque profana praeeminentia multo nobiliores, sine ullo delectu admittantur. Cum etiam secundum leges Moysis, immundi ab ingressu sanctuarii excluderentur, ac sacerdos habens maculam, panes Deo suo offerre non posset, nec accedere ad ministerium eius, et quod in holocaustum Domini aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum esse deberet, ut acceptabile foret, nec ulla macula esset in eo, quod si maculam habuiset, neque offerendum neque acceptabile futurum esset.

§ 1. Ne igitur contingat illegittime genitos, qui ut plurimum parentum vitia et incontinentiam imitari solent, nec pietatis studio, sed temporalium commodorum intuitu (quia haereditates maiorum aut dignitates aliquas consequi non possunt) ad Religionem confugiunt et vitam, quam animo a religione alieno susceperunt, ab institutis religiosis alienam, plerumque cum dedecore et propriae salutis dispendio ducere, suisque corruptis moribus et malis exemplis quietem et statum ceterorum Deo famulantium perturbare, aut hac quasi faece et colluvie, ipsarum Religionum honorem et existimationem laedi, ut denique homines, qui hac spe ad filios spurios in peccato gignendos essent propensiores, eo magis abstineant ab huiusmodi carnis flagitiis, quo suae proli hoc quoque refugium praeclusum viderint:

§ 2. Hac nostra in perpetuum valitura constitutione districte interdicimus et prohibemus ne illegitimi procreati ex incestu aut ex sacrilegio (quorum scilicet parentes consanguinitate vel affinitate intra tertium gradum invicem coniuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo voverit) etiam apostolica, imperiali vel regia aut quavis alia auctoritate legitimati aut natalibus restituti, ad aliquam quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, et non Mendicantium, fratrum, monachorum, eremitarum vel canonicorum aut clericorum regularium, congregationem aut hospitalium Religionem,



http://www.obrascatolicas.com/

neque ad habitum nec professionem regulares, recipi vel admitti quoquo modo possint. Quod si eorum quispiam habitum post publicationem praesentis constitutionis in futurum receperit, vel professionem posthac emiserit, decernimus habitus susceptionem et professionem ex nunc prout ex tunc irritam, nullam et invalidam, nulliusque roboris vel momenti fore, ac nullum exinde, aut ex huiusmodi voto penitus annullato, obligationis vinculum oriri posse, quinimo illos habitu regulari, ad quem reassumendum perpetuo inhabiles sint, quamprimum exui et ab ipsa Religione eiici exterminarique debere. Et nihilominus quicumque superiores, tam monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, domorum, collegiorum et locorum regularium, quam etiam praefatorum Ordinum, congregationum, hospitalium et quarumcumque Religionum provinciales vel generales, quovis nomine nuncupati, qui ex praedictis incestu vel sacrilegio genitos post dictam publicationem ad habitum receperint vel ad professionem admiserint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua eorum nemo, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Sed ne iis, qui in humilitatis spiritu, Deo et Religioni servire et poenitentiam agere intra monasteria vel domos regulares cupiunt, ad sanctum huiusmodi propositum via penitus praecludatur, permittimus ut praefati illegitimi, ex dictis incestu aut sacrilegio geniti, ad habitum conversorum seu famulorum in monasteriis vel domibus regularibus servientium recipiantur, et in ipsis monasteriis seu domibus regularibus ad servilia ministeria, viliora obsequia, humiles functiones atque abiecta servitia admitti possint; ea tamen conditione ut ad habitum religiosorum vel ad professionem quam religiosi emittere solent emittendam, nec non ad omnes, non modo sacros, sed etiam minores Ordines, vel ad clericalem characterem, denique ad cuncta ecclesiastica officia et functiones, et ad ascendendum ad altiores gradus sint eis portae perpetuo clausae et obseratae.

§ 3. Quoad reliquos vero non ex incestu praefato nec sacrilegio, sed ex quovis alio minus legitimo toro natos, spurios vel naturales, etiam, ut praefertur, vel alias legitimatos, qui ob meliorem vitae frugem, Religionem ingredi cupiunt, statuimus et ordinamus eos ad Religionem admitti non posse aut debere, nisi prius, illorum vita et moribus diligenter cognitis, et circumstantiis universis, quae circa idoneitatem personae attendendae erunt, considerati, ac de Religionis zelo, pietate, integritate et doctrina fide dignis testimoniis adeo commendati fuerint, adeo bonam indolem et specimen virtutis praeseferant, ac tot merita eis suffragentur, ut defectum natalium suppleant, eorumque receptio universae religionis commodo et utilitati profutura vedeatur; et super hoc ipso in generali vel provinciali capitulo matura deliberatione habita, generalis vel provincialis superioris ac diffinitorum unanimi consensu approbati et ad habitum regularem admissi extiterint. Et tamen hi sic recepti ad gradus, honores et dignitates sui Ordinis obtinenda perpetuo inhabiles et illorum incapaces remaneant, nisi super hoc cum eis fuerit auctoritate apostolica specialiter dispensatum. Si quis autem eorum alias, quam ut praefertur, recipietur, professio similiter nulla sit, atque ipsi habitu privari et a Religione eiici debeant, eorumque receptores excommunicatione, ut supra, innodati ipso facto existant.



§ 4. Ceterum, quoniam saepe se vitia ingerunt, et se esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores post dilapidatam rem familiarem et contractam ingentem vim aeris alieni, aut interversam alienam pecuniam eorum fidei creditam, ut rationes effugiant, alii post furta, latrocinia, rapinas, homicidia aliave facinora patrata, etiam banniti aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis poenas metuunt, non pia intentione, sed ad evitandam legum et iudiciorum severitatem, quia tuto in saeculo vivere non possunt, tunc demum quaerunt a Religione auxilium, quando aliunde illud non sperant, unde sub habitu et nomine religiosorum, animum Religioni inimicum et inveterata vitia retinent, neque alios qui sancta vocatione vocati sunt, patiuntur tranquille divinis obsequiis insistere, in gravem Dei offensam, religionis opprobrium et scandalum plurimorum; ut his quoque subterfugii et impunitatis spes hominis tollatur, auctoritate apostolica et tenore praesentium, etiam perpetuo statuimus et ordinamus iuvenes aut viros adultos, maiores sexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi posse nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria deque anteacta vita et moribus diligenter inquiratur, et ex accurata informatione et fide digna relatione compertum et exploratum sit eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia vel alia similia aut graviora, reos vel suspectos existere, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur formident, neque ingenti aere alieno supra vires facultatum suarum gravatos, vel reddendis rationibus ita obnoxios, ut, ex huiusmodi causa, lis vel molestia eis iam illata vel timendum sit ne inferatur. Nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum devotionis et pietatis fervore vitam religiosam sponte et ex animo elegisse; deque his omnibus in generali vel provinciali capitulo plena et indubitata

http://www.obrascatolicas.com/

fide facta, tam superioris generalis seu provincialis quam diffinitorum consensu approbati et ad habitum regularem admissi fuerint; omnes autem et quoscumque, ut dictum est, criminosos vel suspectos aut aeri alieno, ut etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus. [a]

§ 5. Et si qui eorum contra praesentem nostram constitutionem temere admittentur, tam susceptionem habitus quam professionem et inde secuta ex nunc prout ex tunc pari modo irritamus et annullamus, viribusque et effectu carere decernimus, ac iubemus eos, qui sic de facto recepti erunt, habitu spoliari et a Religione expelli; et nihilominus si expulsi non fuerint, volumus et pariter declaramus habitus susceptionem et professionem penitus nullam esse et censeri, ac propterea, attenta nullitate habitus et professionis, licere quibuscumque iudicibus et curiis, etiam saecularibus, ad quos seu quas spectat, contra eos, ut prius, iuris et facti remediis opportunis, ex officio vel ad cuiuscumque instantiam vel querelam civiliter, criminaliter aut mixtim procedere. Quare volumus ut cuiusque iuvenis aut viri maioris XVI annis, a saeculo ad Religionem transeuntis approbatio, admissio et receptio, in generali vel provinciali capitulo, ut supra ordinatum est, pro tempore fiant; necnon religiosi sic recepti nomen et cognomen quibus in saeculo utebatur, et patria in actis ipsius capituli describantur et notentur.

§ 6. Et insuper quoscumque religiosos eorumque superiores, qui aliquas personas, ut dictum est, inhabiles post hanc constitutionem publicatam receperint, voce activa et passiva, necnon officiis, gradibus, honoribus et dignitatibus quibuscumque per eos obtentis eo ipso in perpetuum privamus, et tam illis privatos, quam ad illa et alia quaecumque in posterum obtinenda perpetuo inhabiles eorumque incapaces decernimus et declaramus. [b]

BR VIII, 951-954; BM II, 607; *Bull. Cap.* VI, 308-311; X, 207-208; *Bull. Carm.* II, 245-248; *Bull. Praed.* VI, 206-207.

---

[a] Vide Conc. Nic. (325), Decreta et Constitutiones sanctorum CCCXVIII Patrum Nicaeae congregatorum de monachis et anachoretis (opus apocryphum e saec. V-VII), cap. XIII, in MANSI II, 1017.

[b] N. 118.



## SACRA CONGREGATIO SUPER CONSULTATIONIBUS REGULARIUM

### 116

### Aere alieno gravatus ad professionem non admittendus

(Resolutio *Pistorien.*, a. 1587, ad Superiorem Conventus S. Hieronymi)

Utrum possit admitti ad professionem debitor?

Resp.: Prior non admittat ad professionem quousque solverit universum debitum vel concordaverit cum creditoribus.

*Fontes* IV, 1410.

## SIXTUS V

### 117

### De novitiis deque eorum magistro

(Ex vivae vocis oraculo, diei 27 augusti 1588, ad Ordinem Fratrum Praedicatorum)

Primo de cetero Novitii, qui in minoribus Conventibus habitum Religionis assumpserint, ad Conventus Maiores, et Religiosos transmittantur, ubi in dormitorio communi cum debita clausura, et saltem in numero senario possint educari, sub Magistro discreto, et religioso. Quod si aliquis Praelatus in posterum professiones alicuius Novitii recipere praesumpserit, qui iuxta tenorem huius decreti non fuerit institutus, et educatus, vel intra mensem, ut dictum est, scienter Novitium non transmiserit ad Conventum, in quo religiose iuxta dicta instituatur, ipso facto sit excommunicatus, et a gradu, et officio ordinis indispensabiliter privatus. Ut autem ordinatio ista debite observetur, praecipitur in virtute Spiritus Sancti, et sub sanctae obedientiae praecepto formali Provincialibus, seu Vicariis, quod in suis Provinciis, vel Congregationibus, infra spatium duorum mensium a notitia praesentium, Conventus aliquos designent, ad quos transmittantur, qui in minoribus, et non aptis pro illorum institutione sunt vestiti, ubi annum probationis peragent, et suo tempore professionem facient, pro illis Conventibus, in quibus habitum ordinis susceperunt. Et sic professi, ab illa religiosa, vel consimili societate, et a cura Magistri Novitiorum, non amoveantur ad minus post biennium integrum ab emissa professione.

Secundo praecipitur sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ne Prior Provincialis, seu Conventualis, possit ad nutum

http://www.obrascatolicas.com/

instituere Magistrum Novitiorum, vel iam institutum ab officio amovere, nisi ex consensu Diffinitorum, si de hoc in Capitulo Provinciali tractetur, vel ex consensu maioris partis Patrum, a consiliis illius Conventus, in quo Magister Novitiorum est instituendus, vel amovendus, quando de hoc extra Capitulum tractatur.

*Bull. Praed.* V, 467.

## 118

### Declarationes supra const. ap. « Cum de omnibus » [a]

(Ex Const. ap. *Ad Romanum,* diei 21 octobris 1588)

§ 3. Cum itaque inter alia dubitetur, num primo dicta nostra constitutio, ubi de illegitime genitis loquitur, comprehendat etiam eos qui postea per subsequens matrimonium fuerunt legitimati; nos, inhaerentes sacrorum canonum dispositioni, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus illegitime natos ex iis parentibus, inter quos tempore quo ipsi geniti sunt, matrimonium rite consistere poterat, secuto postea matrimonio legitimos effectos, sub dicta constitutione minime comprehendi, sed eos, tam quoad emittendam professionem quam quoad consequendos gradus, honores et dignitates sui Ordinis, aequo iure cum illis, qui ex matrimonio legitimo et constanti nati sunt, censendos esse.

§ 6. Quoniam vero a multis quaesitum est sub nomine honorum, graduum et dignitatum, a quibus illegitimi penitus excluduntur, quid potissimum sit intelligendum; declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, graduum debere intelligi praepositatus, abbatiatus, prioratus, guardianatus, custodiatus, provincialium ac generalium superiorum officia et alia his similia, cum honore et superioritate coniuncta. Ab officiis autem oneris, veluti lectoris, confessarii, studiorum et sacrae theologiae magistri, regentis, praedicatoris verbi Dei et ceteris huiusmodi, immo etiam a voce activa, a sacris ordinibus suscipiendis, ipsorumque ministerio, ipsos illegitimos, dummodo ex sacrilegio vel incestu geniti non sint, nequaquam arcemus.

§ 10. Neque vero si in generalibus vel provincialibus capitulis aliqui vocales desint, nec si a diffinitorum consensu aliquis discrepaverit, idcirco receptio religiosorum retardari, impediri aut impugnari debebit, sed satis esse volumus si vocalium et suffragiorum numerus

[a] N. 115.



legitimus, a iure vel per cuiuscumque Ordinis statuta praefinitus, intervenerit.

§ 12. Quod autem pertinet ad professionem, tam illegitimorum quam eorum qui post sexdecim aetatis annum expletum, regularem habitum susceperunt, quia tunc demum vere et proprie religiosi effici dicuntur, cum professionem emittunt; declaramus eos qui ante praedictam nostram editam constitutionem habitum susceperint, et post ipsius promulgationem cupiunt profiteri, non alias ad professionem admittendos esse, quam facta inquisitione, et servata forma in ipsa constitutione praescripta; et eorum, qui post dictam promulgationem, etiam ignoranter, non habita dicta inquisitione, et non servata forma, ad professionem admissi fuerint, professionem nullius esse roboris et momenti. In oblatis autem et conversis professionem emittentibus, satis erit si quoad mores et statum personarum ipsa inquisitio fiat.

§ 13. Sed cum eadem ratio vigeat in tacita professione emittenda, quae militat in expressa, statuimus quod in quibusvis Ordinibus et Religionibus, neque etiam tacita professio quorumcumque religiosorum induci possit nec inducta intelligatur, nisi in receptione constitutionis forma servata fuerit.

§ 15. In iis autem qui, in locis a sua patria longissime remotis degentes, vel quorum patria ab haereticis vel infidelibus misere oppressa detinetur, voluerint se divinis obsequiis sub regulari habitu dicare, ut in hoc quoque Sedis Apostolicae benignitas elucescat, quae cunctos mortales, praesertim vero exteros ex longinquis regionibus ad eam assidue confluentes, materno sinu libenter amplectitur, sancimus exteros huiusmodi et advenas, quamvis non liquido constet de iis omnibus quae in constitutione nostra requiruntur, tamen si, diligentia adhibita, nihil appareat quod eos impediat, habiles reputandos esse.

§ 16. Quod si quis ante vel post constitutionem ipsam professus, ad sacros ordines vel honores, gradus et dignitates promotus existat, et postmodum in eo natalium defectum aut criminum in dicta constitutione nostra expressorum notam, quae prius ignorabantur, detegi contigerit, decernimus eum statim, post huiusmodi defectus notitiam habitam, non alias quam iuxta formam ipsius constitutionis, ad honores, gradus et dignitates, aut ad executionem sacrorum ordinum admitti debere. [a]

BR VIII, 956-958; *Bull. Cap.* VI, 311-314; *Bull. Carm.* II, 250-253; Bizzarri, 845.

[a] N. 119.

http://www.obrascatolicas.com/

## GREGORIUS XIV (1590-1591)

### 119

### Moderatio constitutionis ap. « Cum de omnibus » [a]

(Ex Const. ap. *Circumspecta*, diei 15 martii 1591)

§ 2. Nos igitur ea quae docuit experientia salubriter fuisse constituta, confirmare, quae vero moderatione aliqua indigere, moderari volentes, ac dictarum constitutionum et inde sequutorum quorumcumque tenores, etiam veriores, praesentibus pro expressis habentes, habita cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus super negociis et consultationibus regularium deputatis matura deliberatione, de eorumdem consilio, praedictas constitutiones in ea parte qua cavetur ne illegitimi ex certo inibi expresso damnato thoro vel complexu, ad quamcumque Religionem neque ad habitum aut professionem regulares, sed tantum ad habitum conversorum aut famulorum in monasteriis aliisque locis regularibus servientium admittantur; et si post dictam constitutionem professionem emitterent, voluit illam nullius esse momenti. Et in alia parte, in qua illegitime genitos, etiam ante ipsas constitutiones professos vigore privilegiorum aut indultorum apostolicorum, cuivis Ordini, Religioni, monasterio aut congregationi eorumve superioribus, in genere vel in specie ut praefertur, concessorum, etiam ipsos per ingressum Religionis, vel per eosdem superiores legitimatos, seu ad gradus, honores et dignitates habilitatos seu integratos ab honoribus, gradibus et dignitatibus quibuscumque, tam antiquis quam aliis privilegiis, litteris apostolicis, indultis aut declarationibus non obstantibus, excludi, ac dispensationes quascumque aut legitimationes non suffragari, neque in futurum cum his, nisi a Sede Apostolica, privilegiis quibuscumque non obstantibus, dispensari posse voluit; auctoritate apostolica, tenore praesentium, ad terminos iuris reducimus et moderamur, ac omnes dispensationes et habilitationes, vigore privilegiorum aut indultorum apostolicorum cuivis Ordini, Religioni, monasterio aut congregationi eorumve superioribus, in genere vel in specie, ut praefertur, concessorum, quae tempore constitutionum huiusmodi usu recepta et non sub ullis aliis revocationibus comprehensa erunt, per quoscumque

[a] Nn. 115, 118.



eorum superiores factas, in pristinum statum et validitatem, in quibus ante ipsas constitutiones existebant, restituimus et reintegramus. Volentes iisdem constitutionibus non obstantibus, eos, qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum et professionem regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant si supradictae constitutiones editae non fuissent.

§ 3. Ita tamen ut, cum de recipiendis quomodocumque illegitime natis ad habitum et professionem Ordinum quorumcumque agatur, ii, ad quos huiusmodi receptio spectat, praeter alia de quibus, ex dictarum constitutionum praecepto, circa quoscumque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam et mores inquirant, et ita demum recipiant, si tamen bonam indolem et virtutis specimen praeseferant, ac tot eis merita suffragentur ut natalium suppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo et utilitati profutura videatur. Et super hoc ipso ii, ad quos, ut dictum est, pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione habita, ita censuerint et iudicaverint, dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua pater sive ante sive post nativitatem dicti filii professus fuerit, ipso patre vivente, non admittatur, quod expresse prohibemus.

§ 4. Volumus quoque ac statuimus licere generali aut provinciali singulorum Ordinum aut congregationum aut hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat iuxta tenorem privilegiorum et indultorum apostolicorum eis concessorum, quae, dummodo usu recepta nec alias sub ullis revocationibus comprehensa sint, ut praefertur, in hac parte revalidamus, cum illegitimis quos dictus generalis aut provincialis, cum generali, provinciali seu intermedio capitulo, et non alias, suffragantibus meritis dignos iudicaverint, ad honores, gradus et dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ita factas et inde sequuta quaecumque, ut antea, valere et tenere, perinde ac si supradictae constitutiones non emanassent. [a]

BR IX, 392-393; *Bull. Cap.* VI, 306-308; X, 208-209; *Bull. Carm.* II, 258-259; BIZZARRI, 845-846.

[a] N. 130.

http://www.obrascatolicas.com/

## CLEMENS VIII (1592-1605)

### 120

### De privilegiis lectorum et de loco novitiatus ac de examinatoribus provincialibus

(Ex Decr. gen. *Nullus omnino,* diei 24 aprilis 1593)[a]

10. Nullus, nisi actu, vel legat vel praedicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat.

18. Nulli de caetero ad habitum aut professionem admittantur, nisi in monasteriis in qualibet provincia per Sedem Apostolicam deputandis.

23. Eligantur in Capitulo generali seu provinciali aliquot graves et periti ex monachis cuiuslibet provinciae, saltem tres, qui admittendos ad praedicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum monachorum, ac lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, et ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curae sit examinare et probare, tam quoad doctrinam quam quoad mores promovendos ad quoscumque ordines, in quo servetur decretum Congregationis interpretum sacri Concilii Tridentini ea de causa nuper editum et promulgatum.

BR X, 39-41.

### 121

### De confessione sacramentali

(Ex Decr. *Sanctissimus,* diei 26 maii 1593)

§ 2. Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab iis petierint.

§ 3. Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac charitate praediti, qui a non reservatis

[a] Idem decretum, licet paulo auctum, promulgatum fuit die 25 iunii (iulii) 1599, quo sub die generatim in collectionibus ponitur; vide BR X, 665; BR XIII, 207; BM III, 80; BM IV, 66; *Bull. Cap.* VI, 327; *Bull. Carmel.* II, 282; *Bull. Praed.* V, 557; *Fontes* I, 187.



eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicaverit.

§ 4. Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

*Fontes* I, 177.

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 122

### De professione intra annum probationis emissa

(Resolutio *Lucen.,* diei 6 augusti 1593)

Congregatio Concilii censuit ex professione sive tacite, sive expresse intra annum probationis emissa non obligari aliquem neque in specie, neque in genere religioni.

*Fontes* V, 2260.

## CLEMENS VIII

### 123

### De novitiatuum designatione

(Decretum gen. *Regularis disciplinae,* diei 12 martii 1596)

Regularis disciplinae restitutioni, pro qua potissimum, iuxta nostri muneris debitum, laborare non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano usu compertum est, quod in omnibus conventibus, iis praesertim qui maiori reformatione indigent, singuli ad religionem venientes passim recipiuntur; unde fit, ut quo magis nos variis constitutionibus male affectas radices amputare studemus, eo magis in dies depravata, infructuosaque eiusmodi noviter profitentium germina succrescant. Cui quidem malo occurrere volentes, praesenti decreto statuimus, districteque praecipimus omnibus generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, ceterisque superioribus conventuum intra Italiae et Insularum adiacentium fines existentium quibuscumque, quorumcumque Ordinum Mendicantium, ut de cetero neminem sub quovis praetextu aut co-

http://www.obrascatolicas.com/

lore ad habitum regularem admittant, nisi in conventibus auctoritate nostra propediem in unaquaque provincia designandis. [a] Insuper sancimus, ut quoad eiusdem conventus, ut praefertur, per nos deputati non fuerint, omnes praefatorum Ordinum superiores a receptione quorumcumque novitiorum, sive ad habitum sive ad professionem, omnino abstineant. Superior, qui huius decreti transgressor extiterit, ipso facto poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, se noverit incurrisse, ac aliis etiam poenis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones vero et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi decretum nostrum admissi fuerint, nullas et irritas esse ex nunc decernimus et declaramus, privilegiis, statutis et consuetudinibus quibuscumque in contrarium minime obstantibus. [b]

BR X, 769-770; BR XIII, 205-206; BM III, 127; BM IV, 64; *Bull. Cap.* VI, 328; *Bull. Carm.* II, 279-280; *Bull. Praed.* V, 540.

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 124

### De prorogatione anni probationis

(Resolutio *Nullius,* diei 31 maii 1597)

Congregatio Concilii censuit tempus anni ad emittendam professionem a Concilio Tridentino praefixum [1] posse arbitrio Superioris Regularis prorogari.

*Fontes* V, 2310.

### 125

### De remissione interstitiorum

(Resolutio *Nullius,* diei 31 maii 1597)

Congregatio Concilii censuit remissionem interstitiorum etiam quoad Regulares ex causis tantum a Concilio expressis [2] faciendam pertinere ad Episcopum ordinantem: eum tamen hac in re debere quo ad causas deferre iudicio et attestationi Superioris Regularis ordinandi.

*Fontes* V, 2311.

---

[1] N. 98.
[2] Sess. XXIII, *De ref.,* c. 11, in MANSI XXXIII, 144.
[a] N. 120.
[b] N. 128.



### 126

### De anno probationis

(Resolutio *Hispalen.,* diei 17 novembris 1597)

Congregatio Concilii censuit: Annum probationis ad emittendam professionem in religione debere esse continuum, non autem interpolatum. [a]

*Fontes* V, 2321.

### 127

### De sacris ordinationibus

(Ex Decreto *De mandato,* diei 15 martii 1599)

Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui, praeditus qualitatibus requisitis, Ordines suscipere voluerit, Litteras dimissoriales concedere ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia, ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit; et si Dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Dioecesanus vel abfuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes: verum, cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Dioecesano absente, vel Ordinationes non habente, Litterae dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae Dioecesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse. [b]

*Boll. S. Giov.,* 154.

## CLEMENS VIII

### 128

### De novitiorum receptione

(Decretum *Sanctissimus,* diei 20 iunii 1599)

Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. D. Clemens divina providentia Papa VIII cum iamdudum animadverteret collapsae Regularis disciplinae restitutioni, pro qua potissimum, iuxta sui muneris

---

[a] Idem in Resolutione *Assisien.,* diei 24 martii 1612, in *Fontes* V, 2391.
[b] N. 102.

http://www.obrascatolicas.com/

debitum vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monasteriis, et Conventibus, iisque praesertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, ut quo magis variis Constitutionibus male affectas radices evellere studet, eo magis infructuosa noviter provenientium germina quotidie succrescant; cumque ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas Sua, omnes Regulares ad vetus suae cuiusque Religionis institutum redigendi, districte prohibuerit, ne quis in certis Monachorum, et Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum Religionis admitteretur, profitereturve, quousque Monasteria, et Conventus aliquot destinarentur, in quibus posset commodius regularis observantia, secundum reformationem a Sanctitate Sua institutam introduci.[a]

§ 1. Quia tamen non obstante tali prohibitione, cognovit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, et licentiae a Sanctitate Sua obtentae, vel quia talis prohibitio ad illorum notitiam non pervenerit, receptos, et admissos, praeter mentis suae sensum. Idcirco huic malo prospicere volens, ne licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac praetextu Decretum Sanctitatis Suae irritum reddatur. Nunc denuo districte praecipit, ac mandat omnibus Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Praesidentibus, Abbatibus, Prioribus, et Guardianis quibuscumque, ceterisque Superioribus Conventuum, Monasteriorum, ac Domorum quocumque nomine appellentur, intra Italiam, et Insularum adiacentium fines existentium, quorumcumque Ordinum Mendicantium, et non Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de Strictiori Observantia, necnon Capuccinorum S. Francisci, Reformatorum S. Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fuiliensis Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis Montis Coronae, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, Sancti Pauli Decollati, et aliorum de Somascha, Ministrorum Infirmorum respective Ordinibus, Societatibus, seu Congregationibus nuncupatis, quae etiam antea exceperat, et nunc iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi) ne sub cuiusvis licentiae, et facultatis impetratae, vel impetrandae obtentu, nisi per litteras in forma Brevis dumtaxat, et non alias, quemquam ad habitum Regularem suscipiendum, nec

[a] N. 123.



etiam conversos, nisi in Conventibus, Monasteriis, et Domibus, auctoritate eiusdem SS. D. N. propediem in unaquaque Provincia designandis recipere, aut receptos ad professionem admittere, ullo modo audeant. Quinimmo contra primam prohibitionem Sanctitas Sua receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post praesentis Decreti in Romana Curia publicationem, omnino eiicere debeant.

§ 2. Superiorem autem, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto poenam privationis omnium officiorum, quae tunc obtinebit, vocis activae, et passivae, et perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decrevit, et aliis etiam poenis arbitrio Sanctitatis Suae imponendis subiacere.

§ 3. Receptiones vero, et professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, et irritas esse ad quemcumque effectum, et nunc decernit, et declarat.

§ 4. Hoc autem Decretum noluit Sanctitas Sua eos Ordines comprehendere, qui Conventus, Domos, et Monasteria a se probata pro Novit. receptione, et educatione hactenus permissione sua constituerint.

§ 5. Caeteras vero licentias, sive particulares, quae in hanc diem effectum non sunt sortitae, revocat, et annullat.

§ 6. Vult autem Decretum hoc suum in solitis locis Urbis publicatum, ita praedictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, privilegiis, statutis, et Constitutionibus quibuscumque in contrarium minime obstantibus.

*Bull. Praed.* V, 554; *Bull. SS. Salvat.* I, 187-188; *Fontes* I, 186.

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 129

### Quod nihil a novitio intuitu professionis tribuendum sit

(Resolutio *Venetiarum*, diei 26 iulii 1601)

Congregatio Concilii censuit prohibitionem eiusdem Concilii aliquid ex bonis Novitii vel Novitiae Monasterio ante professionem tribuendi complecti etiam bona parentum seu consanguineorum ipsius tamen Novitii vel Novitiae intuitu tribuenda.

*Fontes* V, 2342.

http://www.obrascatolicas.com/

## CLEMENS VIII

### 130

**Moderatio constitutionis ap. « Cum de omnibus »** [a]

(Ex Const. ap. *In suprema,* diei 2 aprilis 1602)

§ 3. Quia longo usu et experientia compertum est, ex nimia facilitate et multitudine casuum, in quibus professio a suscipientibus habitum alicuius regularis Ordinis a dicto Sixto praedecessore nulla declaratur, multos, hac occasione arrepta, fraudulenter petiisse et in dies petere, ut professio, quam in aliquo regulari Ordine emiserunt, nulla declaretur, ex quo nonnulli eorum regulares Ordines et instituta sub hoc praetextu deseruerunt; et idcirco plerisque in locis maxima incommoda et scandala exorta fuerunt; nos ea scandala et incommoda, quantum in Domino possumus, removere et ne in posterum alia eiusmodi hac de causa oriantur, opportuna ratione providere cupientes, singularum constitutionum praedictarum tenores praesentibus pro expressis habentes, matura, super his cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus super negociis Episcoporum et Regularium deputatis, consultatione praehabita, ex illorum sententia et voto, constitutiones praedictas Sixti praedecessoris, quoad eam partem per quam eorum, qui formam in eisdem constitutionibus praescriptam de caetero non servaverint, et quoad alios etiam casus ibidem expressos, in quibus receptorum in quibuscumque etiam Mendicantium Ordinibus professio nulla declaratur, ad terminos iuris et sacrorum canonum, perinde ac si praedictae constitutiones in illa parte editae non fuissent, auctoritate apostolica, tenore praesentium, reducimus.

BR X, 768-769; *Bull. Carmel.* II, 315.

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 131

**De forma recipiendi novitios ad habitum et professionem**

(Decretum *Sanctissimus,* diei 19 maii 1602)

Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. D. Clemens Divina Providentia Papa Octavus, qui alias pro Regularis disciplinae restitu-

[a] Nn. 115, 118, 119.



tione, singulis Regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit, ne ad Regularem Habitum Novitios inposterum reciperent, receptosque ad professionem admitterent, quousque in aliquibus cuiusvis Ordinis Monasteriis seu Conventibus (in quibus Novitiatus pro recipiendis, et educandis Novitiis designarentur, et approbarentur) ad eius, quam professi sunt, Regulae praescriptum, vitam, moresque restituerent, et componerent; certior deinde factus quosdam omnium fere Ordinum Conventus, seu Monasteria ad pristinam illam Regularem vivendi formam, et disciplinam, quam diutius desideraverat, fuisse redacta, in eisdem Monasteriis et Conventibus, ut Novitiatus erigi, Novitiique recipi possent (sub certis tamen legibus, ac ea praesertim, ut licentia a Congregatione Reformationis Apostolicae prius obtenta esset), concessit, et ad illa designavit, et approbavit. Nunc volens, ut ea, quae pro Novitiorum receptione, et institutione, de mandato Sanctitatis Suae praescripta fuerunt, inposterum accuratius, et exactius observentur, ultra formam traditam in Constitutionibus fel. rec. Sixti Papae V et etiam Sanctitatis Suae super receptione Novitiorum, decrevit, ac praesentis Decreti virtute mandavit, ne in Conventibus, seu Monasteriis ad Novitios recipiendos, de Sanctitatis Suae seu dictae Congregationis Reformationis licentia hactenus designatis, et approbatis, seu inposterum designandis, et approbandis, Novitii ad Habitum recipi ullatenus possint, vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel a propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum Dioecesi Novitiatus existunt, in quibus Novitii recipiendi fuerint, expresse, et nominatim Novitii ipsi recipiendi approbati fuerint, et, ut recipi et admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiam quoad scripturam concedendam) obtinuerint. [a] Monet autem Sanctitas Sua eosdem Ordinarios omnem curam, et diligentiam adhibere, ut circa aetatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam, et mores, caeterasque qualitates in ipsis Novitiis requisitas, observentur institutiones pro illis recipiendis ab eadem Congregatione Reformationis factae, et publicatae, neque aliter, nec alio modo aliquem ad Habitum recipi permittant: Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbaverint, vel admitti permiserint, qui non sit idoneus, et iuxta Constitutiones, et institutiones praedictas approbandus, et admittendus. Firmis nihilominus remanentibus poenis omnibus contra Superiores quorumcumque Ordinum, qui in admittendis ad Habi-

[a] N. 140.



http://www.obrascatolicas.com/

tum, et Professionem Novitiis, formam constitutionum, et institutionum praedictarum non servaverint, aut Novitium aliquem, quantumvis idoneum, et approbatum, in quovis alio Conventu et loco, seu Monasterio, praeterquam in hactenus a Sua Sanctitate, vel a dicta Congregatione designatis, et approbatis, seu inposterum designandis, et approbandis, vel ultra numerum in eorum singulis praescriptum, seu praescribendum receperint, vel admiserint, seu alias praemissis quovis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, et inane decernens quicquid secus, vel alias, quavis auctoritate a quovis gestum, vel attentatum fuerit. Non obstantibus quibuscumque, etc. [a]

*Bull. Cap.* VI, 330; *Bull. Carmel.* II, 283-284; *Bull. Praed.* V, 602-603.

## CLEMENS VIII

### 132

### De novitiis et professis

(Const. ap. *Cum ad regularem,* diei 19 martii 1603)

1. Cum ad regularem disciplinam in singulis religiosorum monasteriis propagandam, novitiorum institutio maxime utilis sit ac necessaria, et nihil ad gravem illam ac laudatissimam priscorum patrum vivendi rationem relaxandam, maiorem vim habuisse compertum sit, quam vel nimiam in recipiendis novitiis facilitatem supra numerum, quem capere atque alere monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando et examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo atque ex praecipuo desiderio illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis atque instituendis.

2. Idcirco, ut huiusmodi incommodo deinceps occurratur, praecipitur omnibus et singulis, ad quos spectat, ut in recipiendis novitiis, et in eorum institutione atque educatione, necnon in magistri et aliorum ministrorum electione, praeter alia, quae in sacris canonibus ac decretis, praesertim Concilii Tridentini, pontificiis, et cuiuscumque Ordinis aut instituti constitutionibus continentur, tam in alias designatis, quam nunc et in posterum ad hoc designandis monasteriis et conventibus, haec, quae sequuntur, inviolate observare et exequi perpetuo curent.

[a] Vide eiusdem Summi Pontificis Const. ap. *In his,* diei 10 septembris 1597, in *Bull. Praed.* VII, 225-226, de modo inquirendi circa recipiendos.



3. Primum, quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, quae habenda erit de uniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus et vita anteacta, ac praecipue eorum, qui sextum decimum aetatis suae annum excedent, an criminosi, an aere alieno gravati, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxii sint (iuxta formam constitutionis felicis recordationis Sixti V et moderationum subsecutarum, [a] illud etiam superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasteriis et conventibus ex apostolica facultate novitiatus fuerint instituti, in iis ad religionem nullus imposterum admittatur, qui et ex honestis parentibus natus non sit, et conditiones sacris canonibus, Summorumque Pontificum constitutionibus praescriptas non habeat, iuxta decretum super forma recipiendi novitios, die 19 maii 1602 editum. [b]

4. Quisque recipiendus in aliquo Ordine regulari, etiam Mendicantium, in ea sit aetate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta et ordinationes requirunt; eam vero litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores et, suis temporibus, maiores ordines, iuxta decreta sacri Concilii Tridentini, [c] suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens ad habitum regularem admitti postulaverit, et talis eruditionis expers inventus fuerit, in conversorum tantum (quibus litterarum scientia non est necessaria) numerum referatur. Ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum, nisi saltem praecipua Doctrinae Christianae capita noverint. [d]

5. Demum superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitae, et ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur, et an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigentes destituantur. [e]

6. Provideant quoque ut omnes etiam conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc

[a] Nn. 115, 118, 119, 130.
[b] N. 131.
[c] N. 96.
[d] Nn. 79, 178.
[e] Vide Conc. oecum. Nic. (325), Canones LXXX ex arabico in latinum conversi (opus apocryphum e saec. V-VII), cap. XIV: « Si quis laicus voluerit monachus fieri... statuimus, ne iste uxorem, aut filios, aut alios similes, quibus auxilium debet, deserat » (Mansi II, 956).

http://www.obrascatolicas.com/

incumbit, de regula quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque regulari, et aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis et constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarumdam religionum moris est, nedum conversos ad professionem admittendos, verum et oblatos, ut vocant, recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem unaquaeque Religio suas peculiares constitutiones specialiaque instituta observare teneatur.

7. Statim atque novitii ad habitum recepti, et in locum novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem, totius anteactae vitae conscientiam discutiant et expurgent.

8. Quod vero ad loci qualitatem uniuscuiusque novitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte conventus et monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit atque distinctus; habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint; in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro magistro, eiusque socio reperiatur; in eo etiam, praeter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes seu conferentias faciendas, ac lectiones instructionesque magistri audiendas, et in quem, hiemis tempore, ad calefaciendum se igne communi recipiantur. Oratorium insuper seu capella, si commode fieri poterit, ad novitios in spiritualibus, praesertim in caeremoniis ecclesiasticisque functionibus exercendos. Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus atque munitus adsit; sin minus, hortum caeteris fratribus communem recreationis tempore ingrediantur: ipsis vero novitiis ibi commorantibus, curabit magister cum loci superioris auctoritate, si opus fuerit, ne in eumdem quisquam alius ingrediatur. Ad huiusmodi locum novitiatus nemini eiusdem vel alterius Ordinis regulari, etiam conventus et monasterii officiali, ullo umquam tempore, sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam magistro eiusque socio, ac etiam monasterii aut conventus superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessario existimaverit; quo tamen casu aliquem semper ex senioribus conventus vel monasterii patribus socium assumat. Huius loci clausurae clavis apud magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causa ingressum illuc alicui permittere; si quis autem novitiorum quempiam alloqui voluerit, magistro praesente et non aliter, alloquatur.

9. Novitiorum magistro socius, si ad novitiorum instruendam multitudinem necessarius fuerit, vita et moribus, quoad fieri poterit,



consimilis deputetur; qui in his, quae ad novitiatus regimen spectant, dicto magistro immediate subiectus existat, eliganturque tam magister quam socius per provinciale capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca novitiatus concedi contingat, tunc electionem magistri novitiorum et socii huiusmodi, in his novis locis per generalem vel provincialem, seu ministrum, aut eorum visitatores seu vicarios, de definitorum tamen vel graviorum aliorum patrum consensu, fieri permittitur; idemque servetur si intra triennium, alterum vel utrumque urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri, vel mori contigerit, in cuius vel quorum locum alii consimiles subrogari debeant. Tam novitiorum magister quam socius ab iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeant, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant. Ipse magister sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, et per decennium a professione emissa in Religione persistiterit. Socius vero trigesimum annum excedat; sintque ambo doctrina et, quantum per superiorum diligentiam et curam fieri poterit, vitae etiam anteactae exemplo praestantes; [a] orationis praeterea et mortificationis operibus addicti, prudentia charitateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine praeseferentes, ab omni cordis ac animi perturbatione, ira praesertim et indignatione, quae in se et erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, et tales demum qui in omnibus se ipsos bonorum operum exemplum praebeant, ut ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis umquam detrahere quidquam possint. Habeat etiam magister plenam et absolutam potestatem circa novitiorum institutionem ac novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (visitatoribus ac superioribus maioribus vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat. Curam adhibeat diligentem ut novitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque praecipue divinae, qua digni facti sunt, vocationis praestantiam et excellentiam, quae vera sit atque perfecta votorum solemnium et quam necessaria cuiusque Ordinis constitutionum observantia; modum in oratione, tum vocali tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones et vitia (ad quae natura per peccatum labefactata omni tempore prona est atque proclivis) per sensuum custodiam et mortificationem cohibendi; austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscien-

[a] N. 108.

http://www.obrascatolicas.com/

tiae puritatem, crebram illius discussionem, sacramentorum frequentiam, Confessionis praesertim, quae bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis et tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus diuturnumque silentium.

10. Quilibet novitius bis quotidie orationi mentali et vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem et ordinem sibi a magistro praescriptum, pluries in die propriam conscientiam examinare contendat. Ipsi autem magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen superiori, etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per se ipsum vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire.

11. Quotidie missae sacrificio intersint, et statutis horis in choro nocturnis diurnisque divinis officiis assistant.

12. Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quae in solitario loco et commodo extra novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadis longior statuatur, fiatque semper magistro praesente vel socio, qui multum invigilent ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore, cuiusque, in quam natura feratur, propensionem scrutentur.

13. Non liceat eis, durante novitiatus et probationis tempore, una cum professis, nisi in choro, in ecclesia tempore officiorum, in processionibus aut in coenaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari.

14. Pro communibus et propriis cuiusque necessitatibus, quae accidere possunt, unus ex novitiis ipsis, aetate et moribus provectior deputetur, qui absente socio, magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat; cui etiam ianuae custodia, et rerum levioris momenti provisio intra novitiatum committi poterit.

15. Cum autem, licet clericorum bene instituendorum cura debeat esse praecipua, conversorum tamen religiosa instructio non sit praetermittenda, quin potius aequanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum religioni decorem et ornamentum, tum aliis christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre. Conversis ipsis a clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commode fieri poterit) assignari prae-



cipitur. Illi tamen, hac separatione non obstante, magistro novitiorum, seu superioribus monasteriorum et conventuum, iuxta cuiusque Ordinis statuta et constitutiones, subditi esse, et obedientiam praestare debeant, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi et exercendi, verum etiam, pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod, ut commodius fiat, ad capitula et spirituales conciones, quae per magistros novitiorum fieri solent, accersiri debeant, et in ecclesiis statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

16. Tempore vero probationis elapso, ii tantum qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, novo ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo aetatis suae annum, quoad clericos decimumsextum, quo vero ad conversos, vigesimumprimum excesserint), ad professionem admittantur. Sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

17. Superior cuiuslibet conventus, in quo novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo uniuscuiusque novitii professio registretur, illamque novitius professus propria manu, et illi testes, qui praesentes fuerint, subscribant. Conversus vero litterarum ignarus, professus, in eorumdem testium, qui se subscripserint, praesentia, propria manu signum Crucis apponat; asserveturque liber et custodiatur in archivio, ubi scripturae ad monasterium seu conventum pertinentes reponi consueverunt.

18. Quia vero in quibusdam Ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur quod licet decretum sit, ut novitiis educandis certa monasteria aut conventus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit superioribus monasteriorum et conventuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis usus receptus est, eos, quos praenarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios, iuxta cuiusque Ordinis constitutiones, adscribere, sicque adscriptos, cum iuxta praesentes institutiones et alias servatis servandis ad Ordinem recepti fuerint, ad loca novitiatuum cum testimonialibus litteris transmittere, ubi tamquam dictorum conventuum seu monasteriorum filii, eorumdem nomine et instantia recipi, ac in novitiatu probari, et deinde, antequam ad eadem monasteria seu conventus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, ut praemissum est, exerceri debebunt.

http://www.obrascatolicas.com/

19. Porro, ne loca unius monasterii seu conventus ab alio praeoccupentur, capituli generalis aut provincialis partes erunt numerum praescribere pro omnibus, et eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis conventibus et monasteriis praescribere, quae magis expedire videbitur.

20. Ut autem novitii iam in professorum numerum (sicut praemittitur) recepti, melius in bono spiritu regularisque disciplinae observantia stabiliantur et confirmentur, mandatur, ut statim post professionem emissam, si in conventibus aut monasteriis pro novitiatibus assignatis locus aderit secundi novitiatus sive professorii, ab ea, quae novitiorum est, atque antiquorum professorum habitatione distinctus et segregatus, ibi collocentur, si monasterium aut conventus eos alere queat, sin minus, in alium commodiorem conventum aut monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad novitiatum supranarratis reperiatur, vel accomodetur aut de novo construatur. Ab hoc tamen illae Religiones excipiuntur, quae, suarum constitutionum seu institutionum vigore, maioris temporis cursu novos professos intra novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur: illis tamen permittitur ut, praedictis earum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi ac Religioni magis expedire diiudicaverint: quibus in locis degant sub regulis et modo vivendi adhuc arctiori, quam servant antiquiores professi; ita quod in negociis monasteriorum aut conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiae officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad aetatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimmo et debebunt, litterarum studiis operam navare, sub directione ac regimine superioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum magistrum praeditum esse oportere dictum est.

21. Declaratur tamen, quod propter praemissa non censeatur concessa licentia recipiendi novitios, nisi in locis pro novitiatu designatis aut imposterum designandis, et pro numero dumtaxat in eorum singulis praescripto vel praescribendo. [a]

22. Denique si illi, qui inter religiosos, gradu et ordine, superiores sunt, et alii, ad quos spectat, in praedictis omnibus vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum om-

[a] Nn. 120, 205.



nium, quae tunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admissae culpae poenas se subituros certo sciant.

BR X, 772-777; BR XIII, 215-219; BM III, 128-130; BM IV, 68-70; Bizzarri, 867-873; *Bull. Cap.* VI, 330-334; X, 209-211; *Bull. Carm.* II, 284-286; *Bull. Praed.* V, 605-607; *Fontes* I, 189.

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 133

### De modo recedentes iterum recipiendi

(Responsum, c. a. 1604)

Congregatio Concilii censuit, eum qui anno integro probationis causa in Religione mansit, ac deinde, non emissa professione, inde recessit, vel eiectus fuit, posse absque alio Novitiatu in eadem Religione recipi ac profiteri, nisi personae conditio, aut Religionis sit immutata.

*Bull. Carmel.* II, 310; *Bull. Praed.* VI, 241.

## PAULUS V (1605-1621)

### 134

### De aetate recipiendorum

(Vivae vocis oraculum, diei 12 octobris 1609, ad Card. Protect. Ordinis FF. MM. Conventualium Reformatorum)

Noverint universi praesentes nostras litteras inspecturi, quod hodierna infrascripta die in palatio apostolico Montis Quirinalis, Ssmus in Christo Pater et Dominus N. D. Paulus divina providentia papa quintus vivae vocis oraculo nobis facto concessit et indulsit, ut dilecti nobis in Christo filii, patres custodes minorum conventualium reformatorum in provinciis Neapolis et Siciliae nunc et pro tempore existentes Christi fideles, qui aetatem annorum sexdecim excedant, cupientes ingredi suam religionem, et congregationem et admitti in novitios et fratres eiusdem congregationis et ordinis, quocumque anni tempore extra capitula generalia vel provincialia, iuxta eorum consuetudinem hactenus observatam (petita tamen et obtenta prius licentia a ministro generali ordinis minorum conventualium, et eo absente a procuratore generali eiusdem ordinis, vel a provincialibus

http://www.obrascatolicas.com/

dictorum Minorum conventualium administrationi conventuum, domorum, et locorum in eisdem provinciis praefectis, ac servata forma regulae et constitutionum dictae congregationis) recipere, et admittere possint et valeant. Hac tamen limitatione adiecta, ut pro conventibus, domibus, et locis regni Neapolis duodecim pariter ad clericatum idonei, et totidem laici, nec plures recipiant, ac ita numerus huiusmodi in novitiatibus conservetur, ut in locum eorum qui ante editam professionem, vel discesserint, vel diem clauserint extremum, aut quacumque ex causa defecerint, alii ad praefatum numerum adimplendum libere recipi possint et admitti.

*Anal. Iuris Pont.* XXIX, col. 289-290.

## 135

### De studio linguarum

(Ex Motu proprio *Apostolicae servitutis,* diei 31 iulii 1610)

§ 2. Quamobrem felicis recordationis Clementis Papae V [a] praedecessoris nostri, quantum conditio temporis patitur, vestigiis insistentes, motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, statuimus et ordinamus, ut in cuiuscumque Ordinis et instituti regularium, tam Mendicantium quam non Mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum et Apostolicae Sedi immediate subiectorum, studiis omnibus trium linguarum huiusmodi, hebraicae videlicet, graecae et latinae, in maioribus vero, ac celebrioribus, etiam arabicae doctores, regulares quidem et eiusdem Ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minus, saeculares, aut alterius Ordinis regulares, qui illas actu et diligenter doceant, habeantur, si studia in urbitus et locis existunt, ubi linguarum praedictarum peritos conducendi facultas est: studiis vero locorum, ubi huiusmodi doctores desunt, cum primum in aliis studiis, ubi linguae huiusmodi docebuntur, scholares tantum profecerint, ut docendis aliis idonei sint, de iisdem scholaribus provideatur.

§ 4. Hi vero scholares ut alacrius huic studio incumbant, volumus et decernimus ut, in promotione ad doctoratus gradus et ad alios

[a] C. 1, V, 1, in Clem.



sui Ordinis honores, illi caeteris paribus praeferantur, qui in cognitione trium saltem linguarum praedictarum profecerint, ita ut ad illas docendas apti sint.

BR XI, 626; BM III, 252; *Bull. Cap.* VI, 360-361; *Bull. Praed.* V, 676.

## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## 136

### De novitiatus interruptione

(Resolutio *Minimorum,* diei 12 augusti 1616)

Cum frater Anton. Quer religionem ordinis S. Francisci de Paula ingressus septimo vel octavo ab incepto novitiatu mense apud superiorem falso accusatus esset, idem superior inconsulto Capitulo habitu regulari eum exuit, exutusque partim in monasterio partim extra monasterium viginti horarum spatio vel circiter permansit; cum vero dictus superior errorem a se commissum agnovisset, ablatum habitum supradicto fratri Ant. restituit; is autem perfecto reliquo novitiatus tempore expletoque anno a prima susceptione habitus per integrum diem professionem solemnem emittere distulit ut praemissas viginti interruptionis horas suppleret, emissa autem professione septem annos nullo reclamante in religione permansit, sed dum ad sacrum presbyteratus ordinem promovendus esset, professionis nullitas ob novitiatus interruptionem obiecta ei fuit. Unde in uno eodemque capitulo semel atque iterum licentiam ad urbem accedendi petiit, ut de professionis nullitate aut validitate certior fieret, quamobrem, cum impetrare nequisset, ipse procurata prius aliquorum subrem, cum impetrare nequisset, ipse procurata prius aliquorum supradicti capituli fratrum attestatione super iterata huiusmodi petitione, ad eamdem Urbem absque alia superiorum licentia venit sacramque hanc Congregationem consuluit, an professio huiusmodi sit valida ipseque ut fugitivus sit habendus. Quare Ill. eiusdem Sacrae Congregationis Patres Illm̃o Ausculano referente professionem huiusmodi validam esse censuerunt. Generali autem vel Procuratori generali, provinciali aliisque superioribus eiusdem religionis ne ipsum Oratorem uti fugitivum, vel quod ad Urbem absque licentia accesserit molestent sed eum a censuris, quibus ob praemissa incurrit absolvant vocemque activam et passivam ei pariter restituant seu unus quisque eorum cui praesentes reddentur absolvat, et respective restituat, praeceperunt ac decreverunt, prout per praesentes praecipiunt et decernunt.

*Fontes* IV, 1677.

http://www.obrascatolicas.com/

## 137

### De officio infami tamquam impedimento ad professionem

(Resolutio *Minorum Observantium*, diei 26 aprilis 1619)

Ha fatto rappresentare alla S. Congregatione fra Martino Helez minore osservante, che havendo egli legitimamente preso l'habito di quella religione nel monasterio di S. Antonio di Siviglia, e similmente finito l'anno del novitiato, fu capitolarmente risoluto che fusse admesso alla professione, ma essendogli poi opposto che descendeva da un progenitore che haveva essercitato officio infame, e che obstandogli perciò le constitutioni della medesima religione fu rimandato al secolo, e che havendo provata la falsità dell'oppositione gli fu restituito l'habito, supplicando hora d'essere admesso alla professione senza fare nuovo novitiato, havendosi riguardo al primo già legitimamente fatto. Onde questi Illm̃i miei Signori sentito prima il Padre Commissario di Corte m'hanno ordinato di scrivere a V. S. che costandole della verità dell'esposto, e che il detto fra Martino non habbia lasciato l'habito spontaneamente, ma gli sia stato levato, nè habbia altro canonico impedimento, lo faccia admettere alla professione senza fare altro novitiato, quando però i frati capitolarmente, e per voti secreti si contentino d'admetterlo, ma se per sorte egli havesse lassato l'habito spontaneamente, V. S. ordini che non sia admesso alla professione, se prima non si fa nuova accettatione di lui, et egli faccia il novitiato un'altra volta. E Nostro Signore etc.

*Fontes* IV, 1702.

## SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

## 138

### De studio linguarum exterarum

(Decretum *Quoniam*, diei 16 octobris 1623)

1. Quoniam a Concilii Viennensis celebratione [a] usque ad initia Pontificatus fel. record. Pauli Papae V experientia comprobavit, linguarum studia, aut non fuisse, ab iis, quibus praeceptum fuerat, instituta, aut post institutionem paulatim neglecta omnino periisse. Et novissime hoc idem compertum est, ex iis, quae post eiusdem

[a] Cfr. c. 1, V, I, in Clem.



Pauli Constitutionem, [a] et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide decreta contigere. Eadem Sacra Congregatio dolens, opus ad animarum salutem necessarium, tam facile negligi, praesertim ab iis, qui ad illam procurandam fuere a Sanctis Regularium Ordinum Fundatoribus destinati; cupiensque Concilium, Constitutionem et Decreta praedicta executioni demandari, ut Evangelicos operarios linguis instructos habeat ad messem Domini amplissimam opportune mittendos.

2. Praesenti Decreto de speciali Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII mandato, iterum Regularium, et cuiusvis instituti Societatum et Congregationum Generalibus, ac aliis Superioribus praecipit, ut linguarum, videlicet, Hebraicae, Graecae litteralis et vulgaris, Arabicae, Chaldaicae et Illyricae studia instituant, institutaque conservent, et ubi fieri poterit, ampliora efficiant; alioquin, si post spatium trium mensium, in Monasteriis et Conventibus Almae Urbis, et sex citra Montes, et octo ultra Montes a die publicationis huius Decreti inchoandum, in Monasteriis et Conventibus earum Civitatum, in quibus celebriora Gymnasia seu Universitates constitutae sunt, videlicet Bononiae, Patavii, Parisiis, Tolosae, Valentiae, Viennae Austriae, Ingolstadii, Coloniae, Lovanii, Salmanticae et Compluti, et denique in iis, in quibus generalia et insigniora Regularium studia erecta sunt, mandatum hoc non impleverint, in eiusque observatione non perseveraverint; si Generales fuerint, eo ipso suspensionem a Divinis Sedi Apostolicae reservatam incurrant; et si per tantumdem temporis ab executione huius mandati destiterint, ipso iure et facto, etiam ab officio suspensi existant, et interim officium ipsum a Procuratoribus Generalibus, ad Summi Pontificis ac eiusdem Sedis beneplacitum administretur. Si vero Generalibus inferiores Praelati in adimplendo hoc mandato negligentes, ut supra, fuerint, primo suspensionem a Divinis, ut praefertur, reservatam, deinde poenam inhabilitatis ad maiores Religionis gradus et dignitates eo ipso incurrant, a qua inhabilitate, non nisi per Sedem Apostolicam absolvi possint.

3. Verum quia non satis est Superiores Regularium suum in hac re praestare officium, si qui linguis studere debent, opus hoc vere pium detrectent et negligant. Sacra Congregatio, de eiusdem Sanctissimi speciali mandato praecipit, ne elapso triennio ab institutis linguarum studiis inchoando, Regulares, qui tunc non excedent

[a] N. 135.

http://www.obrascatolicas.com/

quadragesimum aetatis annum, ac illi qui in posterum perpetuis et futuris temporibus ad Religionem in quacumque aetate recipientur, ad magisteria vel alios gradus suarum Religionum, seu, ubi non sunt magisteria et gradus, ad dignitates a Superioribus eorum admittantur, nisi ultra consuetum Theologiae studium, et alia ab eorumdem suarum Religionum Constitutionibus requisita, etiam per biennium uni saltem ex praedictis linguis operam dederint, eamque sufficienter calluerint; super qua a persona per Congregationem deputanda, examinari debeant, priusquam ad ea, eos easve assumantur. Quodsi contra praesentis Decreti dispositionem ad magisteria seu gradus, vel dignitates praedicta admissi fuerint; magisteriorum seu graduum vel dignitatum praedictarum collatio nulla sit, et Superiores, qui transgressi fuerint, passiva voce sint perpetuo privati.

4. Quoniam autem multi praemio magis ad virtutes incitantur, quam poenis; eadem Sacra Congregatio mandavit, Regulares, qui linguis studebunt, iis potiri et frui privilegiis, quibus Sacrae Theologiae candidati, in sua quisque Religione potiuntur et gaudent. Eos vero qui per biennium uni ex praedictis linguis operam dederint, eamque sufficienter experimento, ut supra, facto calluerint, ad gradus seu magisteria, iuxta constitutum in sua Religione ordinem promoveri, et in electionibus ad officia et dignitates Regulares, caeteris paribus, iuxta dictam Pauli V Constitutionem aliis omnino praeferri; alioquin electio ante facta irritetur.

5. Caeterum ne Decretum hoc vetustas unquam infringat aut oblivio aboleat, eiusque ignorantiam quisque praetendere possit; eadem Congregatio de eiusdem Sanctissimi simili mandato praecipit, ut in singulis Capitulis generalibus et provincialibus, quae in posterum convocabuntur, illud legatur, et super eius observatione a Generalibus et Provincialibus ante soluta Capitula iuretur, sub poena vocis activae et passivae, si alterutrum horum omittatur, ipso facto incurrenda. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, quibuscumque privilegiis, indultis, etiam Mari magno, vel alias quomodolibet nuncupatis, Universitatibus, Collegiis, Congregationibus, vel personis tam Saecularibus, quam Regularibus quibuscumque, et cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis Decretis in genere vel in specie, etiam Motu proprio, aut consistorialiter, vel aliis quomodolibet concessis, confirmatis, approbatis et saepius rennovatis, etiamsi de ipsis in specie



vel in individuo esset facienda mentio, nec non statutis et consuetudinibus etiam legitime praescriptis seu immemorabilibus, caeterisque praesenti Decreto contrariis quibuscumque de plenitudine potestatis derogat et derogatum esse intendit. Huius autem Decreti exempla Romae, vel alibi impressa, manu Secretarii Congregationis, vel alicuius Notarii publici, et sigillo alicuius personae in Ecclesiastica dignitate constitutae obsignata, tam ubique locorum et gentium fidem faciant, quam originale ipsum, si esset particulariter exhibitum vel ostensum.

*Bull. Carm.* II, 403-404; *Bull. Praed.* VII, 266-267.

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 139

### De novitiatus abruptione

(Resolutio *Carthusien.*, diei 22 iunii 1624)

Congregatio Concilii censuit, si novitius, quo tempore habitu exutus fuit, claustro non abscesserit, annum probationis non fuisse propterea interruptum.

*Fontes* V, 2452.

### 140

### De receptione novitiorum et de transitu ad aliam religionem

(Ex Decr. *Sacra Congregatio*, diei 21 septembris 1624)

Sacra, etc. Regularium eiectorum et fugitivorum statui consulere, illorumque scandala summovere, et succrescentem numerum frangere operae pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentissime perpensa, communicato etiam consilio cum Sanctissimo Domino Nostro Urbano VIII, atque ex peculiari Sanctitatis Suae facultate infrascripta decreta edidit.

§ 1. Ac primo, ut infecta semina, ex quibus pravi eiusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit, esse innovandas, et Sanctissimi authoritate innovat Constitutiones, et Decreta generalia sanct. mem. Clementis VIII ad Regularium reformationem, ac Novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia, [1] districteque praecipit Generalibus,

[1] Nn. 120, 123, 128, 132.

http://www.obrascatolicas.com/

atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exacte observent, atque, ut observentur, efficiant, sub poenis statutis in iisdem Constitutionibus.

§ 2. A quibus tamen excipiendum censuit, caput illud, quo decernitur, ne in Conventibus seu Monasteriis ad Novitios recipiendos hactenus designatis, et approbatis, seu imposterum designandis, et approbandis, Novitii ad habitum ullatenus recipi possint, nisi prius a Congregatione Reformationis Apostolicae, vel a propriis locorum Ordinariis expresse, et nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti observatione Sacra Congregatio iustis de causis censuit Regulares esse absolvendos, prout authoritate Sanctissimi Domini nostri, absolvit, atque exemit. [a]

§ 3. Deinde ut apostatandi opportunitas Regularibus praeripiatur, statuit, ut de caetero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius Superiori legitime constiterit eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis recta se transferat ad arctiorem. Quod ut reipsa adimpleatur idem Superior omni studio, ac diligentia invigilet.

*Fontes* V, 2454.

## SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

### 141

### De novitiis diversarum nationum ac linguarum recipiendis

(Decretum *Nihil*, diei 17 decembris 1624)

Nihil tam magnae curae est Sacrae de Propaganda Fide Congregationi, quam ut operarios plures linguis instructos habeat, quos in messem Domini, praesertim sub Haereticis, et Infidelibus Principibus constitutam mittere possit. Proinde animadvertentes, aliam quoque esse eosdem multiplicandi, et augendi breviorem viam; Generales omnes, annuente S. D. N., admonendos esse censuit, ut praeter studia linguarum, alias a S. C. Regularibus indicta, [b] speciali suo decreto praecipere velint, ut in Novitiorum receptionibus in posterum faciendis, aliqui semper ex variis Nationibus, et linguis pro modulo dictarum suarum Religionum, una cum aliis, qui hactenus recipi consueverunt, ad habitum assumantur, qui peracto studiorum

[a] N. 131.
[b] N. 138.



cursu, vel in simplici Sacerdotio constituti, vel Episcopali dignitate ornati, ad eorum provincias, propagandae Fidei gratia, mitti possint: Nam sic facientes certo sciant, se Christo Domino obsequium gratissimum, et acceptissimum praestaturos, et Fidei Catholicae, ac suarum Religionum honori, et amplificationi summopere esse consulturos.

*Bull. Praed.* VII, 269; *Bull. SS. Salv.* I, 200; *Bull. Casinense* I, 308.

### 142

### De studio linguarum

(Decretum *Quoniam impossibile,* diei 16 aprilis 1625)

Quoniam impossibile est sine linguarum notitia Fidem Catholicam in exteris propagare Nationibus, hanc vero notitiam in Religiosorum Familias introducere difficillimum est, sine praecipua Generalium, aliorumque Superiorum cura, et diligentia, Sacra de Propaganda Fide Congregatio, Religionum Generales omnes, ac alios Superiores in Domino obtestatur, ut secum cogitantes, quod haeresibus, et erroribus, pleraeque Terrarum Orbis Nationes laborent, et in quantis ignorantiae tenebris Populi pene innumerabiles versentur, quia non habent, qui eos instruant, et in via salutis opportune dirigant, omnibus modis velint studia linguarum a sacro Viennensi Concilio, et fel. rec. Pauli V Constitutione praescripta, [a] et aliarum etiam, quae magis in usu esse videntur, ut Illiricae, et Graecae vulgaris, in iis Monasteriis et Conventibus erigere ac instituere, et erecta ac instituta conservare, in quibus Religiosi, Artibus, ac Theologiae operam navant, quae quidem studia ex sententia eiusdem Sacrae Congregationis Generales, et alii Superiores facile instituent, si in modo, forma, et ordine ipsorum constituendis infrascripta observari praecipue mandaverint Decretis. Primo, ut si non in quolibet, saltem in pluribus ex praedictis Monasteriis, et Conventibus, certus Religiosorum magis idoneorum numerus linguarum studiis addicatur sub aliquo Religioso, ubi studii Praefectus non exstiterit, qui studiorum huiusmodi promovendorum curam et sollicitudinem habeat, qui, ut muneri suo serius incumbat, iisdem privilegiis, quibus Magistri et Studiosi, fruatur. Secundo, ut certae regulae, et Constitutiones, quibus numerus, et species linguarum, tempora lectionum, studii, repetitionumque, ac alia huiusmodi a

[a] Nn. 135, 138.



http://www.obrascatolicas.com/

Magistris, et Studiosis diligenter observanda praescribant, quarum Constitutionum observandarum cura praedicto Religioso, vel Studii Praefecto, committi poterit, qui si suo deerit officio, pro modo culpae in Capitulis Provincialibus, vel Generalibus graviter puniatur, in quibus etiam praesens Decretum publice legatur. Tertio denique, ut praemia, et poenae, praesertim Magistris et Studiosis proponantur, quae vehementius eorum animos movere possint ad linguas alacrius, et diligentius addiscendas; et Sacra Congregatio cum ob Institutorum, et Religionum diversitatem, ea definire visum fuerit, Generalium, et aliorum Superiorum prudentiae, et iudicio committenda esse censuit, quos etiam novo praecepto ad haec studia instituenda, et conservanda constringere noluit, sed eos tantum admonere in districto Dei iudicio rationem esse reddituros, si Decretum hoc, quod pro Divinae Maiestatis gloria, et salute animarum promulgatum est, observare contempserint et neglexerint.

*Bull. Cap.* VI, 361; *Bull. Praed.* VI, 270-271; *Bull. SS. Salv.* I, 201.

## 143

### De alumnis Collegiorum Pontificiorum qui iuramentum praestiterunt non recipiendis

(Decretum *S. Congregatio,* diei 24 novembris 1625)

S. Congregatio de mandato speciali SS. D. N. Urbani VIII Rectoribus Collegiorum Pontificiorum nunc et pro tempore existentibus districte praecipit, ut ab alumnis, ... iuramentum iuxta subiectam formulam [1] omnino exigant... Praeterea de mandato similiter speciali eiusdem S. D. N. statuit, et decernit neminem deinceps praedictorum alumnorum contra infrascriptam iuramenti formulam in aliqua Religione, Societate et Congregatione Regulari a superioribus recipi, nec ad professionem admitti posse vel debere; alioquin receptio, et professio nullae sint, ac nullius roboris, et firmitatis, et qui ex antedictis superioribus alumnos huiusmodi contra subiectam iuramenti formulam receperit, vel ad professionem admiserit, activa et passiva voce praesentis decreti auctoritate careat.

*Collect. Propag. Fide* I, n. 19; *Fontes* VII, 4430.

---

[1] Vide Const. ap. *Cum circa* Alexandri VII, diei 20 iulii 1660, in *Collect. Propag. Fide* I, n. 142; *Fontes* I, 237, ubi iuramenti formula cum additamentis praescribitur. Vide quoque declar. S. C. de Prop. Fide diei 8 aprilis 1661 in *Fontes* VII, 4466.



# URBANUS VIII (1623-1644)

## 144

### De iteranda professione in loco non designato emissa

(Ex Const. ap. *Religiosos viros,* diei 2 aprilis 1631)

1. Cum itaque, sicut accepimus, quamplures Ordinum, congregationum, institutorum regularium professores, ad habitum regularem recepti, probationis annum in monasteriis seu domibus regularibus ad id designatis vel ab Apostolica Sede approbatis minime fecerint, proindeque, iuxta constitutionem felicis recordationis Clementis PP. VIII [a] praedecessoris nostri desuper editam, professio, per eos subinde emissa, invalida existat:

2. Nos, religiosos praedictos ex huius Sanctae Sedis benignitate specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ... motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, venerabilibus fratribus nostris, Scipioni episcopo Sabinensi cardinali Burghesio nuncupato, maiori poenitentiario, vel patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ceterisque Ordinariis locorum, in quibus eorumdem religiosorum monasteria, domus, seu conventus, aliave regularia loca consistunt, sive ipsorum religiosorum praefectis vel superioribus generalibus, per praesentes committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos religiosos praedictos, qui, ad habitum regularem alias canonice recepti, annum probationis in monasteriis seu domibus regularibus ad id designatis minime fecerunt, subindeque professionem nihilominus emiserunt, ad professionem denuo, servatis alias servandis, emittendam (quae sic emissa illis et eorum cuilibet, tam in foro interiori, quam exteriori, suffragari debeat) absque novo probationis anno, ex speciali huius sanctae Sedis benignitate, auctoritate nostra apostolica recipiant et admittant. [b]

BR XIV, 215; *Bull. Carmel.* II, 425-426.

---

[a] N. 132, ad 21.

[b] Vide Const. ap. *Alias,* diei 31 ianuarii 1635, in *Bull. Praed.* VI, 97, in qua declaratur non requiri consensum conventus fratrum, ut rata fiant vota solemnia iampridem invalide nuncupata ob eandem causam ut supra. Vide quoque n. 149.

http://www.obrascatolicas.com/

## 145

### De transitu conversorum ad statum clericalem

(Ex Const. ap. *Exponi nobis*, diei 10 martii 1632, ad Ordinem B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum)

Apostolica authoritate tenore praesentium inhibemus, ne de caetero inconsulta Congregatione eorumdem Cardinalium, et sine expressa illius approbatione praefatis Fratribus Laicis, seu Conversis licentiam transeundi a statu Laicali ad Clericalem, seu de se promoveri faciendo ad Minores, ac Sacros Ordines ullo modo concedant.[a]

*Bull. Merced.* 264.

## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## 146

### De aetate recipiendorum

(Rescriptum diei 16 iulii 1632, ad Ordinem Cler. Regularium Theatinorum)

La Sacra Congregatione, venendo ragguagliata, che nella Religione di V. S. si ricevano alle volte novitii all'habito di età assai piccola, i quali poi si inducono a far professione più per certo rispetto umano, che di mera loro volontà e con gravi loro disturbi, et inquietudini e anco de gli altri, m'ha però ammesso di far sapere a V. P., che nell'avvenire ella e li suoi successori non permettano, che in qualsivoglia casa o monastero di detta sua religione si riceva all'habito regolare alcun novitio che oltre li altri requisiti necessarii non habbia almeno cominciato il XV anno della sua età sotto pena di privatione di voce attiva e passiva nella quale incorreranno quelli che contraveranno ricevendone prima di detto tempo. Procuri dunque V. P. che il tutto venga esseguito conforme alla mente della Sacra Congregatione, quale in virtù della presente le dà l'autorità necessaria.

*Fontes* IV, 1742.

---

[a] Cfr. de eadem prohibitione Alexandri VII, const. ap. *Pastoralis officii*, diei 13 ianuarii 1663, ad Ordinem Ss. Trinitatis, in *Bull. Trinit.* II, 559, necnon supra, n. 132, ad 16. — Item S. C. Ep. et Reg. *Minorum provinciae Baeticae*, Resolutio diei 14 februarii 1620, in *Fontes* IV, 1708.



## SACRA CONGREGATIO CONCILII

## 147

### De integro probationis anno

(Resolutio *Aragoniae*, diei 10 decembris 1633)

Ludovicus de Moncada Prior Religionis Hierosolymitan. in Regno Castellae supplicat per Sacram Congregationem sibi responderi, an Antonius Gavina potuerit in dicta Religione professionem emittere anno probationis minime expleto.

Sacra Congregatio respondit requiri annum integrum probationis.

*Fontes* V, 2557.

## URBANUS VIII

## 148

### De voto non acceptandi dignitates

(Ex Motu proprio *Cum sicut*, diei 21 maii 1635)

§ 1. Cum, sicut accepimus, diversorum Ordinum, congregationum, et institutorum, ac etiam Societatis Iesu, personae regulares, ultra alia vota, etiam votum, promissionem sive iuramentum solemniter sive simpliciter emittant aut praestent de non petenda nec procuranda minusve acceptanda aliqua dignitate neque aliqua superioritate extra eorum religionem.

§ 2. Quoniam vero, propter infirmitatem seu aliam legitimam causam, Sedes Apostolica aliquibus personis regularibus licentiam aliquando impertitur se de una ad aliam religionem, etiam speciali nota et expressione dignam, etiam laxioris observantiae, trasferendi, necnon aliqui etiam religionum supra expressarum et cuiuslibet earum generales vel alii superiores, vigore, ut asserunt, facultatum sibi per Sedem eamdem concessarum, translationem de una ad aliam religionem, aut strictiorem, vel laxiorem, regularibus suis, sive per viam expulsionis, sive alio quovis modo, concedunt, vel alias regularibus suis huiusmodi, ut se transferant, occasionem praebent, vel etiam ipsi regulares ex aliquibus causis licentiam manendi extra claustra, etiam in habitu clerici vel sacerdotis saecularis, aliquando obtinere solent:

http://www.obrascatolicas.com/

§ 3. Ideo, ne per praefatas et quascumque alias translationes, expulsiones et dimissiones habitus regularis eorumdem regularium, quavis auctoritate, licentia, occasione, ratione et causa quantumlibet rationabili, favorabili, pia et publica, etiam in corpore iuris clausa, sive ratione maioris boni, ac alias quomodolibet, hactenus et pro tempore factas et faciendas, possint regulares huiusmodi, hactenus et pro tempore ut praefertur translati, expulsi, etiam post habitum religionis dimissum, praetendere se a dicto voto, promissione, sive iuramento de non petendo nec obtinendo aliquam dignitatem, et de illam etiam motu proprio collatam non acceptando, fuisse vel esse liberatos, quantum cum Domino possumus, opportune providere volentes; necnon voti, promissionis seu iuramenti, ac facultatum, aliorumque etiam de necessitate exprimendorum veriores et totos tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes; motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus et decernimus, quoscumque regulares praedictos cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, etiam quomodolibet exempti, etiam Societatis Iesu, per quamcumque translationem hactenus et imposterum quandocumque de sua ad aliam religionem vel Ordinem, ut praefertur, seu alias quomodolibet, etiam pluries, et per quamcumque expulsionem, habitusque regularis dimissionem, pro tempore factas, non esse, nec fore, minusve dici aut censeri posse seu debere a praefato voto, promissione, seu iuramento liberatos; sed eos hactenus et pro tempore, ut praefertur, translatos, expulsos, ac a delatione habitus regularis absolutos vel privatos, quarumcumque dignitatum huiusmodi proinde incapaces, et ad illas petendas, acceptandas et obtinendas inhabiles remanere, in omnibus et per omnia, perinde ac si translati, expulsi seu a delatione habitus liberati seu privati non fuissent. [a]

BR XIV, 475-476; *Bull. Carmel.* III, 520-521.

---

[a] Vide eiusdem Pontificis Motu proprio *Vota*, diei 25 ianuarii 1632, ad Societatem Iesu, in BR XIV, 270.



## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 149

### De professione in loco non designato emissa

(Ex Decr. *Ad occurrendum*, diei 5 ianuarii 1636)

Ad occurrendum motibus, qui possent in religionibus oriri occasione receptionis novitiorum et professionis per eos emissae in conventibus non designatis, contra formam decretorum sanctae memoriae Clementis VIII de novitiis ad habitum regularem et professionem non admittendis nisi in conventibus designatis, [a] audita super hoc sententia sacrae Congregationis Concilii, declaravit ac decrevit, huiusmodi receptos et professos contra formam dictorum decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis et professionis, non posse super huiusmodi nullitate post lapsum quinquennii quoquomodo audiri. [b]

BR XIV, 512.

### 150

### De admissione ad professionem

(Resolutio *Bononien.*, diei 9 aprilis 1644)

Orta dubietate super verbis S. Concilii Tridentini, c. 16, Sess. 25, *de reg.*: [c] finito tempore novitiatus Superiores, novitios, quos habiles invenerint, ad professionem admittant, aut e monasterio eos eiiciant. Quaeritur: An huiusmodi verba importent necessitatem admittendi vel eiiciendi finito novitiatu, ita ut non sit in libera voluntate Superiorum denegare absque causa legitima votum novitio habili, ut ad professionem admittatur.

Sacra, etc. respondit, non posse absque legitima causa denegari votum novitio habili, ut ad professionem admittatur, et multo minus eum eiici.

*Fontes* V, 2649.

---

[a] N. 120.
[b] Cfr. n. 159 necnon Benedicti XIV Const. ap. *Si datam*, diei 4 martii 1748, in BRc II, 331-339; *Fontes* II, 385.
[c] N. 99.

http://www.obrascatolicas.com/

## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### 151

### De consensu alterius coniugis ad professionem requisito

(Resolutio *Panormitana*, diei 25 novembris 1644)

Al memoriale di Suor Teresia Arcello professa vivente il marito, creduto già morto, supplica per la ratificatione della professione. Hoc supplici libello S. D. N. oblato et a S. sua ad Sacram Congregationem Regularibus praefectam remisso, eminentissimi eiusdem Congregationis Patres censuerunt committendum ordinario Panormitano, ut veris existentibus narratis, ac praestito per virum oratricis in actis Curiae Archiepiscopalis consensu ad illius Professionem, et iuramento de perpetuo caelibatu per eum servando, petitam licentiam, ac facultatem eidem oratrici suo arbitrio et prudentia concedat.

*Fontes* IV, 1769.

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 152

### De novitiatus interruptione

(Resolutio *Melphicten.*, diei 2 maii 1648)

Sacra, etc. respondit annum probationis D. Fabritii novitii in monasterio Congregationis Coelestinorum fuisse interruptum, nec ideo posse professionem expressam valide emittere absque novo probationis anno.

*Fontes* V, 2682.

## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### 153

### De dimissione ob infirmitatem

(Rescriptum diei 10 martii 1650, ad O. F. M. Cap.)

Non poteva la P. V. sotto pretesto d'infirmità corporale, che patisce fra Feliciano Du Tanne della Provincia di Lione, licenziarlo



dalla Religione Capuccina, ovvero dar facoltá al Difinitorio di mandarlo fuori per detta causa, essendo ciò prohibito da Sacri Canoni e Costitutioni Apostoliche, sotto gravi pene. Onde questi m. e. S. hanno risoluto, che non ostante tale licenza, V. P. lo faccia ritornare subito a Claustri, et all'obedienza della sua religione e che io l'ammonisca seriamente a guardarsi per l'avvenire di concedere simili indulti senza speciale commissione di questa Santa Sede. [a]

*Fontes* IV, 1790.

## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

### 154

### De novitiis et professis

(Ex Decreto *Ad propagandam*, diei 1 ianuarii 1658, ad Congregationem Vallisumbrosae Monachorum S. Ioannis Gualberti O. S. B.)

Primum iudicatur, ut in singulis dictae Congregationis Vallisumbrosae Monasteriis publicetur futurum examen eorum, qui ad habitum probationis recipi postulaverint, omnesque ab Abbate Generali, duobus Visitatoribus, nec non Abbatibus Ripolis, Sanctae Trinitatis, et Sancti Pancratii diligenter examinentur, an sponte, firmoque proposito, et bono zelo melioris frugis, et perfectioris vitae se Deo dicare velint, an potius levitate, vel necessitate, aut inordinato alio fine ducti postulent admitti; nec cuipiam facilis tribuatur ingressus, sed probentur Spiritus, si ex Deo sunt, et ad unguem serventur ea, quae S. Pater Benedictus praescribit in Regula cap. 58 de disciplina suscipiendorum fratrum, seduloque inquirant, an sint mente, et corpore sani, ex legitimo Matrimonio, ex honestis parentibus nati, conditione liberi, et in aetate legitima constituti, ut saltem decimum quintum annum expleverint, grammaticalibus rudimentis instructi, non excommunicati, non alterius Congregationis professi, nulla vulgari infamia maculati, de nullo errore suspecti, non criminosi, non aere alieno gravati, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxii, et summatim recipiendi omnes eas conditiones habeant, quae in Sacris Canonibus, Summorum Pontificum Constitutionibus,

[a] N. 203 sub V.

http://www.obrascatolicas.com/

et Decretis, praesertim Sac. m. Clementis PP. VIII [a] et in Regula praescribuntur. Recipiendorum autem qualitates per fidedignorum hominum testimonium probentur, antequam ad habitum admittantur, et idonei reperti, infra numerum, ut supra concessum, ab iisdem, Abbate generali, duobus Visitatoribus, et tribus praenominatis Abbatibus praeeligantur, ac per vota secreta approbentur, sicque approbati una cum litteris testimonialibus approbationis, manu propria eorumdem examinatorum subscriptis, ac iuramento firmatis, obsignatisque, transmittantur ad Abbatem Monasterii, seu Novitiatus, qui tum demum, et non prius eosdem praeelectos, et approbatos ad habitum probationis excipiat; et finito tempore Novitiatus congreget de more Capitulum Patrum, eosque de cuiusque Novitii qualitatibus edoceat. Et Abbas quidem Monasterii SS. Trinitatis Novitios in suo Monasterio susceptos cum litteris testimonialibus sui Capituli, quod annum probationis peregerint, et laudabiliter se gesserint, transmittat ad praenominatum Abbatem Monasterii Sanctae Mariae Vallisumbrosae, qui tam sic transmissos, quam alios in suo Monasterio receptos, quos cum suo Capitulo habiles invenerit, iuxta Constitutiones eiusdem Congregationis, ad professionem admittat, sub exacta tamen vita Communi ad praescriptum Regulae, non obstante quavis laxiore consuetudine, seu potius corruptela in contrarium introducta, servataque forma Sacrorum Canonum, Concilii Tridentini, et Constitutionum Apostolicarum, ac praecipue Decretorum eiusdem Clementis VIII. Quod si aliquem ex dictis Novitiis ante professionem a Religione discedere, aut expelli contigerit, alius in eum locum subrogari possit, dummodo tamen in omnibus servetur forma superius praescripta; sed et illud cavendum omnino erit, ne a volentibus ingredi Religionem pro ipsorum ingressu, nec post susceptum habitum probationis, pro admissione ad professionem, vel alio quocumque praetextu, excepto victu, et vestitu Novitii illius temporis, quo in probatione est, ab ipso, vel eius parentibus, aut propinquis, vel Curatoribus aliquid accipiatur, sub poenis per Sacros Canones, et Tridentinum Concilium statutis. Caeterum ut praedicti Novitii postquam in professorum numerum, ut praefertur, recepti fuerint, melius in bono spiritu, regularisque disciplinae observantia stabiliantur, et confirmentur, statim post professionem emissam collocentur in professorio, ut supra designato, ab ea quae Novitiorum est, atque antiquorum professorum habitatione distincto, et segregato.

[a] Nn. 131, 132.



Ita tamen ut si praedicta Religio ex suarum Constitutionum, seu Institutionum vigore, maiori temporis cursu novos professos intra Novitiatum detinere consuescat, illis in hac parte minime derogatum esse intelligatur. Et nihilominus permittitur Superioribus, ut idipsum facere possint, si rationi, et Religioni magis expedire iudicaverint. In quo quidem professorio degant sub Regulis, et modo vivendi adhuc strictiori, quam servent antiquiores professi, ita ut nec in negotiis Conventus se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alterius exterioris obedientiae officium exercere debeant, ibique permaneant quousque ad aetatem Sacris ordinibus suscipiendis sufficientem pervenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimmo et debebunt litterarum studiis operam navare, sub directione, et regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magistrum praeditum esse oportet, quaemadmodum ipsius Clementis Decreto provide sancitum est. [a] Porro in praedictis duobus Monasteriis pro Novitiatu assignatis, nec Superior nec Novitiorum Magister, nec familia Religiosorum constituatur, vel amoveatur, nisi ab ipsomet Generali, una cum Visitatoribus, neque in eis collocentur nisi Religiosi graves, devoti, exemplares, et regularis observantiae, ac puritatis Regulae studiosi. Praecipue vero caveatur ne ibi ponatur aliquis, qui non consentiat servare vitam communem, quae in praedictis Monasteriis ad Regulae praescriptum exacte observetur, indeque amoveantur, qui tam sanctae ordinationi contradicere, aut quoquomodo se opponere ausi fuerint. Ad extremum postquam Novitii in professorum numerum ut supra adscripti fuerint, Superiores Regulares, ad quos pertinet, illico Sacram Congregationem edoceant suprascripta omnia, et singula fuisse ad unguem adimpleta, et executioni mandata. Alioquin poenas in numeratis Decretis Clementis VIII fel. recor. statutas se subituros, ac novas licentias suscipiendi Novitios nequaquam fore impetraturos certo sciant, non obstantibus quoad praemissa omnia, et singula Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non praedicti Ordinis, Statutis, Consuetudinibus, et Privilegiis, caeterisque contrariis quibuscumque. [b]

Holste IV, 387-388.

[a] N. 132 ad 20.
[b] Eiusdem tenoris est Decr. S. C. super Statu Reg. *Ad propagandam*, diei 11 maii 1655, ad Ord. FF. Praed., in *Bull. Praed.* VI, 178; diei 10 iulii 1655, ad Ord. S. Ioannis de Deo, in *Boll. S. Giov.* 236-237.

http://www.obrascatolicas.com/

## ALEXANDER VII (1655-1667)

### 155

### De neophytis Deo sub religionis iugo servire volentibus

(Ex Const. ap. *Sacrosancti*, diei 18 ianuarii 1658)

6. Neophytos Deo sub Religionis iugo servire volentes sine rationabili causa regulares non respuant, sed pari charitate omnes, qui spiritu Dei aguntur, et ad perfectionem anhelant, amplectantur.

BR XVI, 327; *Fontes* I, 235.

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 156

### De novitiatus interruptione

(Resolutio *Romana*, diei 21 iulii 1663)

Ad serenitatem et quietem religiosae conscientiae novitiorum, ac subinde professorum comparandam, quorum animi non raro dubitationibus et scrupulis circa integritatem et continuationem anni probationis torquentur, supplex ex Sacra Congregatione quaerit Pater Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum:

2. An per exitum extra Conventum, dimisso habitu, et cum animo relinquendi Religionem ita interrumpatur novitiatus, ut etiamsi post aliquot horas tantum novitius redeat ad Conventum, teneatur denuo probationis annum inchoare.

4. An novitiatus possit cum Superioris Regularis licentia, et iusta causa, fieri partim in uno Conventu ad novitiatum designato, et partim in alio itidem designato.

Ad 2. Congregatio Concilii censuit, teneri.

Ad 4. respondit, affirmative.

*Fontes* V, 2788.



## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

### 157

### De iuvenibus ad habitandum in conventibus non recipiendis

(Decretum *Etsi decretis*, diei 16 maii 1675)

Etsi decretis Sacrae Congregationis super statu Regularium de mandato Summorum Pontificum Innocentii X, et Alexandri VII [a] iampridem editis pro novitiis recipiendis statutum sit, ut omnes, qui ad habitum probationis se recipi postulaverint, diligenter examinentur, ac per vota secreta approbentur quotquot idonei reperti fuerint aetate aliisque requisitis ad praescriptum apostolicarum constitutionum ac statutorum Ordinis, nec quisquam censeatur habilis ad huiusmodi habitum suscipiendum, ut clericus, nisi annum aetatis suae decimumquintum, neque ut conversus, nisi annum vigesimum expleverit: nihilominus in pluribus religionibus Italiae et insularum adiacentium aliquibus ab hinc annis introductum est, ut recipiantur adolescentes laici non quidem pro conversis, ut annum probationis incipiant, et finito tempore novitiatus, admittantur ad professionem, sed pro tertiariis, vel Oblatis, seu Donatis, eisque tradatur habitus, ut vocant, sine caputio illis dare consueto, ut sic inserviant alicui religioso particulatim, aut pluribus, vel omnibus communiter: et multoties pueri et adolescentuli recipiantur in monasteriis, non ut novitii, sed ut hospites seu postulantes se recipi pro clericis ad habitum probationis, et parva veste induti plures menses, quinimo et annos sic detineantur intra claustra, donec compleverint annum aetatis decimumquintum, clericis, ut supra praescriptum ad annum novitiatus inchoandum, idque eo praetextu, ut interea fiat experimentum de ipsorum indole, et aptitudine ad religionem: et aliquando etiam in eadem veste iidem pueri et adolescentuli admittantur in novitiatibus, et cum novitiis degant ad hoc, ut eorum voces pueriles in choro cum vocibus professorum misceantur, dum divina peragantur officia. Quoniam vero secundum canonicas sanctiones, et iuris regulas, cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti, [b] et memorati abusus irrepserint in fraudem legis, et elusio-

---

[a] N. 154.
[b] Reg. 84, R. J. in VI°.

http://www.obrascatolicas.com/

nem decretorum, ut supra editorum, in religionum dispendium, ac non sine multorum admiratione, et scandalo: Idcirco eadem Sacra Congregatio, ut in dies crescat in Ecclesia Dei sacrarum religionum splendor et veneratio, ex speciali mandato Sanctissimi D. N. Clementis divina providentia Papae decimi hoc praesenti decreto in virtute sanctae obedientiae praecipit omnibus et singulis superioribus generalibus, provincialibus, et localibus quocumque nomine ac titulo appellatis quorumcumque ordinum et congregationum tam mendicantium quam non mendicantium, ut de coetero neminem pro tertiariis, vel oblatis, seu donatis, aut commissis, vel servientibus, nec pro hospitibus, seu postulantibus, vel cantoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, sub quovis praetextu, vel causa, aut quaesito colore recipiant, seu admittant ad habitandum intra claustra, nisi vigesimum aetatis suae annum expleverit; omnesque sic receptos, seu admissos (iis tantum exceptis qui completa aetate annorum quindecim pro clericis, seu choristis in habitu novitiorum annum probationis agunt) a monasteriis, seu domibus regularibus omnino amoveant et eiiciant infra terminum duorum mensium inchoandum a die intimationis praesentis decreti faciendae procuratoribus eorundem ordinum et congregationum in Romana Curia existentibus. Quod si praedicti superiores praesenti decreto per omnia non paruerint, aut in aliqua eius parte contravenerint, poenam privationis dignitatum et officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, ac perpetuae inhabilitatis ad illa vel alia in posterum obtinenda, vocisque activae et passivae ipso facto absque alia declaratione incurrant. Non obstantibus quoad omnia suprascripta privilegiis, indultis, et consuetudinibus, coeterisque contrariis quibuscumque.

*Anal. Iur. Pont.* VIII, 2215-2216; *Bull. Cap.* VI, 458-459; *Bull. Praed.* VII, 338-339; BIZZARRI, 274-275.

## 158

### De exercitiis spiritualibus peragendis a promovendis ad Ordines

(Litt. circ. *La santità*, diei 9 octobris 1682)

La Santità di Nostro Signore, che con paterna sollecitudine riflette del continuo a tutti quei mezzi, che possono contribuire alla maggior sicurezza della salute delle anime, conoscendo col suo santo zelo quanto sia necessario un precedente divoto raccoglimento di spirito per degnamente prepararsi, tanto in ordine alli promovendi al ricevimento degli ordini, quanto rispetto alle Spose di Cristo al



vestir l'Abito, e professare lo stato religioso; vuole, e comanda, che tutti li promovendi sì agli ordini Minori, come Sacri, debbano per dieci giorni continui avanti l'Ordinazione ritirarsi a fare gli Esercizi spirituali nella stessa conformità prescritta alli promovendi in Roma nella Costituzione 126 della fel. mem. Alessandro VII che comincia *Apostolica sollicitudo;* [a] e che parimenti tutte quelle, che vorranno farsi Monache in qualsivoglia Monastero, anche soggetto ai Regolari, siano tenute fare i detti esercizi spirituali per dieci giorni avanti, che ricevano l'Abito, e siano ammesse al Noviziato. E che li medesimi esercizi si debbano ripetere per lo spazio di dieci giorni avanti, che siano ammesse alla professione, alla quale la Santità Sua comanda, che non debbano essere ricevute, se prima non averanno adempito questa santa preparazione. Desidera inoltre Sua Beatitudine, che si procuri con tutte le diligenze possibili, ma con modi soavi e discreti, che ancora tutte le Monache professe una volta l'anno almeno per qualche tempo, che si stimerà opportuno, facciano li medesimi esercizi per la rinnovazione dello Spirito tanto necessaria a chi con essersi rinchiusa nei Sagri Chiostri deve professare lo stato di perfezione.

BIZZARRI, 374-375.

## 159

### De novitiatu extra locum ei designatum peracto

(Resolutio *Ordinis Carmelitarum*, diei 19 septembris 1686)

Provincialis Carmelitarum Provinciae Venetae humiliter exponit, quod a quatuor circiter annis a quodam Superiore non pauci Adolescentes ex Statu Veneto oriundi, et (ut creditur) aliqui supra numerum a Sacra Congregatione concessum, fuerint vestiti habitu Ordinis, probati per annum, et professi in Conventu Deboretensi, imo, et aliqui etiam nunc ibidem sunt in annua probatione, qui quidem Conventus est membrum istius Provinciae Venetae, sed situs extra fines Italiae, et non est designatus pro Novitiatu dictae Provinciae; ideoque de validitate istarum professionum dubitatur, et humillime supplicat Orator, ut dignetur EE. VV. declarare:

1. An Receptiones, Novitiatus et Professiones illorum sint validae?

[a] Diei 7 augusti 1662, in BR XVII, 52-53.

http://www.obrascatolicas.com/

2. An (si sint nullae) Provincialis possit sua authoritate illos ex Religione dimittere, vel iuxta Decretum S. Congregationis datum 5 ianuarii 1636, [1] relatum tom. 5 Bullarii post Constitutionem 146 fel. mem. Urbani VIII de anno 1631, [2] teneatur iura, quae pro dimissione nulliter professorum favere videantur deducere coram hac S. Congregatione?

3. An dicti professi extra locum designatum (si alias canonice recepti sint) teneantur denuo professionem emittere, absque novo probationis anno conformiter dictae Constitutioni 146 Urbani VIII?

4. An ista Constitutio extendatur ad eos, qui post illius publicationem professi sunt extra Conventum designatum?

5. Et ad eos qui professionem emiserunt post Bullam 46 fel. me. Innocentii X datam 17 decembris 1649, [3] qua prohibetur, ne Superiores quempiam ad habitum vel professionem admittant sine licentia S. Congregationis, [a] alioquin receptiones tam ad habitum, quam ad professionem sint ipso iure nullae, nullamque inducant obligationem etc. ita ut illi qui absque licentia S. Congregationis seu praeter numerum ab illa concessum professi fuerunt, teneantur etiam suam professionem rursus emittere?

6. Casu quo praefata Constitutio Urbani VIII vim modo non habeat, an isti nulliter professi (si nondum per annum a sua professione in Ordine permanserunt) possint absque novo consensu Religionis suam professionem ratificare, vel si unum annum compleverint, censendi sint tacite professi?

7. An Novitii modo existentes in dicto Conventu sint mittendi ad alium pro Novitiatu destinatum, et annus probationis computandus sit a die susceptionis habitus, vel a die accessus ad legitimum novitiatum. Quas Deus etc.

Sacra Congregatio super Statu Regularium habita die 19 septembris 1686 ad singula Dubia superius proposita respondit ut infra videlicet:

Ad primum non esse validas, sed nullas.

Ad 2. negative quoad primam partem, affirmative vero quoad secundam.

Ad 3. quatenus velint remanere in Religione teneri peragere novum annum probationis, et novam professionem emittere in loco destinato pro Novitiatu.

Ad 4. Negative.

Ad 5. negative quoad primam partem: et Receptiones, et Professiones emissas contra dictam Bullam Innocentii esse nullas et invalidas.

Ad 6. negative.

Ad 7. affirmative quoad primam partem, et annum probationis esse computandum a die accessus ad legitimum locum Novitiatus.

Bizzarri, 279-281; *Fontes* IV, 1815.

[1] N. 149.
[2] N. 144.
[3] Const. *Inter cetera*, in BR XV, 646-649.
[a] Nn. 128, 131, 140.



## INNOCENTIUS XI (1676-1689)

### 160

### De voto obedientiae

(Ex Const. ap. *Caelestis pastor*, diei 20 novembris 1687, damnatio quarumdam propositionum Michaelis de Molinos)

65. Praepositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiae religiosorum tantummodo ad exteriores pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus et director intrant. [a]

BR XIX, 780.

## SACRA CONGREGATIO CONCILII

### 161

### Quaedam Clementis VIII decreta legenda edicuntur

(Ex Decreto *Instantibus*, diei 24 iulii 1694)

5. At quia nimia sine delectu facilitas recipiendi quoscumque Religionis ingressum petentes, et a Religione forsan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit eosdem e Claustris eiiciendi,

[a] Propositio damnata. Vide pulcherrimas Regulas monasticas Synodi Serborum (non unitorum), anno 1776 celebratae, pars I, cap. IV, in Mansi XXXIX, 583: « Voluntati superioris tanquam ipsius Domini nutui plene se subiiciat. Neque imperata ideo exsequatur alacriter, quia forte grata sunt et ad mentem suam, aut quia suaviter ac leniter fuere imposita, neque demum infligendae correptionis metu, aut ut superiori placeat, et ab eo aestimetur. Talis enim actus, vera ac formali oboediendi ratione carens, virtus dici nequaquam potest ».



http://www.obrascatolicas.com/

ne huiusmodi semina, quae a principio ad fructum faciendum cadunt in terram bonam, paulatim contaminata inordinatis moribus usque ad incorrigibilitatem succrescant in paleas, eadem Sacra Congregatio annuente Sanctissimo Domino Nostro sub interminatione divini iudicii, nec non privationis vocis activae et passivae, ac dignitatum et officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in posterum obtinenda, quibuscumque praedictorum Ordinum Superioribus districte praecipit et mandat, omnia et singula decreta san. mem. Clementis VIII registrata post decretum san. mem. Urbani VIII de apostatis et eiectis, incipien. *Regularis,* [1] *Sanctissimus,* [2] et *Nullus,* [3] una cum aliis subsequentibus decretis, provisionibus, ordinationibus et respective moderationibus bis in anno legi, eadem ad unguem servari, poenas in eisdem contentas innovari, et Capitibus Ordinum intimari, ne huiusmodi decretorum transgressores, qui in lege gloriantur, per praevaricationem legis Deum inhonorent, et ne militiae Christi adscripti tam de facili fiant desertores et profugi.

*Fontes* V, 2942.

## SACRA CONGREGATIO SUPER DISCIPLINA REGULARIUM

### 162

### De vita regulari conservanda

(Ex Decreto *Sanctissimus,* diei 18 iulii 1695)

Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus Noster D. Innocentius Divina Providentia Papa XII pro paterna charitate, qua Religiosos Ordines multis, magnisque in Ecclesiam Dei meritis refulgentes, et peculiaris erga Sedem Apostolicam devotionis nomine commendatos complectitur, volens eorum conservationi, et propagationi consulere, simulque ex iniuncto sibi coelitus Pastoralis officii debito providere, ut regularis in iis Disciplina ad Religiosorum salutem, et totius Christiani Populi aedificationem, utilitatemque, sarta tecta custodiatur, ac vigeat, et sic ubi collapsa est, adiuvante Domino reparetur, constituit, et declaravit, se licentiam recipiendi Novitios in singulis approbatis Ordinibus benigne concessurum, ut volentibus

---

[1] N. 123.
[2] N. 131.
[3] N. 120.



e periculis saeculi fluctibus ad Religionis portum confugere facilis, tutusque aditus aperiatur; dummodo tamen ea, quae pro Regulari vita recte instituenda ... pro Novitiorum receptione, et Professorum educatione salubriter constituta sunt, ... exacte, et inviolate serventur.

Quocirca Sacra Congregatio ab eodem Sanctissimo Domino Nostro super Disciplina Regulari specialiter deputata, quae plura hactenus pro recta nonnullorum Monasteriorum gubernatione Decreta edidit, aliaque in dies editura est, ut omnibus praefata eiusdem Sanctissimi Domini Nostri mens pateat, ac plenius et celerius innotescat, de mandato Sanctitatis Suae praesentis Decreti tenore denuntiat omnium singulorum Ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis, qui in praefatis Clementis VIII Decretis excepti reperiuntur) Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, quocumque nomine nuncupentur, caeterisque, ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, et Insulas adiacentes quamprimum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique auctoritate Apostolica statuant omnimodam observantiam Regulae, Constitutionum uniuscuiusque Ordinis, et Decretorum Apostolicorum, praecipue vero exactae vitae communis ad formam eorumdem Decretorum ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii, et Professi educandi sunt, morabuntur, omnino servandae...

Quae quidem omnia, quo facilius, et durabilius ad praxim deduci valeant, eadem Sacra Congregatio Sanctitatis Suae auctoritate committit, et in virtute Sanctae Obedientiae praecipit praefatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis Conventibus non collocent, nisi Religiosos graves, devotos, exemplares, Regularis observantiae, et puritatis Regulae studiosos, orationi praesertim, ac mortificationi, sine quibus non potest Religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exacte servare vitam communem, atque inde amoveant eos omnes, qui tam Sanctae Ordinationi contradicere, seu verbis, aut factis quoquomodo sese opponere audeant.

Ut autem tam laudabilis vitae institutum, et Regulari Professioni maxime proprium Religiosi alacrius abripiant, omnisque excusatio infirmioribus praecludatur, eadem Sacra Congregatio similiter praecipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (implorata etiam, ubi opus fuerit, Apostolica auctoritate) praefici omnino curent Viros non solum disciplinae zelo, sed etiam charitate, et morum suavitate praeditos, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant...

http://www.obrascatolicas.com/

Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes, cuiuscumque Ordinis, et Instituti sint, Sanctitatis Suae verbis, serio admonet, et in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicuti filios Obedientiae decet, ad Regulae, quam amplexi sunt, praescriptum vitam instituant, et componant, Decretisque Apostolicis pro aeterna illorum salute editis sincere, ac fideliter pareant, nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, et fallaciis, aut relaxationum praetextibus, ad excusandas excusationes in peccatis, abduci se sinant; sed Professionis suae memores, qua se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum Christianae perfectionis iter, arduum quidem, sed Divinae charitatis dulcedine aspersum, abiectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur: Nimis enim turpe esset, eos ad saecularia desideria, quibus semel, aspirante Domino, renunciarunt, animum revocare, et obligatam Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint, se ad peculiarem Salvatoris Nostri sequelam vocatos, qui, cum dives esset, propter nos egenus factus est, veterumque illorum Fidelium gloriosos imitatores, ac veluti haeredes esse, quorum erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat; ideoque in Regularis vitae, ac praecipue Sanctae Paupertatis, quae est parens quaedam generatioque virtutum, proposito perseverent, omnem solicitudinem suam proiicientes in eum, cuius oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se, sed dives in misericordia centuplum, et vitam aeternam, propter nomen suum relinquentibus omnia, repromisit.

*Bull. Cap.* VI, 455-457.

## 163

### De noviter professis in Italia in domibus perfectae observantiae collocandis

(Decretum *Cum Sacrae*, diei 2 octobris 1698)

Cum Sacrae Congregationi super Disciplina Regulari innotuerit, quamplures Religiosos variorum Ordinum post emissam in Conventibus Regularis observantiae, et exactae vitae communis professionem, ad alia postmodum loca translatos esse, ubi eadem observantia non vigente, vel infirmiorum Fratrum exemplo, vel etiam rerum necessariarum defectu, paulatim a suscepto regularis Vitae tenore



deflectunt ad instar Evangelici seminis, quod natum aruit, quia non habebat humorem; qua de re complures Religiosi Viri, Regularis observantiae zelatores etiam apud Sanctissimum Dominum Nostrum conquesti sunt: eadem Sacra Congregatio, ne recta iuvenum institutio, quae in Religiosis Ordinibus tanto studio procuratur, inutilis evadat, et elusoria, si, quod aedificari coeptum est, consummari non possit, et propheticum illud eveniat: Seminastis multum, et intulistis parum; utque omni perniciosae relaxationis occassione praeclusa, eadem Regularis observantia quotidie magis benedicente Domino stabiliatur, et crescat, inhaerendo Decretis alias sub die 18 iulii 1695 [a] editis, in virtute Sanctae Obedientiae mandat, et praecipit omnium, et singulorum Ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis, qui in praefatis Decretis excipiuntur) Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, aliisque, ad quos pertinet, ne deinceps ullum ex Religiosis, qui in Conventibus, seu Monasteriis intra Italiam, Insulasque adiacentes pro omnimoda Regulari Observantia, et exactae vitae communis custodia, ab eadem Sacra Congregatione specialiter designatis, aut approbatis hactenus professionem emiserunt, et inposterum emittent, ad alios Conventus, seu Monasteria, in quibus eamdem prorsus observantiam, praesertim quoad exactam vitam communem, rerumque singulis Religiosis necessariarum promptam subministrationem vigere, ipsius Sacrae Congregationis iudicio, ac speciali desuper expediendo Decreto non constiterit, sub quovis praetextu transferre audeant, vel praesumant, eadem Sacra Congregatione inconsulta:

Superiores, qui contra fecerint, privationem Dignitatum, et Officiorum, ac perpetuam ad eadem, aliaque inposterum obtinenda inhabilitatem, Subditi vero, qui ad loca, ut praefertur, non approbata transierint, non obtenta prius Sacrae Congregationis licentia, privationem vocis activae, et passivae ipso facto, et absque alia declaratione se noverint incurrisse.

Superiorum itaque eorumdem curae, ac diligentiae erit praefata loca ad normam saepius dictae regularis Disciplinae composita opportune praeparare, ut ad eadem Religiosi nuper ad professionem admissi, et in futurum admittendi, suo tempore transferri, ibique provectorum, et puritatis Regulae zelo praestantium Religiosorum institutione, et exemplo pietatis, ac litterarum studiis iuxta cuiuscum-

[a] N. 162.

http://www.obrascatolicas.com/

que Ordinis Constitutiones, et laudabiles consuetudines exerceri valeant, simulque in suscepto Regularis observantiae proposito confirmari; alias sciant ulteriorem pro suscipiendis Novitiis licentiam, donec praedicta se adimplevisse docuerint, sibi penitus denegandam, et nihilominus negligentiam suam eiusdem Sacrae Congregationis authoritate modis omnibus fore supplendam.

Praesens vero Decretum Sanctissimo Domino Nostro relatum, Sanctitas Sua in omnibus, et per omnia benigne laudavit, et approbavit, voluitque in solitis Urbis locis affixum, et publicatum, omnes, et singulos, ad quos pertinet, perinde afficere, ac si cuilibet eorum fuisset personaliter intimatum.

Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon singulorum Ordinum Regularium Statutis, Consuetudinibus, Privilegiis, caeterisque contrariis quibuscumque.

*Bull. Cap.* VI, 457-458; *Bull. Praed.* VI, 365-366.

## CONCILIUM PROVINCIALE RUTHENORUM (1720)

### 164

### De studiis theologicis instaurandis

(Decreta, tit. XV, initio)

Nequaquam dubitandum est, quin literae adeo sint ecclesiasticis necessariae, ut, nisi scientia polleant atque doctrina, nequeant suo muneri satisfacere, ex quo gravissimum in Ecclesiam Dei detrimentum emanat; si enim, ut ait Isaias, speculatores ecclesiarum sunt caeci, si nesciunt universi, si canes muti sunt, non valentes latrare, si pastores ignorant intelligentiam, omnes a summo usque ad novissimum in viam suam declinent necesse est. [1] Quapropter ad nostrae Ecclesiae promovendam reformationem cum maxime intersit sacrarum literarum peritiam ac studia instaurari, visum est statuere, ut in singulis monasteriis, ubi plures quam duodecim religiosi aluntur, tum pro regularibus, tum pro saecularibus, qui accedent, erudiendis, stu-

[1] Is. LVI, 10-11.



dia theologica instituantur. Quae vero minus opulenta sunt et pauciores habent monachos, aliquos iuvenes felicioris ingenii vel ad alia monasteria mittant studiorum causa, vel penes se aliquid de morali theologia lingua saltem vernacula continuo doceri curent a lectoribus aliunde, si fuerit opus, adscitis. Quodsi superiores monasteriorum negligentes fuerint, per loci Ordinarium, sin minus, per Metropolitanum ad id compellantur.

*Coll. Lacen.* II, 61.

## INNOCENTIUS XIII (1721-1724)

### 165

### Promovendi ad sacros ordines qua scientia pollere debeant

(Ex Const. ap. *Apostolici ministerii*, diei 23 maii 1723, pro restauranda ecclesiastica disciplina in regnis Hispaniarum data)

5. Praeterea, cum maxime deceat eos, qui propius ad sacratissima mysteria accessuri sunt, ultra cetera requisita, congruenti etiam pollere scientia, qua praediti viam salutis indicare aliis christifidelibus possint, episcopi nonnisi eos ex clero tam saeculari quam regulari ad sacros ordines admittant, quos ob scientiam aliasque qualitates eo gradu vere dignos per diligentem inquisitionem compererint, adeout satis non sit illos qui promoveri ad ordines praedictos optant, linguam latinam intelligere, catechismo instructos esse, atque apte respondere quaesitis circa ordinem suscipiendum sibi in examine propositis; qui vero ad presbyteratus erunt assumendi, idonei prius per accuratum similiter examen comprobentur ad ministranda sacramenta et ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem; quod quidem ut recte praestari possit, eosdem episcopos in Domino hortamur, ut, quantum fieri potest, eos tantum ad sacerdotium assumant, qui saltem theologiae moralis competenter periti sint.

BR XXI, 933.

### 166

### De dimissorialibus litteris

(Ex eadem)

17. Quoties vero regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis cardinalium Concilii Tridentini interpretum a piae memoriae Clemente Papa VIII praedecessore etiam

http://www.obrascatolicas.com/

nostro confirmatum die 15 martii 1596, quo sancitur non ad alium quam ad episcopum dioecesanum litteras dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu quo dioecesanus a dioecesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in litteris dimissoriis ad alium episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio vel de praedicta episcopi dioecesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet quod ordinationes non sit habiturus,[a] exceptis tamen, quoad praedicta, regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum ut a quolibet catholico antistite ordines suscipere possint,[b] super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus. Noverint autem episcopi se debere per semetipsos, secluso aegrotationis casu, ordines conferre, et sacrorum ordinum collationem, statutis a iure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis et adstantibus canonicis, publice habendam esse, vel, si in alio dioecesis loco, semper tamen in ecclesia quantum fieri poterit digniori ac praesente clero eiusdem loci. Ne vero incertitudo, an ipsi ordinationes sint habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis varia dioecesis loca inhabitantibus, per mensem ante, singulis vicibus, publico edicto ab iisdem episcopis denuntietur, se ordinationes esse habituros, adeout quoties denuntiatio huiusmodi facta non fuerit, inde satis intelligant regulares, episcopum dioecesanum ordinationes ea vice minime esse habiturum, sibique idcirco licitum futurum ordines ab alio episcopo suscipere cum litteris dimissoriis a suorum superiorum ad eum directis, servata in iis forma superius expressa.[c]

BR XXI, 937-938.

## BENEDICTUS XIII (1724-1730)

### 167

### De novitiis et professis

(Ex Const. ap. *In supremo*, diei 17 septembris 1725, ad Ordinem S. Ioannis Dei)

§ 2. Quo autem probatio iuvenum in ipsum Ordinem admittendorum exactius perficiatur quam hactenus fieri consuevit, cum per

[a] N. 127.
[b] N. 102.
[c] Praesens Constitutio invenitur etiam in Benedicti XIII Const. ap. *In supremo*, diei 23 septembris 1724, in *Fontes* I, 283.



eiusdem Ordinis constitutiones dumtaxat praecipiatur, quod sub fine anni probationis congressus a fratribus habeatur, in quo novitii mores, vitae consuetudo, instructio in rebus Ordinis praefati ac spiritualis progressus discutiuntur, et vota demum pro illius admissione vel dimissione conferantur, mandamus ut eiusmodi congressus ac discussio singulis quatuor mensibus deinceps fiant, idque sub eadem poena privationis vocis activae et passivae per priores locales illa facere negligentes similiter incurrenda, et, quatenus post peractum examen novitius, uti inventus dicti Ordinis minime aptus et utilis in primo, secundo vel tertio congressu a professione emittenda per pluralitatem suffragiorum exclusus fuerit, dicti priores eum statim a religione et novitiatu dimittant ad propria reversurum, nec ullus ex dictis fratribus dimissionem novitii sic exclusi, directe vel indirecte, sub simili poena, impedire vel morari audeat; ipsis prioribus sub eadem poena insuper iniungentes, ne quovis praetextu vel colore ullum novitium ad annum probationis vel professionem admittant, nisi prius exercitia spiritualia rite peregerit, super quibus nullatenus cum eo dispensari valeat.

§ 3. Recenter autem professi, per totum immediate insequentem annum collocentur in domibus seu conventibus, quibus adsunt professoria, vel in futurum erigentur, ut ibi segregati, ac sub disciplina magistri ad eos regendos et instruendos specialiter deputandi degentes, regulas novitiatus omnino servent, quo in suscepto religionis spiritu magis confirmentur, quin integro illo anno durante ex quavis dispensatione aut alio praetextu extra eadem professoria collocari possint, sed ad summum, ob aliquam eorum necessitatem, si eorum priori generali vel provinciali convenire videbitur, de uno ad aliud professorium, donec annum praedictum exegerint, transferri valeant.

§ 4. Quamvis vero in eisdem constitutionibus expresse non caveatur, quod per tres annos continuos a professione emissa computandos nemini demandentur officia illa quae non conferuntur per canonicam electionem sed ad libitum priorum conventualium, quia tamen plurimum interest ut religiosi illi, durante dicto triennio, hospitalitatis iuxta eiusdem Ordinis institutum officiis exercendis incumbant et assuescant, nec immatura adhuc aetate protinus muniis illis admoveantur quae cum libertate saepius coniuncta sunt: eisdem prioribus conventuum et aliis superioribus quibuscumque sub enarrata poena interdicimus, ne religiosis praedictis eiusmodi officia committant, et, si aliquando contingat superiores locales aliis religiosis ultra triennium iam professis, quibus dicta officia conferre possint,

http://www.obrascatolicas.com/

destitutos esse, tunc demum illos requirent a dicto priore generali vel provinciali, qui eos mittere teneantur.

BR XXII, 257; *Boll. S. Giov. di Dio*, p. 321-322.

168

**De privilegio vasa sacra contrectandi**

(Ex Const. ap. *Illius cuius*, diei 28 septembris 1725, ad Congregationem Doctrinae Christianae).

Simpliciter clericis, quos sacrariis ecclesiarum, oratoriorum, seu capellarum dictae Congregationis praefici contigerit, vasa sacra absque ullo conscientiae scrupulo contrectandi, licentiam et facultatem tribuimus et impertimur.

BR XXII, 274.

## CONCILIUM ROMANUM (1725)

169

**De temporibus ordinationum**

(Decreta, tit. V, cap. II)

Quo vero ad Regulares privilegia a summis Pontificibus habentes, sive expresse sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet Ordines extra tempora suscipiendi, cum Privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde, Regulares eosdem absque novo indulto Apostolico tuto posse extra tempora ordinari. [a]

*Coll. Lacen.* I, 354.

## CONCILIUM PROVINCIALE FIRMANUM (1726)

170

**De statu monachorum et eremitarum**

(Constitutiones, tit. XII)

Arduum plane et periculis plenum eremitarum propositum paternae nostrae sollicitudinis merito excitat officium; praesertim cum eremus, a summis viris olim culta, quorum opera ac studio solitudo

[a] Cfr. *Fontes IV*, 1847; Conc. Trid., sess. XXIII, *De ref.*, c. 11-14, in Mansi XXXIII, 144-145. — Vide etiam n. 10.



exultabat et florebat quasi lilium, neglecta modo iaceat ac moerens, ita ut, si quis nova cum veteribus conferat, fateri debeat, obscuratum esse aurum, mutatum colorem optimum. Itaque sanctae synodo primum praecavendum esse videtur, quod olim magnus ille monachorum pater ac magister Benedictus animadvertit, ne quis scilicet conversionis fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna fraterna ex acie ad singulare certamen adversus diabolum descendat. Et sane, quantum fieri poterit, antequam quis ad eremum dimittatur, in aliquo severioris disciplinae monasterio probetur informeturque; deinde illis, qui litterarum gnari sunt, asceticorum librorum lectio summopere commendetur; ac praesertim, ut collationes patrum ac vitas et verba seniorum assidue legant: inde enim, unde huius caelestis vitae genus initium duxit, capient exempla vivendi et praecepta vitandi callidi hostis insidias.

*Coll. Lacen.* I, 601; Mansi XXXVII, 635.

## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

171

**De professionis dilatione**

(Resolutio *Ordinis Augustin. Excalceatorum*, diei 12 ianuarii 1731)

In Sacra Congregatione habita sub die 22 decembris 1730 proposita fuerunt infrascripta dubia Ordinis Augustin. Excalceatorum Congregationis Gallicanae.

1. An quando Novitii Clerici, aut laici bona fide susceperunt habitum ante tempus; ita ut finito anno et die novitiatus non attigerint aetatem a Constitutione pro professione praescriptam possit ipsis absque dispensatione et periculo nullitatis differri professio, donec praescriptam aetatem attigerint?

2. Utrum absque dispensatione et periculo nullitatis possit aliquando differri professis tam Clericis quam laicis, qui finito anno et die Novitiatus attigerunt aetatem pro professione requisitam si ad prudens iudicium P. Vicarii Generalis aut PP. Conventualium Capituli Conventualis adsint Causae graves differendi professionem?

Sacra Congregatio re mature discussa, referrente Emo Card. Belluga Ponente censuit rescribendum, prout praesentis Decreti tenore benigne rescribit.

Ad utrumque affirmative, et amplius etc.

Bizzarri 325; *Fontes* IV, 1848.

http://www.obrascatolicas.com/

## SYNODUS MONTIS LIBANI (1736)

### 172
### De anno probationis

(Constitutiones et canones, pars IV, cap. II, n. 21)

IV. Nullus ad professionem admittatur, nisi expleto saltem anno probationis. Et expediret quidem, ut probatio ad duos ac tres annos protrahatur, nisi aliud suadeat anteacta novitii ipsius vita et mores; idque non Abbatis solius, sed monachorum etiam in eodem monasterio professorum arbitrio ac suffragio relinquitur.

*Coll. Lacen.* II, 373.

### 173
### De labore manuum et de studio

(Ibidem)

XII. Sic labor manuum ab omnibus exerceatur, ut disciplinam orandi et legendi non pretermittant. Divina igitur officia nocturna et diurna singulis diebus celebrent; bis singulis mensibus sacerdoti ad confessiones excipiendas constituto peccata sua confiteantur, et sacra communione reficiantur. Ad mensam tam meridie, quam vespere lectio alicuius spiritualis libri adhibeatur. Diebus autem festis ad monachos laicos habeatur catechismus, et in iis, quae sunt ad salutem aeternam comparandam et ad regularis disciplinae observantiam necessaria, instruantur. Curent denique Abbates, ut sit sufficiens numerus sacerdotum et clericorum in unoquoque monasterio; et quos idoneos cognoverint, doceant legere et scribere Syriace et Arabice, grammaticam utriusque linguae, dialecticam et theologiam saltem moralem.

*Ibidem*, 375-376.

### 174
### De professione religiosa et de transitu ad aliam religionem

(Ibidem)

XIV. In quacumque religione tam virorum quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea



facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulae vel religionis vel ordinis observationem aut ad alios quoscumque effectus.

XVII. Nemo etiam regularis cuiuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem.

*Ibidem*, 376-377.

## BENEDICTUS XIV (1740-1758)

### 175
### De sacerdotibus saecularibus religionem ingredi cupientibus

(Ex Epist. decr. *Ex quo dilectus*, diei 14 ianuarii 1747, ad Card. Quirinum)

Denique, huic Epistolae iam nimis prolixae finem facturi, unum adhuc addimus; ex centum nimirum Archidiaconis non facile duos inventum iri, qui Archidiaconatum dimittere, et Religionem ingredi velint. Contra vero, in pari Regularium numero, multos sane inveniri posse, qui Regularem vitam pro Archidiaconatu adipiscendo relinquerent. Quare, quum Leges versari oporteat circa ea, quae frequenter accidunt; profecto non tam nova Lege opus erit ad retinendos Clericos, et Presbyteros Saeculares, ne Religiones ingrediantur; quam necesse esset aliquid excogitare, quo magis intra Religiosa Claustra continerentur ii, qui Regularem vitam amplexi, et professi sunt. Vix enim credibile est, quam multi a Regularibus Ordinibus migrare variis artibus quotidie moliantur. Neque solum de Apostatis loquimur, quorum numerus in dies augetur; sed, si omnes, qui nullitatem Professionis suae iudicio experiri aggrediuntur, illam apud Iudices probarent; si omnes, qui Dignitates extra Religionem ambiunt, voti compotes fierent; si demum facilem apud Nos aditum invenirent eorum instantiae, qui e Claustris exire, et in habitu Presbyteri Saecularis, sub obedientia Episcoporum, et cum obligatione servandi Vota Religiosa, quatenus conciliari possunt cum statu Clerici Saecularis, in Saeculo manere vellent; longe utique minor eorum foret numerus, qui Religionem professi, ad mortem usque in illa perseverarent.[a]

BRc II, 162-163; *Bull. Cap.* VIII, 116.

---

[a] Vide Epist. S. C. Ep. et Reg. *Acceptis novis*, diei 20 decembris 1859, ad Episcopum N. N. incerti loci, in Bizzarri, 669-670; *Bull. Cap.* X, 376-377; *Enchir. Cler.* 358.

http://www.obrascatolicas.com/

## 176

### De litteris dimissoriis

(Ex Const. ap. *Impositi nobis,* diei 27 februarii 1747)

§ 12. Praeterea volumus, atque decernimus, ut Superiorum Regularium Dimissoriae, quae ideo ad alium Antistitem directe fuerint, propterea quod Episcopus Dioecesanus extra Dioecesim commoretur, vel Ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris, et momenti, nisi illis iuncta fuerit authentica attestatio Vicarii Generalis, et Cancellarii, aut Secretarii eiusdem Episcopi Dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a Dioecesi abesse, vel Clericorum Ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas Leges ad hunc effectum statuto. [a]

BRc II, 167; *Bull. Carm.* IV, 356.

## 177

### De duplici professione religiosa

(Declaratio *Nemo est,* diei 19 iunii 1750)

Nemo est, qui ignoret, duobus modis religiosam Professionem fieri, vel ut melius dicamus, duplicem esse religiosam Professionem, unam expressam, alteram vero tacitam. *Expressa* fit, quum debitis servatis solemnitatibus tria vota castitatis, paupertatis et obedientiae conceptis verbis emittuntur, quae a Constitutionibus Ordinis, in quo quis se velle vivere confitetur, praescripta sunt. *Tacita* autem in eo posita est, cum quis ea exercet et operatur, ex quibus arguitur, ad vivendum in aliqua Religione se obligare voluisse, etsi solemniter et expresse eam professus non fuerit.

Tacita Professio a Sacro Trid. Concilio iuxta communiorem sententiam sublata non est... Sed cum in eodem Concilio decretum fuerit: *nullas ac irritas esse Professiones, quae in quacunque Religione fiunt ante annum decimum sextum aetatis Profitentis, et antequam integer annus probationis expletus fuerit,* hinc recte deducitur, etiamsi a Concilio tacita Professio sublata non sit, eam tamen locum non habere, si actus, ex quibus illa inducitur, peracti non fuerint post annum decimum sextum aetatis Profitentis et postquam annus probationis completus est. [b]

*Bull. Cap.* VIII, 154-155.

---

[a] N. 127, necnon *Fontes* V, 2216, 2280, 2294, 2325, 2334, 2418 etc.
[b] N. 203 sub XI.



## SACRA CONGREGATIO SUPER DISCIPLINA REGULARIUM

## 178

### De fratribus laicis instruendis

(Litt. circ. *Frequenti sono,* diei 15 martii 1758, ad omnes Superiores Provinciales in Italia)

Frequenti sono stati i ricorsi che in diversi tempi si sono fatti a questa Sacra Congregatione della disciplina Regolare, della grave ignoranza, che vi era tra Laici, e Conversi di molte Religioni, non solo degli obblighi che sono particolari del loro proprio stato ma anche della Dottrina Cristiana, e delle cose più importanti di nostra Santa Fede; e con quel premuroso zelo, che dovea non à manchato con replicate Lettere circolari dei 9 novembre 1709, e dei 20 febbraio 1739 inculcare li Superiori Generali degli ordini più pressanti ordinazioni, che in ogni Convento in ciascuna Domenica dell'anno da un Padre da destinarsi dal Superiore Locale si spiegasse ai Religiosi Professi nello stato Laicale e precisamente ai questuanti la Dottrina Cristiana, il Catechismo, ed ancora qualche punto della Regola, premendo sopra tutto su ciò che riguarda i doveri della vita Religiosa, che professano.

---

*Frequentes diversis temporibus habiti sunt recursus ad hanc S. Congregationem super Disciplina Regulari circa gravem ignorantiam, quae in plerisque multarum Religionum Laicis et Conversis reperiebatur, non solum de obligationibus proprio statui peculiaribus, verum etiam de Christiana Doctrina rebusque maximi momenti ad nostram sanctam fidem spectantibus, et sollicito quo debebat zelo iteratis circularibus epistolis die 9 novembris 1709 et 20 februarii 1739 non omisit Superioribus Generalibus inculcare urgentiores ordinationes, quatenus in unoquoque Conventu singulis per annum Dominicis ab aliquo Patre per Superiorem Localem designando Religiosis in statu Laicali professis, praecipue autem stipem rogantibus explanaretur Doctrina Christiana, catechismus, nec non punctum aliquod Regulae, pressius tamen insistendo super muneribus, quae sui Instituti vitam respiciunt.*

http://www.obrascatolicas.com/

Non obstante però tutti questi replicati ordini di essa Sacra Congregatione continuano, ed in iscritto, ed in voce le querele dei zelanti Religiosi, che la Spiegatione della Dottrina Cristiana ai Conversi venga trascurata, anche nelle più osservanti Religioni, tanto che alcuni di essi Religiosi con lagrime hanno attestato ritrovarsi in essi una si crassa ignoranza, che non sappiano nè anche i principali Misteri di nostra S. Fede.

Per riparare adunque ad un tanto lagrimevole disordine, à creduto questa Sacra Congregatione della disciplina Regolare, anche con espressa approvazione della Santità di nostro Signore, chè si eccitasse il lodevole zelo di Vostra Paternità, affinchè con viva, ed efficace Lettera circolari a tutti i Provinciali d'Italia, ed Isole adiacenti faccia loro conoscere il debito preciso del loro Officio, d'invigilare su dei Superiori locali per l'esato adempimento di obligo di rilievo, qual'è l'instruzione dei loro Conversi nella Dottrina Cristiana, e lo stretto conto, che dovranno rendere a Dio, dell'altri ignoranza, ordinando ad essi Superiori Provinciali.

1. Che nel ricevere i Conversi alla Religione, la Principale cosa su cui debbano essere esaminati sia sulla Dottrina Cristiana, secondo

*Non obstantibus tot tantisque S. Congregationis iussionibus querimoniae zelantium Religiosorum adhuc perdurant, qui tum scriptis, tum oretenus affirmarunt: explanationem Doctrinae Christianae pro Conversis etiam apud observantiores Religiones ita neglectam esse, ut eorum quidam illacrymantes testati fuerint, se adeo crassa ignorantia detineri ut vel ipsa sacrosanctae fidei nesciant Mysteria.*

*Ad obeundum ergo huic nimis lacrymabili malo haec S. Congregatio super Disciplina Regulari, approbante etiam expresse SS. D. N. censuit ad excitandum laudabilem Paternitatis Tuae zelum, ut acri atque efficaci Epistola circulari omnibus Provincialibus Italiae ac Insularum adiacentium inscripta in eorum mentem revocet praecisum sui officii debitum invigilandi super Locales Superiores, ut tantum munus, instructionis videlicet suorum Conversorum circa Doctrinam Christianam diligentissime expleant, simulque animadvertent durissimam de illorum ignorantia rationem quam Deo sunt reddituri; ac propterea ipsis Superioribus Provincialibus sequentia praescribant.*

1. *Quod Conversi ad Ordinem recipiendi prae omnibus examinentur super Doctrina Christiana iuxta specialiter praescriptum a*



viene specialmente prescritto dai Decreti della s. mem. di Clemente VIII *De Educatione Noviciorum,*[a] e non trovandoli ammaestrati, come convienne, in niun conto li ricevano.

2. Che in tutte le maniere, senza vi sia scusa alcuna, che possa darne esenzione, facciano in tutti i Conventi, in ciascuna Domenica, o altro giorno della settimana, che dal Superiore locale sarà stimato più opportuno, ai Laici Professi Terziari, od Oblati, da un Padre, che egli giudicherà capace, spiegare la Dottrina Cristiana, il Catechismo, e qualche punto della Regola, che riguarda i doveri, gli obblighi precisi della loro vita Regolare, e specialmente appartenenti al voto di Povertà.

3. Che portandosi essi Provinciali in Visita, come altresi qualche altro in grado di Visitatore, tra le più importanti cose, che con maggior premura debbano inquirere, sia l'informarsi, se i Superiori locali facciano adempire una tale spiegazione della Dottrina Cristiana, e se esattamente si esseguisca, esaminando anche i detti Laici, con osservare come siano in quella instructi, e nel caso, che trovino dell'ignoranza nei medesimi, o che tale esercizio non sia esattamente praticato, rigorosamente castighino, ed essi, ed i Supe-

*Decretis s. m. Clementis VIII* De educatione Novitiorum;[a] *quod si ut decet instructi non inveniantur, nullo modo recipi debeant.*

2. *Quod omnino reiecto quocumque exemptionis praetextu in omnibus Conventibus unaquaque Dominica, vel alia hebdomadae die, quae Superiori Locali magis opportuna videbitur per Patrem, quem ipse idoneum iudicabit, Laicis Professis, Tertiariis vel Oblatis explicatio fiat Doctrinae Christianae, nec non articuli alicuius Regulae circa munia, obligationesque praecisas eorum regularis vitae, praesertim ad votum Paupertatis pertinentia.*

3. *Quod in S. Visitatione Provincialis, vel quivis alter Visitationis munere fungens inter graviora, quae singulari debent sollicitudine inquirere, hoc praecipue sit, utrum Locales Superiores satagant de praefata Doctrinae Christianae explanatione habenda, atque accurate exequenda, facta etiam de Laicis eisdem periculo, ut cognoscant quonam pacto in ea sint instructi, cumque repererint vel in ipsis ignorantiam, vel huiusmodi exercitium minus exacte perfici, severe puniant tum ipsos, tum Superiores Locales pro mensura negligentiae,*

[a] N. 132, § 4.



http://www.obrascatolicas.com/

riori locali a misura della loro trascuragine, anche con privarli, e sospenderli dall'officio come dalla Sacra Congregatione non si mancherà, essendo avvisata, che si usi dal qualche Superiore locale della negligenza di procedere a quei condegni castighi, anche di privazione di voce attiva e passiva, ed altri che crederà convenevoli.

4. Ed acciochè si mantenga sempre vivo nei Superiori locali l'adempimento di tale Ordine, è mente della Sacra Congregatione, che questa sua Lettera dai medesimi si faccia leggere due volte l'anno in publico Refettorio di ciascun Convento nella stessa maniera, che si pratica di altri simili ordini.

È sicura la stessa Sacra Congregatione, che Vostra Paternità non tralascerà con suo commendabile zelo adempiere quanto le viene prescritto, invigilando nella più attenta, ed efficace maniera, che un dovere di si grande importanza, qual'è l'Istruzione nella Cristiana Dottrina in Persone Religiose, sia nel di lei Ordine eseguito con ogni esatezza. E nell'attendere il ricontro della essecuzione, che si sarà sollecitamente data a commandi dell'EE. Loro, auguro alla Paternità Vostra ogni Felicità. [a]

---

*etiam per privationem, aut suspensionem ab officio, prout fiet et a S. Congregatione quando certioretur de alicuius Localis Superioris incuria; poenas enim condignas etiam privationis vocis activae et passivae, aliasque opportunas infliget.*

4. *Ut autem observantia huiusce praescriptionis apud Superiores Locales semper viva remaneat, S. Congregatio decernit, quod ipsi sedulam curam gerant, ut bis in anno in publica mensa, et in unoquoque Coenobio praesentis Epistolae habeatur lectio eodem modo, quo de aliis huiuscemodi ordinationibus fieri solet.*

*Denique S. Congregatio non dubitat, quin Paternitas Tua pro suo commendabili zelo praesentem praescriptionem sit penitus executura, sedulam et efficacem navando operam, ut tanti ponderis debitum, cuiusmodi est Christianae Doctrinae in viris religiosis instructio, diligentissime in suo Ordine peragatur. Interim responsum exspectans de sollicita executione, quae Eminentissimorum Patrum mandatis praestita fuit, omnia Paternitati Tuae felicia adprecor.* [a]

*Bull. Cap.* VIII, 267-269.

[a] Decretum renovatum die 30 septembris 1765; cfr. *Bull. Carm.* IV, 481-482. Vide etiam n. 272.



# CLEMENS XIII (1758-1769)

## 179

## De studio linguarum orientalium

(Ex Epist. decr. *Cum Scriptura,* diei 18 augusti 1760, ad Conventum S. Honorati Parisiorum O. F. M. Capuccinorum)

§ 1. Cum Scriptura omnis divinitus inspirata, teste Apostolo [1] « utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus », duo imprimis necessaria sunt, Divini luminis illustratio, quae Fidelium mentibus in Ecclesia Dei sensum veritatis aperiat, deinde assidua cura, ac diligentia in sacris paginis evolvendis, perscrutandisque, ut quemadmodum scribit D. Gregorius Magnus Praedesessor Noster [2] « discamus cor Dei in verbis Dei, et ad caelestia gaudia ardentius suspiremus ». Cum autem pleraque ardua sint, ac intellectu difficilia in iisdem explicandis, interpretandisque, plurimum conducere indubium est trium praesertim linguarum peritiam Haebraicae, nempe, Graecae, et Latinae, unde inquit S. Augustinus [3] « Magnum remedium est linguarum cognitio: Latinae quidem linguae homines quos instruendos suscipimus, duabus aliis ad Scripturarum Divinarum cognitionem opus habent, Haebrea scilicet, et Graeca, ut ad exemplaria praecedentia recurratur ».

§ 2. Hanc ob causam Romani Pontifices Praedecessores Nostri, firmissimum Catholicae veritatis praesidium in sacrorum librorum usu, unde incorrupta fidei, morumque doctrina dimanat, Divinitus positum recensentes, eo praecipuam suam curam, et providentiam contulerunt, ut linguarum eiusmodi Studium excoleretur: e quibus Clemens V in Viennensi Concilio [a] sapientissime constituit, ut non solum apud Romanam Sedem, sed et in insignioribus tunc temporis Accademiis, scholae erigerentur ad eiusmodi idiomatum notitiam adipiscendam: Itidem Sacrosancta Tridentina Synodus [4] « ne Caelestis iste sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit per incuriam Saecularis, et Regu-

---

[1] *II Tim.* III, 16.

[2] Ep. ad Theodorum medicum, Ep. lib. IV, indict. XII, ep. 31, in ML LXXVII, 706.

[3] *De Doctrina christiana,* lib. II, cap. XI, in ML., XXXIV, 42.

[4] N. 92.

[a] C. 1, V, I, in Clem.

http://www.obrascatolicas.com/

laris Cleri neglectus iaceret, ad veteris, ac novi Testamenti expositionem potissimum, praebendam Theologicam in Cathedralibus, aliisque insignioribus Collegiatis institui mandavit, in Coenobiis vero Sacrae Scripturae lectiones haberi praecepit. Ad haec Summus Pontifex Paulus V [a] pariter Decessor Noster in sua Constitutione, quae incipit *Apostolicae servitutis* die 31 iulii 1610 strictius quoque Praelatis Regularium tam Mendicantium, quam non Mendicantium indixit, ut iis in Coenobiis, ubi studia vigent, Magistri, atque Doctores eiusmodi linguarum honeste, sustentarentur.

§ 3. Extat etiam Congregationis Cardinalium Fidei Propagandae praepositorum decretum diei 11 aprilis 1625 [b] evulgatum, quo exequutio Bullae Pauli V demandatur, ut apud religiosos praesertim viros Sanctissimae Religionis Nostrae propagatores, Haebraicae, Graecae, ac Latinae linguae cultus promoveatur: neque desunt exempla Illustrium Episcoporum, qui suis in Seminariis, Clericos hac Orientalium linguarum disciplina instruendos enixe curarunt, e quibus illud commemorare lubet clarissimi in Patavina Sede Antecessoris Nostri Venerabilis Gregorii Barbadici, quem semper uti Antesignanum, Magistrum, Ducemque Nostrum in ea regenda suspeximus, cuius nominis inter Caelites referendi causa modo faeliciter agitur: Is enim apostolicarum eiusmodi sanctionum egregie conscius, et pietatis, et Doctrinae amplificandae cupidissimus non tam Scholam aperuit ad Haebraici, Graecique idiomatis eruditionem in Patavino Seminario comparandam, verum etiam utriusque linguae formas in Typographiam invexit, ut firmiores studia haec inibi radices agerent, indeque in alias quoque Christiani Orbis plagas diffunderentur.

§ 4. Quibus ex causis cum Summorum Pontificum Decessorum Nostrorum in Romana Cathedra, tum vero etiam illius Ven. Antistitis in Patavina, vestigiis inhaerentes, ipsi quoque muneris Nostri esse intelligimus, Pontificiam omnem authoritatem, ac gratiam Nostram iis conferre, qui in sanctionum eiusmodi implementum ad Divini Nominis gloriam, et Catholicae fidei, atque pietatis incrementum, in Sacris eloquiis ad verum, germanumque Ecclesiae sensum explanandis, interpretandisque naviter, ac laboriose desudant.

BRc IV, 403-404; *Bull. Cap.* VIII, 304-305; *Enchir. Cler.* 247-250.

---

[a] N. 135.
[b] N. 142.



## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### 180

### De professione extra domum novitiatus

(Rescriptum diei 6 iulii 1772, ad Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum)

Sanctissimus Dominus noster audita relatione infrascripti Secretarii, ex Peculiaribus causis Supremam eius mentem digne moventibus, benigne annuit, ut Capucinorum Novitii, qui in supra dictis Provinciis post exactum probationis annum, praemisso iuxta constitutiones Apostolicas, et proprii Ordinis capitulari consensu Religiosorum in domo Novitiatus de familia degentium digni inventi fuerint, qui ad Regularem professionem admittantur, quam tamen sine propria, aut Superiorum Regularium culpa debent ad aliud tempus protrahere, possint ab iisdem Superioribus Regularibus, licet non professi, in aliis Conventibus collocari, in quibus sub cura respectivorum Guardianorum tamquam illorum magistrorum degant ibique tam in clericalibus quam in laicalibus respective officiis secundum Religionis morem exerceantur, et ministrent, atque in iisdem Conventibus ubi degent, et morabuntur, tametsi in iis novitiatus non existat, praemissis tamen exercitiis Spiritualibus, ac nova exploratione voluntatis per Superiores locales facienda, atque accedente Capitulari consensu Religiosorum de familia, cum Licentia Provincialis, sub cuius iurisdictione existunt, solemnem deinde professionem rite et legitime emittere possint et valeant. Sanctionibus Sac. Concilii Tridentini, decretis generalibus S. M. Clementis VIII, Constitutionibus Ordinis aliisque in contrarium non obstantibus, quibus Sanctitas Sua expresse derogatum voluit. [a]

*Bull. Cap.* IX, 67.

### 181

### Quod nihil exigendum sit ab introeuntibus in religionem

(Resolutio *Carmelitarum*, diei 11 decembris 1789)

Sacra Congregatio, referente Emo D. Card. Carrara Ponente, audita relatione P. Procuratoris Generalis Ordinis, censuit, si Ssmo

---

[a] Extensio huius rescripti ad omnes Ordinis provincias, sub die 31 augusti 1772, in *Bull. Cap.* IX, 73.

http://www.obrascatolicas.com/

D. N. placuerit rescribendum, prout rescripsit. Non licere Superioribus Regularibus, aut Conventui, aut cuicumque Religioso particulari, intuitu admissionis ad habitum, vel Professionis Novitii aliquid ab eo exigere, sive ratione filiationis sive ratione expensarum, aut convivii, pastus vel quocumque alio praetextu, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili contraria, excepto victu et vestitu illius temporis, quo in probatione fuerit, salva tamen libertate Novitio, vel eius parentibus, aut curatoribus sponte faciendi sacristiae conventus, in quo recepit habitum Religiosum, vel professionem emittit aliquam oblationem cereorum adhibendorum pro sacris functionibus dictis de causis peragendis, nec non parandi Communitati Religiosae eiusdem Conventus prandium vestitionis et professionis diebus, exclusa tamen in his quacumque vel tacita, vel expressa conventione, et dummodo oblatio sit moderata; et convivium frugale, nec ad illud saeculares admittantur, salvis in reliquis constitutionibus apostolicis, Decretis S. Concilii Tridentini, Iuribus confirmatis, et Privilegiis a S. Sede concessis Ordini Carmelitarum.

BIZZARRI, 396; *Fontes* IV, 1884.

## PIUS VI (1775-1799)

### 182

### Quorundam Synodi Pistoriensis (1786-1787) errorum damnatio

(Ex Const. ap. *Auctorem fidei*, diei 28 augusti 1794)

2° Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic ordini adiunxerint; nec ad sacros ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus vel duo, initiandi tanquam curati vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.

6° Votum perpetuae stabilitatis nunquam tolerandum; non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiae consolatio et christianismi ornamentum exstiterunt; vota castitatis, paupertatis et oboedientiae non admittentur instar communis et stabilis regulae. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab episcopo postulabit, qui tamen numquam permittet, ut perpetua sint, nec anni fines excedent; tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.

MANSI XXXVIII, 1278 (1098); DENZINGER, 1585-1589.



## SACRA CONGREGATIO SUPER DISCIPLINA REGULARIUM

### 183

### De meditatione, de amore cellae et de iuvenum institutoribus

(Ex Decreto *In celeberrimam*, diei 6 februarii 1802, ad Ordinem Fratrum Minorum Observantium ac Reformatorum)

II. Ter in die habeatur Oratio mentalis in dictis novitiatuum et recessuum Conventibus, bis autem in aliis.

IV. Cum gravitas, modestia, solitudinis amor, et secessio a saeculo, cui nuncium remiserunt Regulares Viri, Populi reverentiam erga eosdem concilient, caveant, ne otio, desidioque tabescentes velut lapides dispersi in capite omnium platearum, saecularium, laicorum, atque, quod multo gravius est, mulierum consuetudine utantur, cum ipsis ludant, cacchinnent, iocentur: Cellam quisque suam propriam domum agnoscat, in qua Dominus loquetur ad cor eius, non fora, non apothecas, non publica otiosorum hominum domicilia. Quod si haec de Regulari quolibet attendenda sunt, potiori iure dicenda veniunt tum de adolescentibus, qui facilius spiritum possunt extinguere, tum de superioribus, qui ceteris specimen esse debent.

VIII. Cum ut lubrica tyronum aetas inexperta adhuc, et rudis natura Instituti perfectionem serio ediscat, omnino necessarius sit Novitiorum Magister, qui illos recte instituat, cumque munus hoc arduum plane sit, et quod hominem peculiaribus animi dotibus praeditum ad illud rite obeundum requirat, Definitorum erit, ac Provincialium eos ad illud praeficere, qui morum integritate conspicui, prudentia, atque doctrina probati, tyrones veluti novellas plantationes spirituali scientia irrigent, et colant. Id vero, et de iis dicatur qui ad professos edocendos designantur.

*Anal. Iur. Pont.* I, 975-976.

### 184

### De meditatione, de amore cellae et de iuvenum institutoribus

(Ex Decreto *Vitis fructificans*, diei 28 maii 1802, ad Ordinem Eremitarum S. Augustini)

II. Singulis in Coenobiis in iis praesertim quae tyronum studentiumve stationi sunt adsignata, Oratio mentalis habeatur quotidie mane et sero: Oratio enim est panis quo confirmatur cor hominis,

http://www.obrascatolicas.com/

et in meditatione sacer ignis exardescit, quem Dei Filius venit mittere in terras. Superioribus vero tribuitur facultas ab alterutra dumtaxat dispensandi, quoties iusta gravissimaque causa id postulaverit.

IV. Caveant Religiosi, ne otio, desidiove tabescentes veluti lapides dispersi in capite omnium platearum, saecularium utriusque sexus consuetudine utantur, et cum ipsis ludant, cacchinnent, iocentur, illud pro certo habentes, numquam se reverentiam populi sibi conciliaturos, nisi gravitate praefulgeant, modestia, solitudinis amore, et secessu a saeculo, cui nuncium remiserunt. Cellam idcirco, ac Monasteria, uti propriam domum, quisque agnoscat, non fora, non apothecas, non publica otiosorum hominum domicilia, quae omnino refugiant. Haec autem si a Religioso quolibet praestari debeant, potiori quidem iure exigenda sunt tum ab adolescentibus, qui facilius spiritum possunt extinguere, tum a superioribus, quorum praecipue est quidquid ad avitam Disciplinam conservandam, augendamque conferat, consilio, opera et exemplo curare.

VI. Cum munus recte tyrones instituendi arduum summopere sit et hominem requirat peculiaribus animi dotibus ornatum, definitorum erit, ac provincialium eos ad illud praeficere qui morum integritate conspicui, prudentia, atque doctrina probati, tyrones, veluti novellas plantationes, spirituali sapientia irrigent, et colant. Idque et de iis servetur, qui ad professos erudiendos, regendosque eliguntur.

XI. Studiorum Rectores, Magistri, Lectoresque adolescentes sibi commissos initium sapientiae, quod est timor Domini cum edoceant, atque eam scientiam, quae desursum est, quaeque iuxta Divi Iacobi monitum [1] primum quidem pudica est, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiae, sine simulatione. Quaestiones ideo scholasticas, in quibus videlicet scholae, ut aiunt diversimode opinantur, quae inutiles sunt, penitus omittant: ceteras autem, quae gravitate et utilitate commendantur, pertractent, ut lites iurgia schismata, contentiones, verborumque asperitatem, queis vinculum caritatis, et pacis misere abrumpitur, omni studio effugiant, illamque sciant, et intelligant debere esse suorum studiorum rationem, ac finem, ut vires omnes ad propagandam Catholicae et Apostolicae Romanae Ecclesiae unam veram, sanctamque doctrinam, atque ad haereticorum novatorumque tela retundenda etiam atque etiam intendant.

*Anal. Iur. Pont.* I, 977-979.

[1] III, 17.



## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### 185

### De restituendis Ordinibus Regularibus

(Ex Decr. *Ubi primum*, diei 22 augusti 1814)

XI. Caeterum quae per Sacros Canones, Apostolica Decreta, et singulorum Ordinum Regulas et Constitutiones, praesertim de Oratione mentali, de servitio Chori, examine conscientiae, frequenti Confessione Sacramentali, silentio, Capitulo et correptione culparum, lectione ad mensam habenda, lectione item Sacrae Scripturae, vel casuum conscientiae, collatione, aut sermone super disciplina regulari et acquisitione virtutum, deque non suscipiendis muneribus quocumque praetextu extra suum Ordinem sine sui Superioris licentia, aliisque Spiritualibus exercitiis, prudenter ac pie sancita sunt, ea omnia, et singula accurate serventur.

Bizzarri, 44-45; *Fontes* IV, 1893.

### 186

### De clerici saecularis libero in religionem ingressu

(Resolutio *Pinerolien.*, diei 28 iulii 1837)

2. An dictis Oblatis extendi debeat Constit. Bened. XIV incipien. *Ex quo dilectus* [a] circa liberum ingressum Clericorum Saecularium in regularia Instituta, licet Episcopus opponatur, et Oblati emittant tantum vota simplicia?

Ad 2. Affirmative, ne impediatur vocatio ad statum perfectionem. [b]

Bizzarri, p. 432; *Fontes* IV, 1914.

[a] N. 175.

[b] Vide etiam Resolutionem S. C. Ep. et Reg., *Aurelianen.*, diei 20 decembris 1859, in Bizzarri, 669; *Fontes* IV, 1979.

http://www.obrascatolicas.com/

## PIUS IX (1846-1878)

### 187

### Laudes Religionum et adhortatio ad earumdem Moderatores

(Ex Litt. encycl. *Ubi primum*, diei 17 iunii 1847, ad omnes Religionum Moderatores)

§ 1. Nemo certe ignorat, vel ignorare potest, Religiosas Familias vel a prima earum institutione innumeris poene claruisse viris, qui omnigenae doctrinae, atque eruditionis copia insignes, omnium virtutum ornatu, et sanctitatis gloria fulgentes, amplissimis quoque Dignitatibus illustres, atque ardenti in Deum et homines amore flagrantes, et spectaculum facti mundo, Angelis et hominibus, nihil aliud in deliciis habuere, quam omni cura, studio, contentione in divinarum rerum meditatione dies noctesque haerere, mortificationem Iesu in suo corpore circumferre, catholicam fidem ac doctrinam a solis ortu usque ad occasum propagare, ac pro ea fortiter pugnare, et cuiusque generis acerbitates, tormenta, supplicia alacriter perpeti, ac vitam ipsam profundere, rudes barbarosque populos ab errorum tenebris, morum feritate, vitiorum coeno ad evangelicae veritatis lucem, omnemque virtutis, et civilis societatis cultum traducere, litteras, disciplinas, artes excolere, tueri, atque ab interitu vindicare, teneras iuvenum mentes et cerea corda ad pietatem et honestatem mature fingere, sanisque doctrinis imbuere, errantes ad salutis tramitem revocare. Neque id satis, namque induti viscera misericordiae nullum est heroicae caritatis genus, quod cum propriae etiam vitae discrimine ipsi non exercuerint, ut captivis, carcere inclusis, aegrotantibus, morientibus, cunctisque miseris, egenis, calamitosis opportuna quaeque christianae beneficentiae, et providentiae subsidia amanter praebere, eorumque dolorem lenire, lacrimas detergere, ac necessitatibus omni ope et opera consulere possent.

§ 5. Cum autem ex diligenti tironum admissione, atque optima illorum institutione totius cuiusque sacrae familiae status decorque plane pendeat, Vos summopere hortamur, ut eorum qui religiosae vestrae familiae nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores antea accurate exploretis, ac sedulo investigetis quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur. Ac postquam noveritis illos in religiosa vita amplectenda nihil aliud spectare nisi Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, ac propriam et aliorum salutem, in id potissimum omni diligentia, cura, industria incumbite,



ut tirocinii tempore ex proprii Ordinis legibus pie sancteque ab optimis Magistris educentur, et ad omnem virtutem, atque ad initum regularis vitae institutum quam optime informentur. Et quoniam praecipua atque illustris Regularium Ordinum laus semper fuit litterarum studia excolere, fovere, ac tot eruditis, doctis laboriosisque operibus humanarum divinarumque rerum scientiam illustrare, idcirco Vos summopere excitamus, monemus, ut iuxta Vestri Ordinis leges maxima cura, solertia rectam studiorum rationem promovere, et omnia conari velitis, ut Religiosi vestri Alumni in humaniores litteras, ac severiores disciplinas praesertim sacras addiscendas constanter incumbant, quo ipsi optimis sanisque doctrinis apprime exculti, et proprii muneris partes, et sacra ministeria religiose sapienterque obire valeant. [a]

*Acta Pii IX*, vol. I, 47-52; *Bull. Cap.* X, 183-185.

## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

### 188

### De testimonialibus Ordinariorum litteris in receptione postulantium requirendis

(Decretum *Romani Pontifices*, diei 25 ianuarii 1848)

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper Regularium familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum postulantes reciperent, de illorum vita, moribus, ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet Moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimum versantur periculo deceptionis, nisi ab locorum Antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant: Ordinarii enim vi postoralis officii oves suas prae ceteris agnoscere possunt, et saepe saepius ea manifestare impedimenta, quae alios latent. Haec animadvertens Ssm̃us D. N. Pius Pp. IX, audito voto S. R. E. Cardinalium huius Sacrae Congregationis super statu Regularium, attentisque postulationibus nonnullorum Episcoporum, praesenti decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus ser-

[a] N. 286.

http://www.obrascatolicas.com/

vando, haec, quae sequuntur, Apostolica auctoritate statuit, atque decernit:

I. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus tum Ordinarii Originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

II. Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de eius natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere; nec ipsis umquam liberum esse huiusmodi testimoniales litteras denegare; in eisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint.

III. Omnibus et singulis Superioribus regularibus, aliisque Religiosis, ad quos spectat, cuiuscumque gradus sint, et instituti licet exempti, et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae huius decreti observantia districte praecipitur: et qui contra huius decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

IV. Vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum, et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quamtumvis amplae apponantur. Quod si alicui instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cuiuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum.



V. Quolibet anno die prima ianuarii in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae, a Superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem huius decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis, et statutis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore iuris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat, et derogatum esse declarat. [a]

Bizzarri 831-832; *Bull. Cap.* X, 200-201; *Fontes* VI, 4375.

## 189

### De receptione novitiorum ad habitum et professionem

(Decretum *Regulari disciplinae*, diei 25 ianuarii 1848, pro Italia et Insulis adiacentibus)

Regulari disciplinae instaurandae, ubi collapsa fuerit, vel servandae ubi vigeat, nihil magis conducit, quam in admittendis Novitiis ad habitum et ad professionem maximam curam adhibere, ut ii tantum recipiantur, qui superna vocatione ducti, morum honestate, ceterisque dotibus praediti religionem ingrediuntur cupientes Deo inservire, mundi pericula evitare, et spirituali proximorum saluti qua exemplo, qua opere ad praescriptum Instituti, quod profitentur, consulere. Ex Novitiis enim Religionis bonum, vel malum prorsus pendet: quandoquidem hi sunt Religionum semina, hi sunt novi palmites Dei vineam novellantes; sed si semina, si novitiae vites infectae sint, nonnisi fructus mali colligi possunt. Qua propter Romani Pontifices et praesertim Sixtus V, [1] Clem. VIII, [2] Innocentius X, [3] et Innocentius XII, [4] saluberrima edidere decreta, quibus leges in admittendis Novitiis servandae constituebantur. Cum igitur Sanctissimus D. N. Pius Pp. IX ab ipsis Pontificatus sui primordiis pastoralis vigi-

[1] N. 115.
[2] N. 131.
[3] N. 154.
[4] N. 162.

[a] Nn. 193, 197, 202.

http://www.obrascatolicas.com/

lantiae studia convertenda esse duxerit ad Religiosarum Familiarum disciplinam totis viribus promovendam, Praedecessorum suorum vestigia sectando certam stabilemque legem constituendam esse existimavit, quae in admittendis Novitiis ad habitum et professionem servari omnino deberet. Re igitur demandata S. R. E. Cardinalibus huius S. Congregationis de Statu Regularium a Sanctitate Sua institutae, Eminentissimis Patribus universa rei ratione sedulo diligenterque perpensa, necessarium visum est in admissione Novitiorum ad habitum et professionem partes concedendas esse nedum inferioribus Praelatis, et Superioribus generalibus, verum etiam nonnullis aliis Religiosis viris probatae vitae, regularis disciplinae zelo ferventibus, consilio et gravitate praestantibus, ut eorum, qui religiosae familiae nomen daturi sint, indolem, ingenium, mores, ceterasque necessarias dotes accurate explorent, et sedulo investigent, quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ducantur, et eos tantum probent, quos secundum Deum idoneos esse revera constiterit. Sententiae Sacrae Congregationis Sanctissimus in Christo Pater inhaerens ea, quae sequuntur, pro Italia, et Insulis adiacentibus hoc perpetuis futuris temporibus valituro decreto apostolica Sua auctoritate statuit, atque decernit.

## Pars prima Decreti

*De lege servanda in probandis iis, qui ad habitum Religiosum admitti postulant*

I. Qui duplici scrutinio iuxta modum inferius exprimendum probatus non fuerit, ad habitum nullo prorsus modo admittatur in quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso vel alio quovis titulo, in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio fiat.

II. In qualibet provincia habeantur octo Examinatores, scilicet Provincialis, et septem alii idonei Religiosi probatae vitae, prudentia, gravitate ac zelo disciplinae regularis praediti a Capitulo seu Congregatione provinciali per secreta suffragia eligendi, ita tamen ut si in Provincia sint Definitores, vel Consultores, vel Assistentes, vel alii, quocumque appellentur nomine, Consiliarii provinciales, duo ex ipsis



in Examinatores deligantur. Examinatores in praefato munere usque ad novum provinciale Capitulum seu Congregationem perdurabunt.

III. Cum aliquis ad habitum recipi postulaverit, Provincialis omnia exquirat documenta, et requisita ad praescriptum SS. Canonum, Constitutionum Apostolicarum, decretorum S. Congregationum, ac statutorum Ordinis, et diligenter inquirat circa illius qualitates, utrum nempe ab omni defectu et impedimento immunis sit, et necessariis dotibus praeditus, religioso statui idoneus ac etiam an amore perfectioris vitae, et Deo liberius in Religione serviendi, seu potius levitate, aut necessitate, vel alio inordinato fine ductus admitti postulet. Deinde omnia praefata documenta et informationes tradat saltem tribus ex provincialibus Examinatoribus, exclusis iis, qui postulanti sint consanguinei, vel affines, ut eas absque ullo partium studio serio perpendant. Indicto examinis die Provincialis cum delectis ab ipso Examinatoribus conveniet, et postquam ipse, et alii Examinatores iuraverit ad Sancta Dei Evangelia, *se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros,* postulantem examinent, eoque ab examinis loco demisso, eius documenta, qualitates, et requisita, aliaque, quae superius notata sunt, serio expendant, et deinceps per secreta suffragia iudicent an dignus sit, qui approbetur, super quibus omnibus Provincialis, et aliorum Examinatorum conscientia graviter onerata remaneat. Is autem probatus dumtaxat intelligatur, qui saltem unum suffragium supra medietatem obtinuerit. Si postulans praefato scrutinio probatus fuerit, examen, et scrutinium scripto fideliter exaratum Provincialis, et unusquisque ex Examinatoribus manu propria subscribet declarando etiam sese omnia requisita a SS. Canonibus, Constitutionibus et decretis Apostolicis et Regulis, et Statutis respectivi Ordinis praescripta debito modo examinasse; huiusmodi vero relationem examinis, et scrutinii, et respectivam declarationem iureiurando confirment. Quibus peractis Provincialis praefatam relationem, et declarationem una cum authenticis documentis ad Superiorem generalem, vel ad Procuratorem generalem, prout inferius in artic. XI explicabitur, transmittet. Ne autem huius decreti executio differatur usque ad celebrationem proximi Capituli vel Congregationis Provincialis, interim Examinatores Provinciales eligantur per secreta suffragia a Provinciali una cum suis Definitoribus, vel Assistentibus, vel aliis Consiliariis Provincialibus; et si huiusmodi Definitores, Assistentes, Consiliarii in aliquo Ordine desint, electio fiat a Provinciali una cum quatuor Religiosis graduatis, vel gravioribus, si graduati desint, eiusdem Provinciae ab eodem Provinciali deputandis.

http://www.obrascatolicas.com/

IV. In Ordinibus, aliisque Institutis, in quibus Provinciales non existunt, vel Provincialia Capitula seu Congregationes non celebrantur, Examinatores pro unaquaque domo Novitiatus eligantur iuxta superius praescriptam methodum a Capitulo, Dieta, seu Congregatione generali et Superior eiusdem Domus loco Provincialis habeatur, cuius erit convocare Examinatores, et alia peragere, quae in artic. III statuta sunt. Verum cum hoc in casu ob pauciorem Religiosorum numerum contingere possit, ut septem Examinatores eligi minime valeant, Examinatores numero minores, non tamen citra quatuor eligi poterunt. Si autem huiusmodi Capitula, Dietae et Congregationes Generales statim non convocentur, interim electio Examinatorum fiat iuxta modum in art. V designandum.

V. Si Institutum constet aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, vel Domo, nec in Congregationem erectum sit, et capitulum Dietam, Congregationem generalem minime habeat, Examinatores capitulariter per secreta suffragia a Superiore et Capitularibus eiusdem Monasterii, Conventus, vel Domus eligantur; et quoad eorum numerum serventur, quae in art. IV definita sunt, ac in officio ad triennium perdurent.

VI. Praeter memoratos Examinatores Provinciales in quolibet Ordine, Congregatione, Societate, Instituto alii septem Examinatores generales constituantur, qui tamen ad quatuor reduci poterunt in iis Ordinibus, et Institutis, in quibus ob pauciorem Religiosorum numerum septem haberi nequeant. Hi ex gravioribus, et prudentioribus Religiosis Viris probatae vitae, ac zelo regularis disciplinae praeditis per secreta suffragia in Capitulo, Dieta, vel Congregatione generali eligentur, ita tamen ut si agatur de Ordine, in quo sint Definitores, Assistentes, Consultores, Visitatores, vel alii Consiliarii generales, duo ex ipsis in Examinatores deputentur. Examinatores generales in officio usque ad futurum Capitulum, Dietam, vel Congregationem generalem perdurabunt. Superior generalis erit praeses cum suffragio in Consilio Examinatorum; et Procurator generalis uti Examinator natus praeter electos habendus erit.

VII. Examinatores generales in intervallo quod intercedet a data huius decreti usque ad celebrationem proximi Capituli, Dietae, vel Congregationis generalis eligantur per secreta suffragia a Superiore generali una cum saltem tribus Religiosis graduatis seu gravioribus Ordinis ab eodem Generali Superiore deputandis, et deligendis ex Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, vel Consultoribus generalibus si adsint.



VIII. Si agatur de Instituto, quod constituatur ex aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, Domo, nec in congregationem erecto, et praeter localem, alius maior Superior non habeatur, Superior localis probum et idoneum deputet Religiosum, ut primum scrutinium, de quo in art. III perficiat cum Examinatoribus electis iuxta art. V, et ipse Superior localis cum iis Capitularibus eiusdem domus, qui locum in eodem primo scrutinio non habuerunt, secundum scrutinium in art. X praescribendum exequetur.

IX. Quod vero attinet ad Ordines, et Instituta, quae licet in Congregationem, et Societatem erecta sint, tamen in iis Capitula, Dietae, et Congregationes generales vel non celebrantur, vel raro convocantur, in iisdem Ordinibus, et Institutis auctoritas, quae Capitulis, Dietis et Congregationibus generalibus circa electionem Examinatorum superius attributa est, conceditur Superiori generali cum Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, Consultoribus, aliisque, quocumque nomine appellentur, Consiliariis generalibus, ita tamen ut si Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii generales non sint saltem quatuor, Superior generalis alios graves et idoneos Religiosos eis adiungat ad enunciatum saltem numerum constituendum: quae Religiosorum deputatio potiori ratione fieri debeat si in Ordine, et Instituto Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii generales non reperiantur. Quibus in casibus electio Examinatorum fiat per secreta suffragia quolibet triennio, nec electores teneantur duos Definitores, Assistentes vel alios Consiliarios generales inter Examinatores adnumerare.

X. Cum autem Superior generalis relationem examinis et scrutinii, ac enunciatam superius declarationem cum authenticis documentis ad praescriptum art. III receperit, ipse omnia accurate percurrat, ac per singulas partes expendat, per secretas etiam inquisitiones sedulo investigando num tenor huius decreti servatus fuerit, et an adversus candidatum et primum scrutinium aliqua exceptio inveniatur. Quibus peractis Superior generalis praefatam relationem, declarationem, et documenta ac requisita tradat Procuratori generali, et saltem aliis duobus Examinatoribus generalibus, qui cum candidato nullo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo coniuncti sint; et quatenus Procurator Generalis non adsit, tribus saltem Examinatoribus generalibus, ut omnia perpendant iuxta modum in art. III designatum. Postea vero indicto die conveniant, et praestito tam a Superiore generali quam a Procuratore generali et ceteris Examinatoribus, ut supra, iuramento, reque mature perpensa, per secreta



http://www.obrascatolicas.com/

suffragia definiant an approbatio facta in primo scrutinio confirmanda sit, vel revocanda, super quibus omnibus conscientia Superioris generalis, et Examinatorum graviter onerata remaneat. Tunc autem approbatio confirmata intelligatur, quando eius favore saltem unum suffragium supra medietatem habeatur.

XI. Si Superior generalis Romae non resideat, acta, de quibus in art. III, ad Procuratorem generalem Romae morantem transmittenda erunt (valde enim expedire visum est secundum scrutinium Romae fieri), dummodo tamen idem Procurator tres saltem Examinatores generales Romae habeat, vel eos ad Urbem commode vocare possit. Quo in casu quoad praemissa omnia vices Superioris generalis gerat. Quod si Examinatores generales nec Romae degant, nec commode vocari possint, eadem acta ad Superiorem generalem, etsi alibi moretur, transmittantur, ut ea peragat quae in art. III statuta sunt.

XII. Superior generalis, sive ipse, sive Procurator generalis secundo scrutinio praefuerit, poterit Candidatum ex iustis et rationabilibus causis reiicere, licet fuerit ab Examinatoribus in utroque scrutinio probatus; numquam vero admittere eum, qui fuerit ab Examinatoribus reprobatus.

XIII. Ut vero Candidatus definitive ad habitum recipiatur praeter praescriptam legem et formam cui omnes omnino sese conformare debent, servanda etiam erunt, quae a Constitutionibus et Statutis respectivi Ordinis circa receptionem ad habitum ulterius praescribuntur, in ea tamen parte dumtaxat, quae huic decreto non opponitur.

XIV. Superiores quolibet semestri ad hanc Sacram Congregationem super statu Regularium summarie referant de singulis Novitiis ad habitum receptis, de uniuscuiusque aetate, patria, aliisque qualitatibus, et respectivis documentis, nec non de actis confectis pro receptione, deque observatione huius decreti.

## Pars secunda Decreti

### *De lege servanda in admittendis Novitiis ad professionem*

I. Quicumque ex Religiosis et Novitiis alicuius Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus, de quibus part. I decret. art. I, cognoverit Novitium sui Instituti aliquo impedimento, vel gravi defectu praepeditum esse ad religiosum statum rite assumendum, impedimentum ipsum et defectum Superiori Conventus



Novitiatus, vel Provinciali, vel Superiori generali manifestare teneatur. Superiores vero denunciantis nomen secretum retineant.

II. Prope terminum cuiusque trimestris novitiatus Magister Novitiorum Provinciali de agendi ratione cuiusque Novitii scripto referat.

III. Duobus mensibus ante professionem Provincialis sive per se, sive per alium idoneum Religiosum sibi benevisum Novitii voluntatem diligenter exploret an coactus, an seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status religiosi, et regulae agnoscat: secreto audiat tum Magistrum Novitiorum, tum Novitios nec non Religiosos etiam Conversos Conventus seu Domus Novitiatus circa Novitium ad professionem admittendum. Quo facto Capitulum conventuale eiusdem Conventus, seu Domus convocet, ut Capitulares per secreta suffragia declarent an Novitius ad professionem admitti possit. Deinceps omnium actorum et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat.

IV. Huiusmodi relationem Provincialis tribus saltem Examinatoribus provincialibus communicet; et condicto die convocet praefatos Examinatores et Novitiorum Magistrum, et praestito ab omnibus superius enunciato iuramento, Magister Novitiorum referat de Novitii agendi ratione in Novitiatu servata, de eius libertate, vocatione et idoneitate ad statum religiosum, et declaret utrum ipse in Domino existimet novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero Magister Novitiorum vel ratione distantiae, vel alia legitima causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, transmittat super praemissis relationem in scriptis, illamque iuramento confirmet, et propria manu subscribat. Provincialis deinceps et Examinatores per secreta suffragia definiant an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat.

V. Si novitius probatus fuerit, Provincialis de omnibus instructum reddat Superiorem generalem, qui ulterioribus informationibus, quatenus necessarium iudicaverit, requisitis, approbationem revocet, vel confirmet, prout in Domino iudicaverit, quin tamen umquam permittere possit professionem Novitii, qui ab Examinatoribus Provincialibus reprobatus fuerit.

VI. In iis institutis, in quibus Provinciales non existunt, sint illorum loco ad effectum, de quo agitur, Superiores Domus Novitiatus.

http://www.obrascatolicas.com/

VII. Si quid ulterius exigant Constitutiones et regulae alicuius Ordinis et Instituti in admittendis Novitiis ad professionem, id servandum etiam erit in ea dumtaxat parte, quae tenori huius decreti minime contraria sit.

Ut autem suprascriptum decretum quoad utramque eius partem executioni omnino demandetur, Sanctitas Sua omnibus ad quos spectat etiam in virtute sanctae obedientiae districte praecipit plenam illius observantiam; et quemlibet Superiorem cuiuscumque gradus sit, et Instituti quantumvis exempti, et privilegiati etiam de necessitate exprimendi, qui non servata huius decreti forma Novitium ad habitum, vel professionem receperit, poenae ipso facto incurrendae privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda plane subiicit, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari. Mandat etiam singulis Superioribus idem decretum quolibet anno in omnibus Monasteriis, Conventibus, Collegiis et Domibus die prima ianuarii, et Dominica prima iulii in publica mensa legi sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae ipso facto incurrenda. Decernit insuper vi cuiuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeri, nisi ei expresse, et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur: quod si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contingerit, aliis minime extendi posse vi cuiuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum. Tandem Sanctitas Sua ne huius decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur quibuscumque in contrarium facientibus Constitutionibus, regulis, et statutis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore iuris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque Apostolica auctoritate prorsus derogat et derogatum esse declarat. [a]

*Bull. Cap.* X, 201-205; BIZZARRI 832-839; *Fontes* VI, 4376.

---

[a] Nn. 194, 195, 199, 208, 247.



## PIUS IX

### 190

### Adhortatio ad Ordinum Moderatores

(Ex Litt. encycl. *Nostis et Nobiscum*, diei 8 decembris 1849, ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae)

26. Caveant praesertim supradicti Ordinum Moderatores, ne ulli ad religiosa Instituta aditum faciant, nisi cuius antea vitam, mores atque indolem accuratissime expenderint; ac deinde illos tantum ad religiosam professionem admittant, qui tyrocinio rite posito ea dederint verae vocationis signa, ut iudicari merito possit, ipsos non alia de causa religiosam vitam amplecti, nisi ut Deo unice vivant, et suam atque aliorum salutem pro cuiusque Instituti ratione procurare possint.

*Acta Pii IX*, vol. I, 216; *Fontes* II, 508.

## CONCILIUM PROVINCIALE BITURICENSE (1850)

### 191

### Admonitio ad directores animarum et parentes circa vocationes religiosas

(Decreta, tit. II)

I. Hic abs re non est admonere animarum directores maxima utendum esse prudentia in definienda adolescentium vocatione, ne forte, cum gravissimo salutis periculo, aut vocati ad religionem accedere renuant aut non vocati accedere praesumant. Caveant ipsimet parentes, ne minime aptos inducant filios ad amplectendum religionis institutum, neque idoneos ab eo capessendo avocent: id enim in filiorum simul et parentum perniciem vergeret.

*Coll. Lacen.* IV, 1099-1100.

## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### 192

### De novitiatu et professorio

(Decretum *Il desiderio*, diei 22 aprilis 1851)

Il desiderio della Santità di Nostro Signore di vedere rifiorire gli Ordini religiosi tanto utili alla Chiesa ed alla società l'ha mossa

http://www.obrascatolicas.com/

ad eccitare coll'oracolo della viva Sua voce i Superiori generali ad adoperarsi efficacemente a raggiungere tale scopo, che tende unicamente al bene degli Ordini stessi. Ed avendo con somma soddisfazione dell'animo Suo conosciuta nei Superiori medesimi tutta la propensione e la premura di secondare i suoi voti, mi ha imposto nella mia qualifica di Prefetto della Sacra Congregazione de' Vescovi e Regolari di comunicare ai medesimi le seguenti disposizioni:

1. In tutte le case di noviziato sarà introdotta la perfetta vita comune derogandosi a qualunque indulto, privilegio ed esenzione, che avessero ottenuto gl'individui, che ne debbono formare la famiglia.

2. Si dovrà richiamare nelle case di professorio, di educazione, e di studio la perfetta osservanza delle costituzioni del rispettivo istituto sulla povertà.

3. In qualunque casa si stabilirà la cassa comune colle consuete cautele, in cui tutti i Religiosi non ostante qualunque privilegio dovranno fare il deposito dei denari, non potendo ritenere presso di loro più di quello, che permettono le rispettive costituzioni. I Religiosi mendicanti poi, che sono muniti di speciali facoltà di far uso di qualche somma dovranno non ostante qualunque privilegio depositarla presso il Sindaco Apostolico, o l'amico spirituale da scegliersi colla intelligenza del Superiore Generale, o del Provinciale. E Sua Santità si riserva in seguito di dare ulteriori disposizioni circa gl'indulti ai Religiosi per l'uso del denaro.

Il Santo Padre nel commettere la esecuzione di tali disposizioni ai Superiori generali ne dà loro tutta la responsabilità, ed aggiunge eccitamento al loro zelo affinchè usino ogni cura per ristabilire ancora in tutte le case, ove si fosse infievolita, la piena osservanza della regola professata, e delle proprie costituzioni senza la quale non si può nè acquistare, nè conservare il vero spirito, da cui debbono essere informati i Religiosi.

Ella pertanto farà eseguire nel suo Ordine queste Pontificie disposizioni, e Dio la guardi.

Bizzarri 852; *Fontes* IV, 1959.



## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

### 193

### Declarationes super decreto « Romani Pontifices » [a]

(Declarationes diei 1 maii 1851)

1. An sufficiant testimoniales datae ab Ordinariis per litteras privatas?

*Resp.* Affirmative.

2. Utrum sufficiant testimoniales, in quibus Ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in decreto *Romani Pontifices* praescribuntur, sed dumtaxat in genere referunt de qualitatibus Postulantis?

*Resp.* Affirmative, sed a Superioribus Regularibus serventur alia de iure servanda ad singulas qualitates Postulantium cognoscendas.

3. Quid agendum si Ordinarii respondeant se Postulantes non agnoscere?

*Resp.* Posse Postulantes admitti ad habitum et Novitiatum si Ordinarius a Superiore requisitus expresse respondeat sese circa qualitates Postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et Postulantes antequam ad habitum admittantur maneant saltem per tres menses in conventu, ibique diligenter probentur.

4. Utrum Superiores admittere possint ad habitum sui Ordinis Postulantem, absque litteris testimonialibus Ordinarii quando hic affirmat non posse eas dare quia prohibitus ab auctoritate civili?

*Resp.* Sufficere testimonium Ordinarii datum etiam per privatas et secretas epistolas; sed si Ordinarius a superiore requisitus testimoniales ob expositam superius causam quovis modo dare renuat, posse Postulantem admitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem.

5. Utrum Superiores possint ad habitum ipsum admittere milites, de quibus Ordinarii affirmant se non posse in Gallia informare cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec Parochi ullam de his notitiam habere possint?

---

[a] N. 188.

http://www.obrascatolicas.com/

*Resp.* Affirmative si Ordinarius a Superiore requisitus respondeat se informare ob dictam rationem non posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et insuper Postulantes antequam admittantur ad habitum saltem per tres menses maneant in conventu, ibique diligenter probentur.

6. Quid agendum sit quando Ordinarii nolunt dare litteras testimoniales non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui Postulantis in religionem?

*Resp.* Ordinarios, prout in art. 2 decreti *Romani Pontifices* praescribitur, non posse testimoniales litteras denegare; si tamen eas dare recusent recurrendum erit ad S. Congregationem super statu Regularium.

7. In his ordinibus, in quibus praeter conversos laicos habentur Donati seu Oblati, an testimoniales exigendae sint ante susceptionem habitus Donatorum et Oblatorum vel potius Conversorum?

*Resp.* Ante susceptionem habitus Donatorum, et Oblatorum.

8. An sit nulla susceptio habitus sine litteris testimonialibus?

*Resp.* Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam: testimoniales litteras omissas in receptione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias Novitii ad professionem admitti minime poterunt.

9. Utrum sit invalida professio si fiat omissis testimonialibus litteris?

*Resp.* Non esse invalidam, sed illicitam. [a]

*Bull. Cap.* X, 205-206; Bizzarri 839-841; *Fontes* VI, 4377.

## 194

### Declarationes super decreto « Regulari disciplinae » [b]

(Declarationes diei 1 maii 1851)

1. Si Superior generalis alicuius Ordinis, in quo Provinciales non habeantur, sit eodem tempore Superior conventus, seu domus novitiatus, quomodo se gerere debeat Superior ipse in perficiendo primo scrutinio?

*Resp.* Superior generalis deputet ad effectum, de quo agitur,

[a] N. 197.
[b] N. 189.



probum et idoneum Religiosum, et una cum praescriptis Examinatoribus primum scrutinium perficiat.

2. Si aut per obitum, aut per renunciationem, aut alia quacumque causa numerus Examinatorum provincialium, vel generalium in parte, vel etiam totaliter deficiat, nec tempus celebrationis Capituli, vel Dietae advenerit, quomodo ad eorumdem Examinatorum electionem procedendum erit?

*Resp.* Servetur methodus in decreto *Regulari disciplinae* (art. III et IV in fine, et art. VII) praescripta pro electione Examinatorum, qui eligendi erant statim post latum idem decretum, et ante celebrationem proximi futuri Capituli, vel Dietae: Examinatores sic electi in officio perdurent usque ad celebrationem proximi Capituli, vel Dietae. Quae methodus etiam servetur quando ex S. Sedis dispensatione Capitula, vel Dietae non celebrantur, et electio Superiorum per decretum S. Sedis, vel per schedas fiat.

3. In aliquibus Institutis capitula provincialia ordinarie celebrantur prope finem triennii, et in praeparationem Capituli generalis, quin in ipsis eligatur Superior provincialis. Quomodo hoc in casu ad electionem Examinatorum provincialium procedendum erit?

*Resp.* Examinatores provinciales eligendi erunt a Capitulo provinciali licet illud celebretur in fine triennii, et dumtaxat in praeparationem Capituli generalis. Quod si aliqua vice Capitulum provinciale non convocetur, electio ad consultam provincialem ad hunc effectum convocandam spectabit.

4. An ad officium Examinatorum sive generalium, sive provincialium, ita duo Definitores, vel Assistentes, vel Consultores generales, seu provinciales eligi debeant, ut alii Examinatores ex reliquis Definitoribus, Assistentibus Consultoribus eligi nequeant?

*Resp.* Negative.

5. Utrum in Ordinibus, et Congregationibus, quae licet habeant Capitula provincialia, tamen Religiosorum inopia laborant, eligendi sint septem Examinatores, vel quatuor tantum sufficiant?

*Resp.* Negative ad primam partem; affirmative ad secundam. Ut vero omnis ambigendi causa, quae ex erronea decreti interpretatione originem habeat, auferatur, sciant omnes ad quos pertinet, in ordinibus tam amplis, quam exiguis sufficere tres Examinatores provinciales, praeter Superiorem provincialem ad primum scrutinium; et tres Examinatores generales praeter Superiorem generalem ad secundum scrutinium peragendum, et alios Examinatores ad opportunitatem et commoditatem eligendos esse.

http://www.obrascatolicas.com/

6. In articulo III Decreti *Regulari disciplinae* praescribitur, ut Postulantes accedere debeant ad locum primi scrutinii, ut ab Examinatoribus provincialibus personali examini subiiciantur. Saepe saepius accidit, ut huiusmodi examen personale absque notabili incommodo postulantium fieri nequeat sive ob expensas, sive ob loci distantiam. Quapropter nonnulli Superiores regulares expostularunt, quomodo in huiusmodi casibus sese gerere debeant?

*Resp.* Provincialis (et in Institutis, in quibus Provincialis non existit, is qui eius partes iuxta decretum adimplere debet) cum tribus Examinatoribus, ad peragendum examen personale postulantium, quando vel ob loci distantiam, vel ob aliam rationabilem causam postulantem ab accessu personali dispensare iudicaverint, possint deputare Religiosum sui Ordinis, quem in Domino idoneum revera existimaverint, si examen fiat in loco, ubi conventus Ordinis reperitur; secus aliquam personam ecclesiasticam sive ex clero saeculari, sive ex clero regulari, dummodo Episcopus loci, vel eius Vicarius generalis eam idoneam iudicaverit transmissa Examinatori deputato instructione circa ea super quibus postulans examinandus erit.[1] Verum Religiosus, vel alia persona ad examen perficiendum deputata transmittere teneatur relationem examinis ab ipso vel ipsa

[1] *Instructio pro examine personali eorum, qui ad habitum admitti postulant sive examen ipsum fiat ab examinatoribus provincialibus iuxta art. III primae partis decreti* Regulari disciplinae *sive ab examinatore deputato iuxta declarationem ad dubium VI eiusdem decreti.*

1. Examinatores provinciales seu Examinator deputatus, interrogent Postulantem de eius nomine, parentibus, patria, et aetate. Diligenter Postulantis voluntatem explorent, et praesertim an coactus, an seductus sit, et quo spiritu, quo consilio, qua ratione ad statum religiosum ducatur, et utrum aliquam cognitionem habeat obligationis votorum, quae deinceps emittere debet.

2. Si recipiendus uti Clericus religionem ingredi postulet, inquirant Examinatores, vel Examinator an eam litterarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat ut minores, et suis temporibus maiores ordines iuxta decreta Sac. Conc. Tridentini suscipere valeat. Quod si agatur de admittendis ad habitum Conversorum, an saltem praecipua Doctrinae Christianae capita noverint. Quoad omnes vero, et praesertim relate ad Postulantes provectioris aetatis Examinatores, vel Examinator sagacius sed prudenter curent subodorari si recte de catholica doctrina sentiant, prout conditio cuiusque personae postulet.

3. Exquirant a Postulante utrum eius parentes, vel alter eorum adhuc vivat, quam artem et professionem exerceant, vel exercuerint, et an adeo pauperes sint, ut filii subsidio indigeant.

4. Exquirant etiam a Postulante eius conditionem et statum, an habeat in saeculo media sufficientis sustentationis; si sit aere alieno gravatus; an, et quam artem, vel professionem exerceat; an alicui religioso Instituto nomen dederit, vel saltem uti Novitius illius habitum induerit, vel eremitarum habitum susceperit;



subscriptam iuramento firmatam, *quo profiteatur sese fideliter munus suum adimplevisse quacumque affectione postposita.* Quibus peractis Provincialis dictam relationem tribus Examinatoribus exhibere debeat; ut scrutinium, de quo in eodem art. III Decreti, in reliquis perficiatur, et cetera omnia, quae in Decretis praescribuntur, omnino serventur.

7. Nonnulli Examinatores nimis anxii sunt in praestando iuramento, quo declarare debent *se omnia requisita a Sacris Canonibus, Constitutionibus, et decretis apostolicis* praescripta *debito modo examinasse* cum non omnes tuto scire possint quaenam sint omnia huiusmodi requisita; expostularunt propterea ut a S. Congregatione super praemissis instructio detur, qua tuto procedi possit.

*Resp.* Iuramentum quoad requisita, et examen qualitatum referri dumtaxat ad requisita et qualitates *expresse* et *speciatim* praescriptas in Constit. Sixti V incipien. *Cum de omnibus*[a] cum moderatione Gregorii XIV,[b] et in decreto Clem. VIII cui initium *Cum ad regularem disciplinam,*[c] nec non in regulis et Constitutionibus respectivi Ordinis, seu Instituti. Et iuramento satisfieri si ea moralis diligentia adhibeatur, quae a viris probis et timoratae conscientiae adhiberi solet.

8. An Decretum *Regulari disciplinae* vim habeat in Sabaudia?

*Resp.* Affirmative.[d]

*Bull. Cap.* X, 206-207; Bizzarri 841-843; *Fontes* VI, 4378.

utrum fuerit inquisitus, aliqua nota, infamia, irregularitate irretitus, gravi morbo affectus.

5. Videant an Postulans notabili deformitate laboret; utrum aliquod signum valde infirmae valetudinis, vel fatuitatem praeseferat; et cetera exquirant, quae in respectivis Constitutionibus ab admittendis ad habitum in eorum personali examine exquirenda praescribuntur.

6. Verum licet ex huiusmodi personali examine, si diligenter fiat, plura agnosci possint, et in scrutinio, de quo in art. III Primae Partis decreti *Regulari disciplinae* de eodem personali examine ratio omnino habenda sit, tamen praeter illud a Provinciali exquirenda sunt documenta, et informationes prout in eodem art. III praescribitur, et reliqua omnia perficienda, quae in enunciatis decretis cum suis declarationibus decernuntur (Bizzarri 848).

[a] N. 115.
[b] N. 119.
[c] N. 132.
[d] N. 195.

http://www.obrascatolicas.com/

## 195

### Declaratio super decreto « Regulari disciplinae » [a]

(Declaratio diei 16 ianuarii 1852)

Quaeritur an sit nulla, vel tantum illicita professio facta non servata *prius* forma decreti *Regulari disciplinae?*

*Resp.* Esse tantum illicitam, non vero nullam.

BIZZARRI 843; *Bull. Cap.* X, 207.

## 196

### De translatione religiosorum

(Rescriptum diei 1 octobris 1852, ad Ioannem Sacerdotem professum Congregationis de Somascha)

Cum in Congregatione de Somascha disceptetur an Religiosi, qui vitam Communem in domibus professis observant, in domos, quae illam non profitentur, a Superioribus transferri possint.

Affirmantibus aliis, quod huiusmodi facultas a legibus Ordinis Praeposito generali expresse tribuatur et secus, ut illis videtur, Congregatio vix laudabiliter regeretur.

Aliis vero negantibus, eo quod Praepositus generalis iuribus in casu uti volens, Religiosos ad vitam minus perfectam compelleret, et ideo in Constitutiones, quas ipse pro officio custodire tenetur, offenderet, quod suspicari nefas est.

Ioannes Decius Libois eiusdem Congreg. Sacerdos professus, ut certo sapientissimoque iudicio suborta disceptatio illico finiatur, et sententiam in re tenendam quisque religiose sequatur humillime exponit et quaerit:

1. An Religiosi, qui in domibus professis Congregationis de Somascha communem vitam *sponte* professi sunt et observant, a Superioribus pro libitu transferri possint in domos, in quibus illa vita non observatur?

2. An Religiosus semel abstractus a vitae communis observantia, et in domum illam non profitentem translatus, imposterum ad eamdem vitam communem capessendam a Superioribus cogi possit?

3. An maiores Ordinis Superiores, qui vitam communem non profitentur, domos, in quibus illa vita communis observatur, in locum residentiae sibi eligere et ibi commorari possint?

[a] Nn. 189, 194.



Ssmus propositis dubiis rescribendum mandavit ad 1. Negative. Si vero aliqua gravis causa concurrat, recurrant ad S. C. pro temporanea translatione.

Ad 2. Quoad futurum provisum in primo: relate vero ad praeteritum si translatio fuerit provisoria affirmative; secus hortandos esse.

Ad 3. Negative nisi vitam communem profiteantur. Contrariis non obstantibus.

BIZZARRI 852-853; *Bull. Cap.* X, 277; *Fontes* VI, 4379.

## 197

### Declarationes super decreto « Romani Pontifices » [a]

(Declarationes diei 5 novembris 1852, ad Superiorem Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Aquitaniae in Gallia)

Superior Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Aquitaniae in Gallia ad Pedes S. V. humillime provolutus expostulat declarationem ad sequentia dubia super observantia Decreti *Romani Pontifices* editi die 25 ianuarii 1848.

1. Quando Postulantes Novitii, vel Professi alicuius Congregationis petunt admitti ad nostram Religionem, litterae testimoniales petendae sunt a Superioribus alterius Congregationis, in qua fuerunt, vel ab Ordinario?

2. Si a Superioribus, an a Superioribus Generalibus, vel Localibus, et quid si in diversis Domibus, vel Conventibus fuerint?

3. In Hispania adest Patriarcha Indiarum, qui iurisdictionem exercet in universum exercitum per suos Cappellanos: litterae testimoniales pro militibus petendae sunt a praedicto Patriarcha, vel ab Ordinario?

Ssmus propositis dubiis respondendum mandavit, scilicet:

Ad 1. Quoad Novitios, et professos saecularizatos, ab Ordinario; quoad Professos, qui in Congregatione vel Ordine actu permanent, a Superioribus.

Ad 2. Possunt peti vel a Superioribus generalibus, vel a Provincialibus: vel quatenus agatur de Congregatione et Ordine, in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium a Superioribus localibus. Et si Professus in diversis domibus, vel Conventibus com-

[a] Nn. 188, 193.

moratus fuerit, sufficere testimoniales Superioris generalis, vel Superioris Provinciae vel Domus (quatenus Provincialis non habeatur) in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi Superiores antequam testimoniales concedant diligenter inquirere debeant de qualitatibus Religiosi.

Ad 3. Petendae erunt tam ab Ordinario originis, quam a Patriarcha.

BIZZARRI 849; *Bull. Cap.* X, 277-278; *Fontes* VI, 4380.

## PIUS IX

### 198

### Adhortatio ad Clerum Armeniae

(Ex Litt. encycl. *Neminem vestrum,* diei 2 februarii 1854, ad Archiepiscopum Primatem, Episcopos, Clericos et Religiosos cunctosque fideles Armeniae)

6. Vos etiam omnes omnium ordinum affamur, Dilecti Filii Cleri cum Saecularis tum Regularis, qui divino ministerio mancipati elegistis iam Dominum tamquam partem haereditatis vestrae. Propriis Antistitibus, uti par est, subditi, eisque obedientes ac memores vocationis et dignitatis vestrae, eam morum gravitate, vitae sanctitate exsequi ac tueri contendite, quo populum in magnum vestri ordinis amorem, venerationemque adducere, ac magnum ecclesiasticae aedificationi incrementum afferre quotidie magis possitis. Quamobrem studiosissime declinantes ab iis omnibus, quae clericis vetita, quaeque eos nequaquam decent, nihil unquam admittere velitis, quod aliis offensioni esse possit, sed magis magisque curate praebere vosmetipsos exemplum bonorum operum in verbo, in conversatione, in caritate non ficta, in doctrina, in fide, in castitate. Cum vero sive necessitate, sive sacri ministerii ratione compulsi in saecularium domibus versari debetis, vestris omnibus actionibus ecclesiasticae personae dignitatem ac magnitudinem ita sustinere contendite, ut virtutum omnium ornatu fulgentes sitis bonus Christi odor. Vos autem Religiosi viri prae oculis habentes Decretum eiusdem Nostrae Congregationis die 20 augusti superiori anno iussu Nostro editum, illud religiosissime servandum curate. Numquam vero intermittite vos omnes utriusque Cleri viri orationi instare ac Deum continenter precari, ut uberrima coelestis suae gratiae dona super Vos, et christianum populum propitius semper effundat. Ne cessetis divinarum



praesertim litterarum, sacrarumque disciplinarum studia assidue ac sedulo excolere, quo possitis iis respondere, qui legem de ore vestro requirunt et mandata Dei illos docere, qui ignorant et errant.

*Acta Pii IX,* vol. I, 571-572; *Fontes* II, 516.

## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

### 199

### Declarationes super decreto « Regulari disciplinae » [a]

(Responsum diei 12 ianuarii 1855, ad Emum Scitowoski Visitatorem Apostolicum)

Propositum est ab Emo Scitowoski Visitatore Apostolico dubium: « An iuramentum praescriptum in decreto *Regulari Disciplinae* emitti debeat ab Examinatoribus tantum dum munus suscipiunt, vel potius toties quoties examen conficiunt? ».

Sanctissimus in audientia 12 ianuarii 1855 declaravit « iuramentum toties quoties examen habendum sit, praestandum esse ».

BIZZARRI 849.

## PIUS IX

### 200

### Adhortatio ad studiorum rationem ac methodum sapienter fovendam

(Ex Allocutione *Cum haud,* diei 10 maii 1856, ad Fratres Minores Capitulares)

Quam maxime insuper interest, ut quem vestri Ordinis regimini praeficere iudicabitis ea inter ceteros doctrina emineat, qua valeat accuratam optimorum studiorum rationem, ac methodum in vestris scholis quotidie magis fovere, ac subrepentes errores tuto dignoscere, radicitus evellere, ac provide sapienterque discernere quid rerum, personarum, locorum, ac temporum varietas postulet, atque omni industria prospicere, ut sacra praesertim Theologia, aliaeque ecclesiasticae disciplinae per selectissimos Magistros Religiosae vestrae Familiae alumnis sedulo ac docte tradantur, quo ipsi solida di-

[a] N. 189.

http://www.obrascatolicas.com/

vinarum praecipue scientiarum cognitione rite exculti et imbuti possint in hac potissimum tanta serpentium errorum colluvie omnes exhortari in doctrina sana et contradicentes revincere.

*Acta Pii IX*, vol. II, 534.

## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

201

### De votorum simplicium professione

(Litt. circ. *Neminem latet*, diei 19 martii 1857)

Neminem latet, tristissimis hisce temporibus quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessundare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus, tamquam ovis morbida electum Christi gregem inficiat, vel verae vocationis expers, et suscepti Instituti poeniteat, et gravem sodalibus molestiam afferat cum disciplinae perturbatione, et regularis observantiae discrimine. Hinc porro evenit, ut qui ex adverso sunt, contra regulares familias, licet de christiana et civili republica optime meritas, pleno ore blaterent, et culpam, quae paucorum est, in universum coetum conferant. Ex quo non levi religionis damno debita christiani populi erga religiosas familias opinio et reverentia vel maxime imminuta. Siquidem regulares viri propriae vocationis assidue memores esse debent, et omnium virtutum splendore fulgere, atque ex proprii Instituti regula nullis curis nullisque laboribus parcere, ut maiorem Dei gloriam, ac sempiternam hominum salutem procurare queant. Quod si semper, hisce praesertim temporibus, ab ipsis maiore studio et contentione est praestandum, cum populi, licet omnigenis insidiantium hominum erroribus fraudibusque misere decepti, tamen et veritatis luce, ac sanctissimae nostrae Religionis auxilio se maxime indigere sentiant. Quocirca regulares viri, qui auxiliares Ecclesiae milites merito semper dicti et habiti sunt, nihil nunc intentatum relinquere debent, ut qua opere, qua voce, qua exemplo errorum tenebras dissipent, hominumque mentes divinae nostrae religionis lumine illustrent, errantes in omni bonitate, patientia, ac doctrina ad veritatis et salutis semitas perducant, vitiorum germina radicitus evellant, ac pietatem, religionem,



omnemque virtutem ubique foveant, excitent, ac propagent. Ut autem haec prospere feliciterque agere et consequi valeant, charitatem in primis praeseferant oportet, quae virtutum omnium parens et altrix, quaeque patiens atque benigna omnia suffert, omnia sustinet, et idcirco necesse est Religiosos ipsos viros arctissimo charitatis vinculo inter se esse coniunctos, quo concordissimis animis, consociatisque studiis praeliantes bella Domini, et quaerentes unice quae Christi sunt, possint Dei eiusque sanctae Ecclesiae regnum magis in dies extendere.

Cum igitur Ecclesia prudenti quadam oeconomia ingruentibus malis iuxta rerum ac temporum adiuncta provide sapienterque occurrere soleat, Ssmus D. N. Pius Pp. IX Religiosos Ordines praecipua benevolentia prosequens, et ab iis huiusmodi mala avertere cupiens, rem deferendam voluit ad S. Congregationem super Statu Regularium, ut Patres Cardinales, rebus accurate discussis, proponerent quidquid in Domino expedire exsistimassent. Itaque auditis eorumdem Cardinalium sententiis, universaque rei ratione sedulo perpensa, haec quae sequuntur, quoad religiosas virorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex Apostolicae auctoritatis plenitudine statuit atque decernit, atque ab omnibus, ad quos spectant, ex obedientiae praecepto observari et executioni demandari districte iubet, et contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, derogat, ac plene derogatum esse declarat.

Peracta probatione et novitiatu ad prescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et Statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, Novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam,[a] vel aliam maiorem, quae forsan a statutis propriis Ordinis a S. Sede approbatis requiratur; et quoad Laicos et Conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII, incipiente *In suprema*[b] praefinita est.

Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam

---

[a] N. 98.
[b] N. 130.



http://www.obrascatolicas.com/

concessa fuerit. Poterit vero Superior Generalis, ac etiam Superior Provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus novitiatus, de consensu tamen Magistri novitiorum, et duorum religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sint.

Decreta S. Congregationis super Statu Regularium incipientia *Romani Pontifices* [a] *et Regulari disciplinae* [b] anno 1848 promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.

Quae de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, servanda erunt relative ad eos, qui post datam praesentium ad habitum admittentur. [c]

Bizzarri 853-855; *Bull. Cap.* X, 346-347; *Fontes* VI, 4381. [d]

## 202

### Declarationes super decreto « Romani Pontifices » [e]

(Declaratio diei 29 maii 1857, ad Abbatem Cisterciensium Reformatorum Americae)

Eutrope Abbate dei Trappisti di Gethsemani nella diocesi di Louisville in America considerando, che l'America è una terra di emigrati, e di viandanti ossequiosamente implora, che la S. V. si degni dichiarare:

1. Se sia sufficiente di esigere dai Postulanti ecclesiastici le lettere testimoniali del Vescovo, che gli ha conferito l'ordine, ovvero sia necessaria anche la testimoniale del Vescovo nella cui Diocesi sono stati ultimamente impiegati?

2. Siccome la maggior parte de' Postulanti laici sono Irlandesi o Tedeschi per ottenere l'attestato del Battesimo fa duopo di scrivere in Europa, e le risposte tardano molti mesi, e qualche volta non si ricevono affatto, così quando evvi una certezza morale che

---

[a] N. 188.
[b] N. 189.
[c] Nn. 202-207, 210-212, 215, 216.
[d] Vide etiam *Fontes* IV, 1976.
[e] Nn. 188, 197.



sieno battezzati se possono ammettersi almeno provvisoriamente alla vestizione dopo due mesi circa di prova?

3. Se il Postulante è già religioso di altra Congregazione, od Istituto regolare basterà di domandare gli attestati dal Superiore da cui dipende?

Sacra Congregatio super Statu Regularium vigore specialium facultatum a Ssmo D. N. Pio Pp. IX concessarum propositis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad 1. Si agatur de postulantibus in Sacris Ordinibus constitutis sufficere testimoniales Episcopi, qui Ordines Sacros legitime eis contulit, una cum testimonialibus Ordinariorum Dioecesum, in quibus deinde ultra annum in unaquaque Dioecesi commorati fuerint.

Ad 2. Documentum recepti Baptismatis exhibendum esse ante admissionem ad habitum.

Ad 3. Quoad Novitios alterius Ordinis, et Professos saecularizatos testimoniales litteras petendas esse ab Ordinario: quoad Professos, qui in Congregatione vel Ordine actu permanent, dummodo ab Apostolica Sede facultatem ad alium ordinem transeundi obtinuerint, testimoniales litteras petendas esse a Superioribus, nempe vel a Superioribus, vel a Provincialibus Ordinis a quo: vel quatenus agatur de Congregatione, et Ordine in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium a Superioribus localibus: et si Professus in diversis domibus, vel conventibus commoratus fuerit, sufficere testimoniales superioris generalis, vel Provincialis vel Superioris domus (quatenus Provincialis non habeatur), in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi Superiores antequam testimoniales concedant diligenter inquirere debeant de qualitatibus Religiosi. [a]

Bizzarri 850-851; *Fontes* VI, 4382.

## 203

### Declarationes super litt. circ. « Neminem latet » [b]

(Declarationes diei 12 iunii 1858, ad Ordinem Praedicatorum)

Ssmus D. N. Pius Pp. IX attentis precibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum S. Dominici, haec, quae sequuntur, circa naturam et qualitatem votorum simplicium, in encyclicis litteris huius

---

[a] N. 197.
[b] N. 201.

http://www.obrascatolicas.com/

S. Congregationis super Statu Regularium die 19 martii 1857 praescriptorum, et circa obligationes ac privilegia illorum, qui ea emittent, pro eodem Ordine Praedicatorum decernenda statuit, prout praesentis Decreti tenore Apostolica auctoritate decernit atque constituit:

I. Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

II. Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt.

III. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis Professorum, ita ut data dimissione professi ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

IV. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Magistrum Generalem Ordinis cum suo generali Consilio. Idem Magister Generalis cum suo generali Consilio poterit in casibus extraordinariis, et praesertim pro regionibus et locis longinquis ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent.

V. Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit. [a]

VI. Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur, et gaudent.

VII. Superiores Regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam Tonsuram, et ad Ordines minores, servatis tamen de iure servandis, et praesertim quae circa Ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt.

VIII. Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die

[a] N. 153.



emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis Capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

IX. Professi votorum simplicium dominium *radicale*, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum, et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.

X. Professi votorum simplicium remanere debent in domibus Professorii et studiorum, et vitam communem perfectam observare. [a]

XI. Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est. [b]

Haec Sanctitas Sua statuit atque constituit contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, quibus Apostolica auctoritate derogat, ac derogatum esse declarat. [c]

BIZZARRI 855-857; *Bull. Cap.* X, 363-364; *Fontes* VI, 4383.

## 204

### Declarationes super litt. circ. « Neminem latet » [d]

(Responsa diei 6 augusti 1858)

DUBIA. 1. An Professi votorum simplicium, quae professioni votorum solemnium iuxta litteras encyclicas diei 19 martii 1857 praemitti debent, teneantur ad officium divinum?

2. An teneantur ad observantiam Regulae Ordinis prout solemniter Professi?

Ssmus in Audientia habita ab infrascripto Secretario S. Congregationis super Statu Regularium, die 6 augusti 1858 respondendum mandavit, nempe:

[a] N. 205.
[b] N. 177.
[c] N. 204.
[d] Nn. 201, 203.

http://www.obrascatolicas.com/

Ad I. Non teneri ad privatam recitationem divini Officii: debere tamen Choro interesse ut solemniter Professi.

Ad 2. Affirmative, firma declaratione iam data quoad votum paupertatis.[1]

BIZZARRI 857; *Bull. Cap.* X, 364; *Fontes* VI, 4384.[a]

## 205

### Declaratio super const. apost. « Cum ad regularem »[b]

(Declaratio diei 9 decembris 1859)

Iuxta const. Clementis VIII professio votorum solemnium emittenda est in conventu Novitiatus. Ad praescriptum vero legis latae die 19 martii 1857[c] professi votorum simplicium debent manere in domibus Professorii, et Studiorum. Hinc quaeritur an Professi votorum simplicium, ut suo tempore ad professionem votorum solemnium admittantur, transferendi sint in Conventum Novitiatus, vel eam emittere possint in Conventu, in quo morantur?

Ssm̃us in audientia habita die 9 decembris 1859 ab infrascripto Secretario S. Congregationis super Statu Regularium, attenta lege de emittendis votis simplicibus die 19 martii 1857 lata, statuit, atque constituit, ut Litteris Apostolicis Clementis VIII, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus, professi votorum simplicium licite et libere professionem votorum solemnium suo tempore emittere possint in Conventu seu Domo, in qua reperiuntur, servatis tamen aliis de iure servandis, quin teneantur profiteri in domo peracti Novitiatus.

BIZZARRI 857-858; *Bull. Cap.* X, 375-376.

## 206

### Declarationes super litt. circ. « Neminem latet »[d]

(Declarationes diei 20 ianuarii 1860, ad Archiepiscopum Mexicanum)

Archiepiscopus Mexicanus humillime exponit, quod S. V. decreto S. Congregationis super statu Regularium die 19 martii 1857

[1] N. 203 sub IX.

[a] Vide etiam Resolutionem S. C. Ep. et Reg. *Romana seu Venetiarum*, diei 24 martii 1882, in *Fontes* IV, 2007.
[b] N. 132 sub 21.
[c] Nn. 201, 203 sub X.
[d] N. 201.



praecepit, ut Novitii, iam sexdecim annorum, etiam expleto Novitiatus anno ad normam Tridentini, non alia vota nisi simplicia valeant emittere, dilata emissione solemnium post triennium, si digni tunc reperti fuerint, qui ad professionem admittantur, dummodo ultra 25 annum eorumdem aetatis non protendatur.

Ex expositis sequentia dubia suborta sunt, quorum solutionem a S. V. obsequiosissime postulat:

I. Possunt ne Novitii post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium ad Sacros Ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Constitutione *Romanus* S. Pii V die 14 octobris anni 1568[a] in lucem edita?

II. Possunt Provinciales dispensare cum Novitiis defectu natalium laborantibus ante emissionem votorum solemnium, ad hoc ut his ordines conferantur?

III. Qui forte habitum religionis induerint, maiores iam 25 annorum, aut huic proximi aetati, possunt, expleto iam novitiatus anno, ad vota solemnia, et professionem admitti, an etiam cum similibus expectandum est ulterioris probationis triennium?

IV. Si Novitii post emissa vota simplicia aut dimittantur e religione, aut haec ab ipsis mobilitate animi relinquatur; quid cum eis agere debet Ordnarius, si aut ad Sacros Ordines, aut ad matrimonium forsitan adspirent?

Ex Audientia Ssm̃i habita a D. Secretario S. Congregationis super Statu Regularium sub die 20 ianuarii 1860, Ssm̃us ad proposita dubia rescribendum mandavit, ut sequitur:

Ad I. Negative quoad Ordines Sacros.

Ad II. Affirmative pro prima tonsura et ordines minores, quatenus Provinciales ex Apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit.

Ad III. Negative ad I. partem, affirmative ad 2.

Ad IV. Si professi votorum simplicium sive per dimissionem ab Ordine, sive per Apostolicam dispensationem ab emissis votis soluti fuerint, se gerat cum illis prout cum ceteris suis Dioecesanis se se gerere debet.

BIZZARRI 858-859; *Bull. Cap.* X, 381; *Fontes* VI, 4385.

[a] N. 104.

http://www.obrascatolicas.com/

## 207

### De titulo ordinationis

(Rescriptum diei 20 ianuarii 1860, ad Episcopum Meliten.)

Pius Pp. VI per litteras Apostolicas sub annulo Piscatoris Motu proprio datas die 25 iunii anni 1777 [a] prohibuerat, ne cui Episcopus Melitensis primam Tonsuram conferet nisi titulum substentationis habenti. Revera, quum in titulis huiusmodi describendis, nonnisi Beneficia, Cappellanias, Pensionem et Patrimonia memoret, directe de Regularibus non videtur locutus. Tamen ex illo tempore in dioecesi Melitensi Regulares nonnisi cum titulo, paupertatis nimirum, ad Tonsuram, Ordinesque minores promoveri consueverunt. Quunque hic titulus per solemnem professionem acquiratur, Regulares nunquam hic nisi post emissam votorum solemnium professionem sunt promoti.

Nunc vero quaedam immutatio in Ordinibus religiosis inducitur. Per Decretum enim, quod ex mandato Beatitudinis Vestrae S. Congregatio super statu Regularium edidit die 19 martii 1857,[b] praecipitur, ut qui Religiosam vitam in quocumque Ordine profiteri vellet, emenso Tyrocinii anno, ad vota simplicia dumtaxat admitteretur; post quorum emissionem adhuc ex Ordine dimitti posset. Interim tamen permisit, ut Superiores Regularium litteras Dimissoriales ad primam Tonsuram, Ordinesque Minores huiusmodi professis concedere possent.

Ex expositis sequentia dubia orta sunt, quorum solutionem a S. V. Episcopus Meliten. humillime expostulat, nempe:

I. Utrum praedictus Motus Proprius Pii VI respiciat Regulares ita ut sine titulo substentationis ad primam Tonsuram, Ordinesque minores nequeant Melitae promoveri?

Et quatenus affirmative.

II. Utrum S. V. in supra memorato decreto censeatur hac in parte Motui Proprio Pii VI derogasse?

III. Sive Motus Proprius Pii VI Regulares proprie non respiciat, sive S. V. hac in parte illi derogaverit; quid dicendum si professi vota simplicia, postquam Tonsuram, ordinesque minores susceperint, ab Ordine dimittantur; eruntque recipiendi in Clerum saecu-

[a] Litt. ap. *Ea semper*, in BRc VI, 333-339.
[b] N. 201.



larem, ita ut habitum clericalem gestent, et in susceptis Ordinibus ministrent, quamvis careant titulo substentationis?

Ssm̃us ad suprascripta dubia rescribendum mandavit, ut sequitur:

Ad 1. et 2. Regulares non comprehendi, et etiam Professos votorum simplicium, de quibus agitur, posse admitti ad primam tonsuram et ordines minores non obstante dicto Motu-proprio.

Ad 3. Affirmative in omnibus nisi aliud iudicio Episcopi obstet; sed curandum esse, ut, quamprimum fieri poterit, de praescripto titulo provideantur. Minime vero ad Ordines Sacros promoveri posse, nisi praescriptum titulum habeant.[a]

Bizzarri 860-861; *Bull. Cap.* X, 381-382.

## 208

### Declaratio super decreto « Regulari disciplinae » [b]

(Declaratio diei 24 februarii 1860, ad Procuratorem Generalem Carthusianorum)

I Fratelli laici Certosini sono ricevuti nell'Ordine prima come Postulanti, e durante un anno mettono sopra l'abito secolare una semplice veste di panno detta Mantello o Sacco: indi spogliati dell'abito secolare, vengono rivestiti del Religioso consistente in una Tonaca con cintura e nel Cappuccio. Passato un anno dopo tale vestizione, sono ammessi alla Donazione, la quale dura cinque anni. Da ultimo, percorse lodevolmente tutte queste diverse prove, cominciano l'anno di Noviziato, che precede la loro Professione. Si domanda:

1. Quando si debbano praticare riguardo ai fratelli laici Certosini le Prescrizioni della prima parte del Decreto *Regulari disciplinae* del 25 genn. 1848?

2. Se nell'ammissione de' Novizi all'abito religioso lo scrutinio della Comunità debba precedere quello degli Esaminatori Provinciali e dei Generali; oppure se debba farsi in ultimo, di maniera che possa annullare lo scrutinio dell'Esame Provinciale, e dello stesso esame generale?

Ssm̃us mandavit rescribi ad 1. Quando dimisso habitu saeculari religiosa veste induuntur, nempe tunica, cintura et caputio; ad 2. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Bizzarri 851.

[a] N. 104. Vide etiam S. C. de Prop. Fide, instr. *Cum indecorum*, diei 27 aprilis 1871, in *Fontes* VII, 4878; *Collect. Prop. Fide* II, 1369.
[b] Nn. 189, 199.

http://www.obrascatolicas.com/

## CONCILIUM PROVINCIALE PRAGENSE (1860)

209

### De studiis regularium

(Decreta, tit. VII)

Cap. IV. - Prout orationis fervor, ita laboris quoque patientia et assiduitas regulares decet. Non minus ista, quam silentium vel paupertas bene ordinatum monasterium monstrat, in quo videlicet sanctae caritatis zelus cum sui abnegatione coniungitur. Et quum multa sit messis, operarii autem pauci, [a] adeo ut ipse mundus fervidos labores religiosorum exspectet, prout haec praerogativa iis inde ab omni tempore fuit, ita etiam a nostris diebus ignis caritatis et zeli pro regno Dei ardere pergat et inardescat magis in familiis Deo sacratis, ut quaecumque necessitas saeculum premat, quaecumque indigentia operam fratris exoret, in claustris inveniat primos et paratissimos auxiliatores. Ne autem, quum ad omnia sese extendere vellet, insufficientior foret facultas virium, regulares probe discernant, in qua potissimum parte secundum ordinis sui institutum operam debeant collocare; huic vero impensissime se dedicent et tradant. Dum misericordiae et eleemosynae opus omnibus incumbit, dum specialem aegrotorum et infantium curam peculiares sibi proponunt congregationes: ad alios, ut plurimum, spirituale magis ministerium pertinet, agri Dominici cultura et spiritualium morborum sanatio.

Hanc potissimam partem ut bene adimpleant, studia literarum in monasteriis vigeant oportet. Hortamur quam maxime religiosos, ut secundum modum, quo ad instruendam iuventutem, ad praedicandum verbum divinum, ad auxilia curae animarum, vel etiam ad claustralem scientiarum cultum vocantur, sedulissime eas cognitiones sibi comparent, quibus muneri suo veritatisque profectui et augmento consulere possint. Superiores praesertim curent, ut novitii bene educentur et instituantur, ne in propria ordinis regula et historia peregrini inveniantur; ut dein, qui clerici sunt et ad sacerdotium adspirant, solida, sufficienti, immo et ampliori theologiae scientia imbuantur, ceteris etiam non carentes praeparationibus, quae ad alia fors magistrorum officia requiruntur. In conventibus porro collationes et exercitia de materiis theologicis vel aliis utilibus saepius ha-

[a] *Mt.* IX, 37.



beantur, et lector S. Scripturae iuxta praeceptum Concilii Tridentini numquam desideretur. [1] Monastica studia non tantum merito aequent ceterorum labores, sed et superent. Episcopi in hunc finem examina, quae pro sacra ordinatione et approbatione ad confessiones instituuntur, sollicite habebunt. Ut religiosi, qui fors studiorum causa ad universitatem missi extra claustri sui septa morantur, vitae regulari intenti maneant: ex dispositione Concilii Tridentini in conventibus habitent, [2] seu in resuscitatis fors, prout usus maiorum probatus habuit, regularium collegiis.

*Collect. Lacen.* V, 576-577.

## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

210

### Declaratio declarationis super litt. circ. « Neminem latet » [a]

(Declarationes diei 7 februarii 1862, ad Ordinem Praedicatorum)

Fr. Alexander Vinc. Iandel Magister Generalis Ordinis PP. Praedicatorum exponit, occasione nuperrimi Decreti a S. Congregatione super Statu Regularium die 12 iunii 1858 Apostolica auctoritate editi, nova quaedam in quibusdam sui Ordinis Conventibus exorta fuisse dubia, quorum solutionem ab eadem S. Congregatione enixe et humillime exposcit.

1. Cum ex praefati Decreti tenore (num. 8) professi votorum simplicium suffragium habeant in actis Capitularibus sui Conventus quatenus et prout habent solemniter professi; quaeritur an inter huiusmodi actus Capitulares recenseantur etiam actus receptionis ad votorum solemnium professionem; nam praeterquam quod votorum simplicium professi non sint de corpore professorum solemniter, contingere potest quod professi simplices numero excedant professos solemnes, et inter eos periculum collusionis enascatur, cum alii post alios, vel simul, vel post breve tempus ad solemnem professionem admittendi sint?

2. Utrum reiectio alicuius professi simplicis a maiori parte Patrum in Consilio vel totius Conventus in Capitulo per suffragia se-

[1] N. 92.
[2] N. 97.
[a] Nn. 201, 203.

http://www.obrascatolicas.com/

creta prolata, ab Ordinis Generali Magistro, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione, haberi possit tamquam legitima et iusta causa aut prudens iudicium, ad hoc ut eiusdem professi votorum simplicium dimissio ab Ordine, et eorumdem votorum solutio ab ipso cum suo generali Consilio decerni et declarari possit?

3. Et quatenus negative, quaeritur tertio quid agendum, si Patres Conventus ad excludendum Novitium a professione solemni perseverent, nec ulterius eadem differri possit eo quod vigintiquinque aetatis suae annos Novitius expleverit?

Ssmus D. N. Pius Pp. IX in Audientia habita die 7 febr. 1862 ab infrascripto Secretario S. Congregationis super Statu Regularium ad suprascripta proposita dubia rescribendum mandavit, nempe: ad 1. Negative: ad 2. Negative: ad 3. Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium, audiri quidem debet Capitulum Conventuale ad instructionem animi Superiorum; minime vero a Superiori Generali vel ab eius Subdelegato standum erit resolutioni eiusdem Capituli. Quod si aliunde habeantur legitimae causae ad dimittendos professos votorum simplicium, hoc in casu servanda erunt, quae in articulis IV et V declarationum praescripta sunt.

Insuper Sanctitas Sua ea quae in hoc responso continentur, etiam ad alios Ordines, et Instituta extendit, et extensa esse declaravit.

BIZZARRI 861-862; *Fontes* VI, 4387.

## PIUS IX

### 211

### Super nullitate professionis votorum solemnium non praemissa professione votorum simplicium

(Litt. ap. *Ad universalis Ecclesiae*, diei 7 februarii 1862)

Ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, vocati, pro postorali, qua urgemur, sollicitudine haud praetermisimus ad religiosas quoque familias mentis aciem, animique curas intendere, ut eae, de christiana et civili republica optime meritae, ad pristinum splendorem revocarentur, et incrementum acciperent. Probe autem agnovimus tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessumdare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, dili-



gentiam, ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus electum Christi gregem inficiat; vel verae vocationis expers, susceptique Instituti pertaesus gravem sodalibus molestiam inferat cum disciplinae perturbatione, et regularis observantiae discrimine. Idcirco, audito voto VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis super statu Regularium nonnulla hac super re mandavimus edi decreta, inter quae illud praesertim in praesens commemorandum est, quod per Litteras encyclicas die 19 martii 1587 [a] a V. Fratre Andrea Bizzarri Archiepiscopo Philippensi memoratae Nostrae Congregationis Secretario signatas, publicatum est. In praefatis autem Litteris haec, quae sequuntur, quoad religiosos virorum Ordines, ac Instituta ex Nostro expresso mandato, et Apostolica auctoritate sancita fuere, scilicet: « Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et statutorum ordinis a S. Sede adprobatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio [b] statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII incipiente *In suprema* [c] praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero Superior generalis ac etiam Superior provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu sint insigniti. Decreta Congregationis super statu Regularium incipientia *Romani Pontifices* [d] et *Regulari disciplinae* [e] anno 1848 promulgata omnino ser-

---

[a] N. 201.
[b] N. 98.
[c] N. 130.
[d] N. 188.
[e] N. 189.

http://www.obrascatolicas.com/

ventur in receptione ad habitum, novitiatum, et professionem votorum simplicium ». Postquam hoc decretum executioni demandatum fuit ex ipsa experientia comperimus quantum utilitatis ex eo religiosae Familiae retulerint, et referre possint. Verum nuper agnovimus aliquos novitios, praetermissa professione votorum simplicium, ad vota solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde circa dictorum votorum solemnium validitatem gravia dubia suborta esse. Nos igitur cupientes in re tanti momenti omnem ambigendi causam imposterum removere, motu proprio, et certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quoad religiosas virorum Familias cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti, in quibus solemnia vota emittuntur, statuimus, ac decernimus nullam omnino, irritam, et nullius roboris fore professionem votorum solemnium tam scienter, quam ignoranter, quovis modo, praetextu, et colore facta a novitiis quibuscumque etiam laicis, et conversis, qui licet probationem, et novitiatum prout de iure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia, et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti. Haec volumus, statuimus, praecipimus, mandamus non obstantibus, quatenus opus est, Constitutione Benedicti XIV Praedecessoris Nostri [a] super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, et in universalibus, provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, regulis, statutis, et consuetudinibus cuiusque Ordinis, Congregationis et Instituti etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus et singulis illorum tenoribus praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Decernentes has Nostras litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentare irritum, ac inane esse et fore volumus, et declaramus. [a]

*Acta Pii IX*, vol. III, 417-420; Bizzarri 862-864; *Bull. Cap.* X, 418-419; *Fontes* II, 532.

[a] N. 119.



## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

### 212

### Exclaustrati reversi novitiatum peragere non debent

(Responsum diei 4 iulii 1862, ad quemdam sacerdotem professum)

Frater Theophilus a S. Corde Mariae Sacerdos professus et Novitiorum Magister in extincto Collegio Apostolico B. M. V. de Zapopan. in dioecesi de Guadalaxara, sua ductus tristissima experientia, aliorumque Religiosorum virorum consilio, ut suae conscientiae satisfaciat, proponit Dubium « Utrum iuvenes, qui ante exclaustrationem vota simplicia emiserant, ab iis liberi sint reputandi ita ut si denuo aperiantur Monasteria, incipere et prosequi novitiatum debeant iuxta decretum super Statu Regularium, cuius initium *Neminem latet* de die 19 martii 1857. [b]

Ssm̃us proposito dubio respondendum mandavit *Negative*.

Bizzarri 864-865.

### 213

### De dominio professorum a votis simplicibus

(Decretum *Lata lege*, diei 1 augusti 1862)

Lata lege de praemittendis votis simplicibus professioni votorum solemnium per Encyclicam Epistolam huius Sac. Congregationis super statu Regularium die 19 martii 1857 [c] nonnullae deinde editae fuerunt declarationes quoad ipsa vota simplicia, et relate ad votum simplex paupertatis constitutum fuit: [d] « Professi votorum simplicium dominium radicale, uti aiunt, suorum bonorum retinere po-

[a] N. 216.
[b] N. 201.
[c] N. 201.
[d] N. 203 sub IX.

http://www.obrascatolicas.com/

terunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, et usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint ».

Nuper vero dubium exortum est, quandonam Professi votorum simplicium emittere possint renunciationem, de qua Sacrosanctum Concilium Tridentinum sess. XXV *De Regularibus* cap. XVI [a] agit, quaque ipsi suarum rerum dominium a se abdicent. Dubio ad Ssm̃um D. N. Pium Pp. IX relato ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis super Statu Regularium in audientia habita 1 augusti 1862, Sanctitas Sua Apostolica auctoritate statuit, atque constituit, renunciationem, quam in citato capite XVI sess. XXV *De Regularibus* Concilium Tridentinum respicit, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Contrariis quibuscumque non obstantibus. [b]

Bizzarri 865; *Fontes* VI, 4388.

## SYNODUS PROVINCIALIS ULTRAIECTENSIS (1865)

### 214

### De tyrocinio et de studiis

(Decreta, tit. VII)

Cap. II. - Vigeant profecto oportet in monasteriis litterarum ac severiorum disciplinarum, praesertim sacrarum, studia quae omni aetate in iis floruerunt, et per quae factum est, ut ex iisdem viros doctrina eminentes ac strenuos operarios pro agri Dominici cultura, Ecclesia constantissime habere potuerit. Superiores vigilantissimi sint, ut iuxta uniuscuiusque ordinis leges, recta studiorum ratio in conventibus servetur et promoveatur, utque collationes et exercitationes de theologicis materiis, vel de aliis utilibus rebus saepius inter religiosos alumnos instituantur. Episcopi autem, pro ipsorum mu-

[a] N. 99.
[b] Vide S. C. Ep. et Reg., Epist. *Le massime*, diei 30 decembris 1882, in *Fontes* IV, 2008.



nere, examina, a regularibus etiam subeunda pro admissione ad ordines, pro approbatione ad audiendas confessiones, pro exercitio sacri ministerii in parochiis, sollicite habebunt, nisi ex iusta causa dispensandum censuerint.

Maximi momenti est observatio eorum, quae ecclesiasticae sanctiones exigunt de novitiorum admissione ad habitum et ad professionem: indubitatum namque est exinde imprimis pendere bonum vel malum religiosi cuiusque instituti. Praepositis regularibus secundum statuta suorum ordinum et S. Sedis praecepta, liberum est postulantes ad habitum recipere probatosque ad professionem admittere: sed antea de illorum indole, ingenio, moribus inquirere debent ac sedulo investigare quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ducantur. Quocirca servandum esse meminerint Apostolicum Mandatum die 25 ianuarii 1848 editum de testimonialibus Ordinarii litteris requirendis, ante receptionem illorum, qui ad habitum religiosum admitti petunt. [1] Alterum quoque Apostolicum Decretum, die 19 martii 1857 emissum, observandum stricte erit, iuxta quod, novitiatu exacto, ante vota solemnia, simplicia saltem per triennium praemittenda esse edicuntur. [2] Ceterum non antea admittendi erunt novitii ad professionem, quam in tirocinio probati fuerint per totum illud tempus, quod sacri canones et instituti constitutiones exigunt. Probatio autem ipsa ea ratione facienda, quae institutionibus super receptione et educatione novitiorum in monasteriis et conventibus designatis vel designandis, Clementis VIII iussu editis, determinatur. [3]

Enixe monemus rogamusque regularium ordinum superiores, ut exquisitissimam in tironum probatione adhibeant et adhibere faciant diligentiam atque industriam. Severius potius agant in probandis admittendisque candidatis ad votorum professionem, quam ob nimiam facilitatem eos admittant, qui divina vocatione haud ducti, instituto religioso damno et dedecori, fidelibus autem scandalo esse possunt.

Mansi XLVIII, 770-771; *Coll. Lacen.* V, 892-893.

[1] N. 188.
[2] N. 201.
[3] Nn. 120, 123, 131, 132.



http://www.obrascatolicas.com/

## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

### 215

### Declaratio super litt. circ. « Neminem latet » [a]

(Rescriptum diei 16 augusti 1866)

Lex de praemittendis votis simplicibus, et in iis permanendi per triennium omnes Novitios afficit sive aetatem citra annos viginti habeant, sive illam quomodolibet excesserint. Cum vero iuxta Encyclicam *Neminem latet*, et Litteras apostolicas *Ad universalis Ecclesiae* [b] Superiores possint *ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum*, a nonnullis dubitatum est, an Superiores ipsi professionem votorum solemnium ultra praescriptum triennium votorum simplicium etiam iis, qui aetatem annorum vigintiquinque quomodolibet superaverint differre valeant. Ratio dubitandi erat, quod eadem causa pro utrisque locum habet, nempe ulterior probatio. Verum haec dubitandi ratio haud vim habere ab aliis respondebatur; nam quando lex clare aperteque aliquid excludit, interpretatio minime admittenda est, prout accidit in themate; lex enim hanc facultatem differendi Superioribus tribuit pro professis usque ad aetatem vigintiquinque annorum completorum. Insuper dicta differendi potestas pro professis vigintinque annis minoribus necessaria erat ob specialia rerum publicarum adiuncta, quae personas praedictam aetatem excedentes non respiciunt. Insuper si quis in novitiatu, et infra triennium votorum simplicium vocationis signa non dederit, licet iam ad maturam aetatem pervenerit, spes rationabiliter effulgere non potest, ut deinde illa praebeat; quin imo aliis professis periculo offensionis et scandali esse potest, et timendum est, ut ob importunitatem, licet indignus, ad professionem votorum solemnium admittatur. Quibus de causis Tridentina Synodus sess. 25 *De Regul.* cap. 16 edixit: *Finito tempore novitiatus Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e Monasterio eos eiiciant.* [c] Poterit fortasse aliquando contingere ut aliquis expleto triennio votorum simplicium habilis ad vota solemnia emittenda inveniatur, sed ob rationabilem causam statim non possit vota solemnia nuncupare; hoc in casu si de brevi dilatione agatur videtur confugi posse ad illud effatum *parum pro nihilo habetur;* si vero longior mora requiratur, aditus ad Apostolicam Sedem patet, a qua prout in Domino expedire vedebitur, provideri poterit.

[a] N. 201.
[b] N. 211.
[c] N. 99.



Die igitur 16 augusti 1866 in Congregatione propositum fuit dubium a P. D. Bonifacio Wimmer Abbate Praeside Cassinensium in America exhibitum, nempe: *Quod adhuc dubitatur, utrum in casu, quo sacerdos saecularis habitum petivit, et obtinuit, qui annum 25 longe transgressus est, huic* (emissa professione votorum simplicium) *professio solemnis* (nempe votorum solemnium) *differri possit supra consuetum triennium, si scilicet intra triennium* (votorum simplicium) *non sufficentia argumenta de sua vocatione derit?*

Et Emi Patres rescripserunt: *Negative* (*nempe non posse differri*). [1]

BIZZARRI 866-867.

### 216

### Alia declaratio super litt. circ. « Neminem latet » [a]

(Rescriptum diei 16 augusti 1866)

Quamvis in Litteris Apostolicis diei 7 februarii 1862 incipien. *Ad universalis Ecclesiae* [b] clare aperteque decretum sit nullam et irritam prorsus esse professionem votorum solemnium, si non praemittatur professio votorum simplicium, et in ea per triennium quis non permanserit, tamen in Encyclica *Neminem latet* diei 19 martii 1857 ne verbum quidem de nullitate legitur, nec illa decreto irritante munita reperitur.

Quare cum quidam Novitius post dictam Encyclicam, sed ante memoratas Litteras Apostolicas vota solemnia nuncupaverit, non praemissa professione votorum simplicium, quaestio de validitate professionis votorum solemnium exorta est; quanvis actum illicitum fuisse nemo dubitaret. Ideoque in Congregatione diei 16 augusti

[1] Declararunt tamen recurrendum esse ad S. C. in casibus particularibus, in quibus aliqua peculiaris causa concurrat.

[a] N. 201.
[b] N. 211.

http://www.obrascatolicas.com/

1866 propositum fuit dubium: *Utrum dictus Religiosus Professionem solemnem validam emiserit?*

Cui Emi Patres rescripserunt: *Affirmative.* [1]

BIZZARRI 867.

## CONCILIUM OECUMENICUM VATICANUM (1869-1870) [a]

### 217

### De votis et de studiis religiosorum

(Postulata Episcoporum Neapolitanorum, pars II, cap. III)

§ XLV. Sapientissima fuit recens norma, quam Sanctitas Tua praescripsit quoad Votorum emissionem, scilicet, quod Vota simplicia cum trium annorum probatione solemnem Professionem antecedant; [b] ita ut haec intra istud trienne temporis spatium emitti non possit *sub poena nullitatis*. Iam vero efficacior videtur evadere posse *probatio*, quoties praescriberetur aetas anni vigesimi primi iam exacti ad vota simplicia emittenda; nunquam vero aetas anni decimi sexti; [2] id enim magis ac magis prodesset, quo ad Statum monasticum vocatio probaretur. Quod si in nonnullis Ordinibus magis *Observantibus* bienne temporis spatium ad Tyrocinium conficiendum et quidem ad amussim exactum, peropportunum fuit comprobatum; idem opus esset, ut definiretur, uti *norma* pro omnibus et singulis Religiosis Ordinibus, duodeviginti menses vel binos annos Tyrocinii antecedere Votorum simplicium Professionem; neque *pro forma* tantum hanc esse habendam; atque omnino servandum, quod Sanctitas Tua praescripsit de admissione Religiosorum ad habitum et Professionem. [3] Experientia transacto tempore comprobata in causa quidem est, cur quaecumque evanescat difficultas, inspecta maxima, quae ex hoc suscepto consilio eruitur, utilitate in probanda Religiosorum vocatione. Neque mora temporis in sacris Ordinibus suscipiendis, emissa solemni Professione, scilicet confecto anno vigesimo quarto, gravis esse

---

[1] Igitur ante Litt. ap. *Ad universalis Ecclesiae* huiusmodi professiones erant dumtaxat illicitae; post vero dictas Litt. ap. non solum illicitae, sed irritae et invalidae prorsus sunt.

[2] N. 98.

[3] Nn. 189, 201, 211.

[a] Concilium Vaticanum decreta disciplinaria non dedit; nihilominus schemata eorumdem decretorum apponimus, quia mentem Ecclesiae lucidissime exprimunt.

[b] N. 211.



potest, cum in ipsa Societate Iesu non conferuntur Sacri Ordines nisi aetate vel provectiori.

§ XLVIII. Unus idemque est Ecclesiae Catholicae Clerus, sicut unum et idem est Sacerdotium a Christo Domino institutum. Quod si illi Saecularis, huic Regularis inditum est nomen, non hoc immutatur substantia; sed tantum vitae genus aliud ab alio respicitur, cui ultro se nonnulli Clerici subiiciunt, alii vero alia contendunt via. At Regulares Saecularesve sint, unus et idem est omnium Ecclesiasticorum finis, scilicet Ecclesiae inservire precibus, exemplis, doctrina et sacri ministerii laboribus suscipiendis. Idcirco Seraphicus Doctor Divus Bonaventura ita in quodam suo opusculo de Regularibus scribit: « Sedes Apostolica vocavit nos in adiutorium tam Cleri, quam populi, ut per officium praedicationis et confessionis subveniamus animabus, et opus Pastorum sublevando alleviemus ». [a]

Iam vero si quoad substantiam unus est Clerus, et idem est finis, ad quem tendit, quam plurimum confert Ordinem studiorum Cleri Regularis ad eamdem normam Clero Saeculari praescriptam omnino revocari. Itaque sicut Episcopi uno eodemque Seminario, quisque pro sua Dioecesi, Clericos saeculares colligunt, ita Praepositi Provinciales in unum aut binos Provinciae Conventus colligant omnes Clericos Professos. Quemadmodum vero Clerici Saeculares intra Seminarii septa totum conficiunt studiorum curriculum a Grammaticae rudimentis usque ad supremum studiorum, quod est Theologia; ita Clerici Professi, cuiuscumque ingenii sint, idem omnino exigant curriculum studiorum. Una sit omnium methodus et norma; unde transversum unguem non liceat discedere. Ad haec, quemadmodum Episcopi, confecto Clericorum curriculo studiorum in aedibus Seminarii, praestantiora ex illis ingenia eximiaque spe aut in *Centrale* Seminarium mittent, aut in Collegium Ecclesiasticum, Romae constabiliendum ad studiorum perfectionem: ita Praepositi Provinciales, cum Clerici Professi aliquo in Provinciae Regularis Conventu curriculum confecerint studiorum, praestantissimos quosque Romam mittant in Collegio ad ingeniorum perfectionem constabilito, quod quivis Religiosus Ordo suis Alumnis patefaciendum aggredietur.

Iam vero etsi Ordinum Regularium studia ad interiorem spectant disciplinam, tamen expedire omnino videtur Episcopos tamquam Delegatos Apostolicos ipsis advigilare, et si quando Regulares Moderatores muneribus suis deficiant, providere ne quid detrimenti interior disciplina patiatur; praesertim pro eo, quod ad studiorum rationem Religiosorum spectat.

*Coll. Lacen.* VII, 819, 821.

---

[a] Opusculum XIII, *Determinationes quaestionum circa Regulam Fratrum Minorum*, cap. II, in *Opera omnia*, tom. VIII, Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1898, p. 339.

http://www.obrascatolicas.com/

## 218

### De voto obedientiae

(Schemata Constitutionum de Regularibus, n. 2)

Ea potissimum religiosae perfectionis est virtus, ut qui statum regularem amplectuntur, praeter temporalium bonorum renuntiationem et castitatis professionem, abnegare semetipsos ac perpetuum propriae voluntatis holocaustum Deo offerre teneantur. Nil igitur magis ad instaurandam servandamque regularem disciplinam conducit, quam accurata et fidelis religiosae obedientiae observatio; quandoquidem ipsa ceteras virtutes menti inserit, insertasque custodit. [1] Magna quidem paupertas, sed maior integritas; horum autem est obedientia maxima, si custodiatur illaesa: nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo. [2] Hinc si obedientiae votum negligatur, Religiosorum corda veluti terra sine aqua arescunt, nec ipsi amplius humilitate, oratione, meditatione delectantur; quin immo religiosae familiae compago disrumpitur.

Quapropter sacrosanctae Tridentinae Synodi decretis inhaerentes, quo facilius et securius regularis disciplina ubi collapsa sit instauretur, et constantius ubi conservata est perseveret, omnibus Regularibus, tam viris, quam mulieribus, cuiuscumque Religionis, Societatis, Congregationis et Instituti sint, sacro approbante Concilio, praecipimus ut ad regulae quam professi sunt praescriptum, vitam instituant et componant, praecepta ac vota observent, perfectae praesertim obedientiae animo volenti mancipentur, crucifixum Christum Dominum intuentes, qui factus obediens usque ad mortem [a] nedum nobis dedit huius virtutis praeceptum, sed magnum quoque in seipso, quod imitaremur, reliquit exemplum. Et quoniam omnis potestas a Deo est, [b] Regulares omnes in suis Superioribus Deum ipsum agnoscant, ac meminerint non solum ordinationi Dei resistere, qui potestati resistit, verum etiam sese peculiari obligatione teneri vi voti, quod in religiosa professione emittenda Deo nuncupant. Quamobrem debita reverentia et amore suos omnes Superiores prosequantur, et quae ipsi iuxta regulam iniungunt, integre, prompte et humiliter sine ulla excusatione perficiant.

Eos insuper hortamus, ut ad assequendam huius eximiae virtutis perfectionem, quae est quodammodo mater omnium custosque virtutum, [3] toto pectore incumbant; nec non a nequam huius saeculi spiritu,

---

[1] S. Gregorius M., *Moralium*, lib. XXXV, cap. 10, in ML LXXVI, 765.
[2] *Extravag. Io.* XXII, *de verb. sign.*, 14, 1.
[3] S. Augustinus, *De Civitate Dei*, lib. XIV, cap. 12, in ML XLI, 420.
[a] *Philipp.* II, 8.
[b] *Rom.* XIII, 1.



qui est Crucis Christi omnisque auctoritatis ac subiectionis inimicus, sibi maxime caveant, seque undique tueantur.

Tergiversationi nihilominus eorum, qui causas ad obedientiae iugum excutiendum interserunt, occurrere volentes declaramus atque statuimus, Religiosorum recursus, qui fieri solent ad legitimam auctoritatem adversus obedientiae praeceptum a Superioribus datum, haudquaquam obediendi obligationem suspendere; nec facile illorum habendam esse rationem, nisi prius Religiosi, qui reclamaverint, Superiorum mandatis paruerint. Si quis autem ad intercipienda Superiorum mandata confugere ad laicam, vel aliam, quae competens non sit, potestatem attentet, admonitum eum volumus, se graviter contra obedientiae votum facturum.

Mansi LIII, 787-788; *Coll. Lacen.* VII, 674-675.

## 219

### De vita communi

(Schemata Constitutionum de Regularibus, n. 3, cap. I)

§ 2. Quicumque in futurum professionem emittet, praecepto servandi vitam perfectam communem teneatur; ideoque ei, qui admitti ad profitendum in quolibet Ordine, Congregatione, Societate et Instituto regulari postulaverit, priusquam tum domi recipiatur, tum habitu religioso induatur, dictum praeceptum expresse denuntietur, ita ut, si huic se subiicere recusaverit, nullo modo in Religionem admittatur. Quilibet autem novitius in actu professionis tam votorum simplicium solemnibus praemittendorum, quam eorundem votorum solemnium, observantiam perfectae vitae communis polliceatur: proptereaque in admissionis ac professionis actis peculiaris de praedictorum observantia adnotatio fieri debeat: super quibus omnibus Superiorum ad quos spectat conscientia graviter onerata remaneat; ac si ea executioni iidem demandare omittant, eo ipso voce activa et passiva privati existant.

§ 3. Insuper infra annum ab absoluto Concilio perfecta vita communis omnino constituatur in domibus novitiatus, professorii ac studiorum, quatenus in eis introducta adhuc non reperiatur, vel etiam introducta non servetur: idipsum in domibus fiat, in quibus Superiores Generales vel Provinciales resident...

§ 5. Praeterea expleto tyrocinio, neo-professi non transferantur, nisi in aliam reformatam domum, ubi vigeat perfecta vita communis: quod si nulla alia domus reformata habeatur, in eodem novitiatus conventu permaneant: et si idem conventus, ob ibi degentium Religiosorum numerum, ad alios novitios recipiendos capax non sit, hoc ipso ulterior novitiorum acceptatio interdicta censeatur, donec occasio detur, ut neo-pro-

http://www.obrascatolicas.com/

fessi in aliam perfectae vitae communis domum transferri commode valeant, et conventus novitiatus ad alios novitios recipiendos capax reddatur.

Mansi LIII, 792; *Coll. Lacen.* VII, 677.

## 220

## Super novitiatu et novitiorum ac neo-professorum institutione

(Schemata Constitutionum de Regularibus, n. 6)

Ad regularis disciplinae incrementum et religiosorum ordinum decorem promovendum nihil tam est accommodum ac necessarium, quam ut novitii sedulo recteque instituantur, ac vera eorum vocatio ad religiosam vitam serio diligenterque probetur. Hi enim regularis militiae tirones, electa sunt veluti germina, ac novi palmites Dei vineam novellantes, qui ita succrescere, et in regulares coetus coalescere debent, ut uberrimos perfectae abnegationis fructus ferentes, christianum populum exemplo aedificent, ecclesiamque splendore virtutum exornent. Nihil igitur potius Romani Pontifices praedecessores nostri habuerunt, quam ut ad rectam huiusmodi tironum institutionem praescribendam sollicite incumberent. Nobis aeque nil magis ab ipso pontificatus nostri exordio cordi fuit, quam ut praecipuas animi curas cogitationesque ad haec praeclara religiosae vitae germina converteremus, quo opportunis decretis, quae iam edidimus,[a] accuratiori eorum probationi, qui ad habitum et novitiatum, suoque tempore ad professionem admitti postulant, consuleremus. Ut autem nihil desit eorum, quae ad noviatum perficiendum possunt magis magisque conferre, haec quae sequuntur, sacro approbante concilio, statuenda ac decernenda censemus.

### Caput I

Novitii dumtaxat in iis domibus religiosis, quas apostolica sedes, vel pro ordinibus monasticis rituum Orientalium proprii ritus patriarcha, pro novitiatu designavit, vel in posterum designabit, sub poena nullitatis professionis recipiantur. In iis autem domibus locus novitiatus ab ea parte conventus vel monasterii, in qua degunt professi, segregatus omnino sit ac distinctus. Ceterum curandum erit, ut una novitiatus domus in qualibet provincia, vel etiam pro pluribus provinciis, et quoad monachos praesertim una pro plurimis monasteriis constituatur, ut facilius idonei magistri novitiorum haberi possint, et religiosa tironum instituto magis efficax et proficua reddatur. In domibus, seu conventibus, aut monasteriis novitiatus, superiores omnimodam statuere ubique teneantur observantiam regulae et constitutionum sui ordinis, nec non prout alibi decretum est,[a] perfectam vitam communem ab omnibus inibi commorantibus districte servandam; ac in iisdem conventibus, seu monasteriis, aut domibus nonnisi graves religiosos, probos et observantiae ac puritatis regulae studiosos, collocare; indeque eos removere, qui praemissis sive verbis sive factis sese opponere audeant. Tam denique in praefatis novitiatus domibus, quam in aliis ubi professoria vel studia habentur, duodecim saltem religiosi, quorum ad minus octo sint sacerdotes, collocari et morari prorsus debeant.

[a] Nn. 188, 189 etc.



### Caput II

Ad grave novitiorum magistri munus ab iis ad quos pertinet deputandi erunt religiosi probatae vitae, qui zelo regularis observantiae et disciplinae apprime sint praediti, ac ad novitios recte instituendos, et ad eorum veram vocationem animique indolem pernoscendam sint idonei. Sciant qui ius habent magistros deputandi, eorum conscientiam super his graviter oneratam manere, seque Deo strictisimam rationem esse reddituros. Ad ceteras autem magistri qualitates quod attinet, oportet, ut is sit ordine sacerdotali insignitus, in quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, ac per decennium a professione, comprehensa illa votorum simplicium, quae est solemni praemittenda, in religione perstiterit. Socius quoque magistro novitiorum non desit, quem debitis opus est qualitatibus esse praeditum, ac trigesimum saltem aetatis annum excessisse. Nihilominus si magister eiusque socius in officio defecerint, aut impares suo muneri deprehendantur, ne institutio novitiorum, quae maximi momenti est, detrimentum patiatur, superiores ad quos spectat eos ab officio dimittant, quin dimissionis eisdem causam afferre teneantur. Sed cavendum eis est, ne ad huiusmodi dimissionem ex animi aversione, potiusquam ex enunciatis iustis causis procedant. E contra si magister eiusque socius fideliter suum munus adimpleant, ac idonei ad illud inveniantur, poterunt in officio confirmari. Tandem in quolibet novitiatu praeter magistrum deputetur alius idoneus religiosus qui confessarii ordinarii munere fungatur; et insuper superiores ter vel quater in anno, praesertim cum tempus professionis appropinquat, confessarios extraordinarios novitiis assignent, quibus singuli se saltem praesentare debeant.

### Caput III

Quemadmodum ad rite formandos in perfectionis via tirones assidua vigilantia opus est et exemplo; ita magister eiusque socius ad nullum

[a] N. 219.

http://www.obrascatolicas.com/

aliud officium incompatibile interea deputandi erunt, iidemque ita se gerere debent, ut regularis observantiae in eis velut forma resplendeat: sint ergo orationi ac meditationi dediti, mortificationis operibus addicti, prudentia et caritate referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine praeseferentes, ab omni cordis ac animi perturbatione, ira praesertim et indignatione alieni; in omnibus seipsos exemplum bonorum operum praebentes, ut ii, qui eorum curae subduntur, non tam eos metuant, quam amore, et reverentia prosequantur, nec quicquam unquam illis detrahere possint.

### Caput IV

Et quoniam magister novitiorum cuiusvis tironis indolem perspectam habere, ac veram vocationem diligenter perscrutari debet; idcirco haud omittat prudenter inquirere, an quisque religioso statui vere idoneus inveniatur; an vitae perfectioris amore, liberiusque inserviendi Deo in religione; seu potius levitate, aut necessitate, vel alio inordinato fine religiosum statum amplectatur. Sed magnopere curet, ut iidem novitii in regulari disciplina assidue se exerceant, eisque clare explicet obligationes votorum ac religiosi status quem sunt amplexuri, vimque regulae et constitutionum sui ordinis declaret. Quo vero id facilius obtineat, aliquid quotidie ex ipsa regula et constitutionibus in communi perlegi praescribat, modum in oratione ac meditatione servandum novitios doceat; quomodo per sensuum custodiam et mortificationem vitia cohibeantur, eos instruat; silentium, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim, quae saltem semel in hebdomada fiat, modestiam in cunctis actibus, ac humilitatis in vilioribus ministeriis obeundis exercitium commendet. Atque ut ista examussim adimpleantur, superiores locales, et maiores, ac visitatores regulares, novitiatus domos diligenter visitent; ac super praemissorum observantia efficaciter provideant, quamvis novitiorum magister in tirones potestatem habeat, regimenque novitiatus ipse unus teneat.

### Caput V

Praeter cetera quae novitiis incumbunt, hi bis in die meditationi in communi vacare, propriamque conscientiam examinare teneantur. Cumque novitiorum cura eo potissimum tendat ut ipsi spiritualis vitae fundamenta iaciant, hinc durante novitiatus tempore aliis non vacent studiis, praeterquam constitutionum, librorum spiritualium, qui ex magistri novitiatus iudicio magis apti ac utiles existimentur, interposita etiam catechismi Romani lectione, ac explicatione. Tirones conversi etiam magistro novitiorum, aut superioribus monasteriorum seu conventuum iuxta cuiusvis ordinis constitutiones et statuta, subditi esse, et obedire debent. Hi quoque



circa obligationem votorum, religiosi status, ac disciplinae et observantiae sedulo instruantur, eisque dilucide catechesis rudimenta quam saepe tradantur.

### Caput VI

In admittendis postulantibus ad habitum et novitiatum, ac deinde novitiis ad professionem, serventur decreta a congregatione super Statu Regularium iussu nostro edita; [a] nec non ea quae circa professionem votorum simplicium solemnibus praemittendorum statuta sunt in encyclica eiusdem congregationis, quae incipit *Neminem latet,* [b] et in nostris literis apostolicis, quarum initium *Ad universalis ecclesiae regimen,* [c] cum editis quoad haec omnia declarationibus.

### Caput VII

Ut autem neo-professi ac studentes in regulari observantia et disciplina confirmentur, eorumque vocationis spiritus non tepescat, ipsi quoque in domibus professorii ac studiorum peculiarem, sedulam, diligentemque religiosae vitae institutionem iuxta apostolicae sedis sanctiones et cuiusque ordinis statuta omnino habere debeant, super quo superiorum conscientia graviter onerata remaneat.

In iis vero quae praesenti decreto non opponuntur, firma remaneant quae a iure communi, ac apostolicis ac cuiusque ordinis constitutionibus statuta reperiuntur.

Haec volumus, atque mandamus contrariis quibuscumque non obstantibus.

Mansi LIII, 804-807.

## 221

## Super studiis regularium

(Schemata Constitutionum de Regularibus, n. 8)

Cum ordines regulares non modo ad perfectionem iuxta evangelica consilia assequendam instituti sint; sed etiam in catholicae ecclesiae praesidium et ornamentum adsciti, hi propterea in id debent etiam curam impendere, ut invalescentium errorum malitiae obsistant, ac spirituali proximorum saluti auxilientur. Id autem haud assequi poterunt, nisi iis constent religiosis viris, qui ad docendos fideles ne circumferantur omni vento do-

[a] N. 189.
[b] N. 201.
[c] N. 211 etc.

http://www.obrascatolicas.com/

ctrinae sint idonei, ac ad omne opus bonum inveniantur instructi. Magnopere ergo interest, ut recte ad literas, severioresque disciplinas vel maxime sacras, religiosi alumni informentur; prout anteacto tempore servabatur, quo regularium ordinum praeclara laus fuit, literarum studia excolere, eruditisque operibus scientias illustrare. Ut igitur studia ipsa excitentur, nos, sacro approbante concilio, haec quae sequuntur constituimus atque mandamus.

## Caput I

Omnes regulares superiores maxima cura et solertia in suis ordinibus studia promoveant; ac omnem dent operam, ut religiosi alumni in humaniores literas, ac severiores disciplinas addiscendas diligenter incumbant, quo doctrina apprime exculti ecclesiae dogmata tueri, et sacra ministeria obire rite valeant. Quapropter provideant, ut in qualibet provincia, vel pro pluribus provinciis, et ubi provinciae non sunt, pro pluribus monasteriis collegium constituatur, in quo iidem alumni philosophicis ac theologicis studiis omnino vacent, quin aliquis instructione privetur. Praedictum autem collegium, si peculiaria adiuncta id postulent, dividi atque erigi pro philosophia in uno loco poterit, pro theologia in altero. Insuper si ordo aliquis inveniatur qui nullo modo collegium ob modicum studentium ac lectorum numerum, instituere poterit, curabunt eius superiores, ut alumni studiorum causa aliorum ordinum collegia frequentent.

## Caput II

Pro expeditiori autem docendi norma, certa aliqua studiorum ratio seu methodus conficiatur, in qua, inspecta cuiusque instituti indole et professione, res tractandae per singulos annos ac certo ordine distribuantur ac determinentur. Isthaec studiorum ratio sive methodus semel ac examinata fuerit et approbata a moderatore generali cum idoneis consultoribus ab se deputandis, ad cuncta sui ordinis collegia transmittatur, ab eisque fideliter observetur; neque immutari possit, nisi ab ipso generali moderatore de suorum consultorum consensu. Quamobrem in unoquoque regulari ordine a moderatore generali, si fieri id valeat, aliqui viri periti ac probe in scientiis versati deputentur, quorum opera et consilio in directione et moderatione studiorum utatur.

## Caput III

Atque ut ordinatim studia peragantur, regulares alumni postquam de eorum peritia in arte grammatices latinae sive liturgicae linguae, et in humanioribus literis, quas maxime commendamus, praevio examine constiterit, per duos saltem annos philosophiae, ac dein per quatuor theologiae tam dogmaticae quam morali, et sacrae scripturae operam navent, salvis illorum ordinum statutis in quibus maius tempus praescribitur. Praeter has facultates, alumnis, quantum fieri possit, iuris canonici, et sacrae eloquentiae; ac iis, qui praestantioris sunt ingenii, historiae ecclesiasticae, ac graecae et hebraicae linguae institutiones tradantur. Et quemadmodum in severioribus disciplinis nimia opinandi licentia, res periculi plena est; ita curare debent superiores, ut tam in philosophicis, quam in theolocis studiis per aliquos religiosos docendi peritia et eruditione pollentes, praemisso sedulo ac diligenti examine, collatisque consiliis, praecipua doctrinae capita determinentur et lectoribus opportune assignentur, quibus clare constet quid sit tenendum, quid vitandum, quidve liberis opinionibus concendendum.



## Caput IV

Praeterea adhibeantur auctores a moderatore generali approbandi, qui clare solideque doctrinas pertractaverint, ac in moralibus disciplinis laxitatis rigorisque extrema vitantes, mediam viam sapientissime tenuerint. Hos explicent et sequantur lectores, quin facile ab eis recedant. In philosophia rationali, multoque magis in theologia tam lectores quam auditores latino, sive liturgico proprii ritus, sermone utantur, ac methodum scholis aptam, non autem accademicam, adhibeant. Ad animos extimulandos et acuenda ingenia frequenter fiant studiorum exercitationes, et in fine cuiusque anni scholastici accurata examina, quibus singuli alumni coram religiosis viris ad hoc deputatis doctrinae specimen circa traditas per annum disciplinas praebeant. Insuper peracto cursu philosophico examen de universa philosophia; confecto autem theologico, de universa cum philosophia tum theologia instituatur.

## Caput V

Quia studia, ut fructuosa reddantur, indesinenter intentum animum et a curis omnibus expeditum requirunt, vetitum erit superioribus, ne cui ex alumnis iubeant aut sinant, antequam sacrorum studiorum cursum absolverit, et sacerdotio fuerit initiatus, munus aliquod obire: salvo tantum alicuius ordinis statuto, quo suis alumnis, postquam inferioribus disciplinis vacaverint, activum studium praescribitur, id est munus per aliquod tempus easdem inferiores disciplinas docendi; ita tamen ut, eo munere expleto, severiora ipsi studia suscipere, ac rite perficere teneantur. Omnes autem sacerdotes vehementer in Domino hortamur, ut completo curriculo sacra studia numquam penitus intermittant; sed potius lectioni divinarum scripturarum, ac sanctorum patrum et studio theologiae pro viribus insistant: immo volumus ac statuimus, ut in qualibet domo, ubi

http://www.obrascatolicas.com/

saltem sex viri religiosi commorentur, fiant pluries in mense collationes casuum conscientiae in confessariorum commodum et utilitatem.

Ceterum caveant omnes superiores, ne ullo modo suis religiosis permittant, ut in verbi Dei praedicatione exemplum eorum sequantur, qui seipsos potiusquam Iesum Christum praedicantes, inanibus utuntur verbis et argumentis, nec a sacris literis et a sanctorum patrum doctrina hauriunt, quae populo tradunt. Insuper fideliter servent ac servare faciant ea, quae a ss. patribus commendata, et in sacris canonibus, ac praesertim a concilio Tridentino de verbi Dei praedicatione salubriter statuta ac decreta fuerunt.[1]

In ordinibus in quibus religiosi vitam contemplativam tantum agunt, ea quoad studia serventur, quae in eorum constitutionibus et statutis praescripta reperiuntur.

Moderatores autem generales cuiusque ordinis infra biennium ab absoluto concilio de fideli eorum executione, quae in his literis praescripta sunt, apostolicam sedem certiorem omnino facere debeant. Super praemissis omnibus, privilegiis, et aliis contraris quibuscumque derogamus.

Mansi LIII, 810-812.

## 222

### Super gradibus et titulis regularium

(Schemata Constitutionum de Regularibus, n. 9)

Extant in regularibus ordinibus legitimi gradus ac tituli, quibus superiores pro munere decorantur. In aliquibus autem vigent etiam tituli honoris et gradus academici seu scholastici, nec non aliquae exemptiones et privilegia, quibus iuxta ordinum constitutiones gaudent qui aliquo gradu aut dignitate sunt praediti. Nonnulli tamen huiusmodi titulis non ex legis dispositione, sed ex mera liberalitate et gratia donantur. Experientia autem comprobatum est, ex titulorum et huiusmodi exemptionum multitudine perturbationem disciplinae regularis oriri, ac ad laxiorem vitam aditum reserari. Ut igitur huiusmodi mala, quantum fieri poterit, abarceantur, haec quae sequuntur circa gradus ac titulos, sacro approbante concilio, decernimus.

#### Caput I

Cum ii, qui auctoritate praeeminent, aliis etiam debeant honoribus anteire; ideo servandos esse censemus omnes titulos, gradus et dignitates, quibus praelati regulares non solum ordinarii, sed etiam extraordinarii,

[1] Sess. V, *De ref.*, c. 2, in Mansi XXXIII, 30-32.



quemadmodum sunt commissarii, visitatores, ac alii huiusmodi, iuxta ordinis constitutiones et statuta a s. sede approbata, insigniuntur. Titulos vero honoris, qui ex religionum statutis ab apostolica sede confirmatis tribuuntur, servari ad religiosorum merita rependenda permittimus; ita tamen ut non ex gratia, sed servatis iuxta propria statuta de iure servandis concedantur; ac religiosi, quibus conferuntur, praescriptis omnibus qualitatibus polleant.

#### Caput II

Retineri similiter poterunt gradus et tituli academici seu literarii in iis ordinibus, in quibus legitime introducti reperiuntur, ea tamen expressa conditione, ut ex gratia nemini, sed ex iure iis tantum religiosis conferantur, qui praeter statuta in constitutione super studiis, praescriptum pro unoquoque gradu studiorum curriculum, et scholasticas exercitationes, aliaque ad id in propriis ordinibus constituta, rite perfecerint. In huiusmodi vero graduum collatione haec erunt omnino sub nullitatis poena servanda. Nullus religiosus, nisi praevio moderatoris generalis mandato, ad academicos seu literarios gradus promoveatur. Propterea generalis moderator sive per se, sive per subdelegandum quatuor saltem deputet ex gravioribus religiosis viris, quorum erit sedulo inquirere, utrum ad gradus promovendi rite expleverint omnia, quae a statutis et constitutionibus ordinis praescripta inveniuntur; atque iis moribus et virtutibus ornentur, quibus religiosi viri praesertim quoad regularem observantiam praestare debent. Idque non solum per attestationes iuratas ab iis ad quos pertinet subscribendas; sed etiam per secretas alias informationes exquirant. Si post accuratam praemissorum inquisitionem, omnia viderint in promovendis requisita concurrere, testimoniales literas iuramento firmatas conficiant, et in eis expresse declarent, nihil obstare quominus ii ad examen super doctrina admittantur. E contra si in eis debita requisita non concurrant, a ferendo testimonio prorsus abstineant. Ceterum sine propitio huiusmodi testimonio, nemo poterit ad praefatum exsamen admitti.

Acceptis testimonialibus his literis ab examinatoribus, quos moderator generalis super praefato doctrinae experimento designabit, ii promovendos coram se sistere iubeant, ac ubi de congrua illorum doctrina per accuratum ac diligens examen revera sibi constiterit, iudicium per secreta suffragia, quacumque humana affectione postposita, de eorum habilitate ferant. Hinc superior generalis religiosos, ut supra, aprobatos, ac vere idoneos repertos ad gradus academicos etiam per subdelegandum promovere poterit, praevia tamen fidei professione iuxta formam a Pio IV fel. rec. praescriptam[a] coram eodem superiore generali, vel alio religioso ab

[a] N. 100 in fine.

http://www.obrascatolicas.com/

ipso deputato pro graduum collatione omnino emittenda. Si quae alia in propriis constitutionibus praescripta reperiantur, quae praemissis non adversentur, ea quoque servari debebunt.

Revocamus autem omnes facultates, si quas quocumque titulo habeant moderatores generales, capitula etiam generalia, diaetae, aliique superiores cuiuscumque sint ordinis, congregationis, societatis et instituti, conferendi ex gratia titulos academicos literarios, aliosque cuiuscumque speciei; et si secus fecerint, quod absit, omnia sint prorsus irrita et inania; et superiores huiusmodi gradus et titulos ex gratia conferentes, privationem vocis activae et passivae s. sedi reservatam ipso facto incurrant.

### Caput III

Ne autem praescripti in privilegiorum usu limites excedantur, ac eadem privilegia ultra quam par est protrahantur, omnino volumus ac praecipimus, ut praelati, aliique, qui peculiaria privilegia ratione muneris in religiosis familiis communiter habent, iis uti nequeant nisi dumtaxat dum munere vel officio funguntur, et prout necessitas postulaverit: proindeque cessare debeant statim ac munus vel ipsum officium cessat, propter quod concessa sunt. Religiosi vero qui gradibus et titulis insigniti existant, frui poterunt particularibus privilegiis quae eis a constitutionibus et statutis proprii ordinis ab apostolica sede approbatis intuitu graduum conceduntur, iis prorsus sublatis, quae obedientiae, disciplinae et observantiae regulari, ac vitae communi contraria sunt; quae revocatio potiori iure extendatur, ac extensa omnino intelligatur ad eos, qui huiusmodi privilegia et exemptiones ex gratia tantum iam obtinuerunt. Quapropter nullus omnino praetextu cuiuscumque privilegii et exemptionis, vel muneris etiam generalatus, a servitio chori, et ab actibus communibus censeatur immunis, nisi tantum pro tempore, quo quis proprio officio perfungitur.

Quoad lectores vero aut praedicatores, iis tantum diebus, quibus eos legere aut praedicare contigerit, superiores cum eis dispensare possint. Idem quoque praestare valeant cum valetudine laborantibus, ac studiorum causa legitime impeditis. In eos qui negligentes vel inobedientes extiterint salutari poenitentia ad regulae et constitutionum praescriptum animadvertant.

Omnes religiosi etiam gradibus et titulis insigniti, ac superiores, et alii quicumque ii demum sint, iisdem alimentis in communi mensa uti debeant, nisi infirmitatis causa dispensentur. Vestitus quoque omnium ac domestica supellex ex communi pecunia comparetur, et in cunctis sit omnino uniformis, statuique paupertatis quam professi sunt, consentanea. Quae de licentia a superiore petenda pro egressu, quaeque de socio, in



decreto super clausura sancita sunt,[a] etiam a religiosis quovis gradu donatis et quocumque alio titulo insignitis, serventur; eisque generales egrediendi licentiae minime suffragentur.

### Caput IV

Quae superius praescripta sunt, etiam pro abbatibus regularibus constituta omnimode intelligantur. Ad abbatis autem dignitatem non promoveantur, nisi qui praescriptis qualitatibus sunt praediti, ac ad monasteriorum regimen necessarii, servatis de iure servandis iuxta constitutiones apostolicas, ac statuta ordinis a s. sede approbata. Praeterea ab abbatibus non regantur, nisi ea tantum monasteria, quae abbatiae titulo legitime sunt insignita, et in quibus competens familia ad regularem disciplinam servandam habeatur. Abbates, qui suum gubernii munus expleverint, obedientiae novi abbatis, uti ceteri monachi, subiiciantur, et ad omnimodam regularis disciplinae observantiam teneantur.

Haec super praemissis omnibus servari volumus atque mandamus, quibusvis privilegiis etiam speciali ac individua mentione dignis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, constitutionibus apostolicis et statutis cuiusvis ordinis, et instituti etsi iuratis et apostolica auctoritate confirmatis, aliisque quibuscumque contrariis non obstantibus.

Mansi LIII, 813-815.

## 223

### Super ordinationibus regularium

(Schemata Constitutionum de Regularibus, n. 10)

Probos et idoneos oportet esse Christi ministros, sicut bonos decet dispensatores multiformis gratiae Dei; ita ut qui ad sacerdotium ascendere cupiunt, non solum pietate castisque moribus perspicui esse debeant, sed ea etiam doctrina pollere, quae ad rite recteque sacri ministerii opera exercenda est apprime necessaria. Itaque religiosi ad ordines praesertim sacros promovendi, nisi debitis qualitatibus, praeter observantiae regularis testimonium, aucti inveniantur, quin ecclesiae suaeque sint religioni utilitati, potius futuri erunt eisdem detrimento. Quapropter ne quid eorum, quae praecipue servanda sunt in re tanti momenti, praetermittantur, nos, sacro approbante concilio, statuimus atque decernimus.

---

[a] Schemata Constitutionum de Regularibus, n. 4, in Mansi LIII, 796-798.



http://www.obrascatolicas.com/

### Caput I

Superiores regulares, quibus potestas est dimissoriales literas suis subditis aeque regularibus concedendi, eas nemini ad ordines impertiantur, nisi prius de eius vitae probitate, regulari observantia, congrua doctrina, aliisque a iure praescriptis qualitatibus per diligens saltem trium examinatorum iudicium sibi satis constiterit. Quare in capitulo generali vel provinciali (interim vero a generali vel provinciali superiore) aliquot ad id muneris graves et periti religiosi viri in qualibet provincia eligantur,[1] qui quacumque humana affectione postposita, suum munus fideliter adimpleant, relationemque ab se subsignatam ad quem oportet superiorem transmittant. Hic autem, quamquam nemini sine praescripta examinatorum approbatione dimissoriales literas concedere valeat, eas tamen quandoque iure merito differet, etsi propitium extet examinatorum iudicium; cum nempe ipse uti superior, aliquid ordinationi obesse sciat, quod ceteros latet. Iidem superiores memoratas dimissoriales literas non concedant pro sacro subdiaconatus ordine, nisi iis tantum qui theologiae dogmaticae vel moralis studio saltem per integrum annum, pro diaconatu per biennium, et pro presbyteratu per triennium sedulam operam navaverint, salvis ordinum statutis in quibus maius ad id studiorum tempus praescribitur, sub poena contra transgredientes privationis vocis activae et passivae nobis et successoribus nostris summis pontificibus reservata, eo ipso incurrenda. Qui vero ad sacros ordines admittendus erit, per decem dies spiritualibus exercitiis vacare debeat. Ceterum superiores in dimissorialibus literis expediendis exprimere teneantur, religiosum ordinandum nulla censura innodatum, nullaque irregularitate aut alio canonico impedimento irretitum esse: in aetate a sacris canonibus praescripta constitutum: quoad mores, observantiam regularem praesertim vitae communis, et doctrinam, esse approbatum: et cum de sacris ordinibus suscipiendis agitur, mentionem facere, ad ordines promovendum praescripto superius tempore theologiae studiis operam dedisse. Super quibus omnibus superiorum, aliorumque ad quos spectat, conscientia graviter onerata remaneat. Nullusque episcopus eis ordines conferat, nisi haec omnia accuratissime in eisdem literis expressa conperiat.

### Caput II

Concilii Tridentini decreto inhaerentes, quo statuitur,[2] ut regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exlusis, idem decretum

[1] N. 120 sub 23.
[2] N. 96.



innovamus; et mandamus episcopis, qui ordines conferent, ut regulares ipsos sive per se, sive per suos examinatores diligenti examini quoad doctrinam, eodem modo quo clericos saeculares, omnino subiciant, non obstante quocumque privilegio, usu et consuetudine in contrarium; et nisi idoneos repererint, ad ordinationem non admittant.

### Caput III

Innovantes, ac etiam ut abusus evellantur, ampliantes decretum Clementis VIII, quod incipit *De mandato,*[a] et constitutionem Benedicti XIV, cui initium *Impositi nobis,*[b] decernimus, ut superiores regulares, qui id iuris habent ex sui ordinis constitutionibus et statutis, possint suis religiosis, qui qualitatibus requisitis sint praediti, literas dimissoriales concedere ad episcopum dumtaxat dioecesanum, nempe illius conventus, monasterii, vel domus, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit. Quod si episcopus dioecesanus abfuerit, vel neque per se, neque per alium generales ordinationes proximo tempore a iure praescripto sit habiturus, vel sedes episcopalis vacaverit, et dummodo ipsi superiores regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus dioecesanus vel abfuturus, vel ordinationes non esset habiturus, praefatas dimissorias non ad quemcumque, sed ad episcopum proprio conventui vel monasterio viciniorem qui ordinationem habeat, vel eo non habente, ad alterum proximiorem dirigere dumtaxat possint; ita tamen ut dimissoriae ipsae nullius sint roboris, nisi illis iuncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis, aut cancellarii, aut secretarii eiusdem episcopi dioecesani, vel si sedes vacaverit, legitimi vicarii capitularis, ex qua constet episcopum dioecesanum e dioecesi abesse, vel ordinationem proximo tempore a iure statuto habiturum non esse, vel episcopalem sedem vacare. Insuper iis religiosis ordinandis, qui in conventum vel monasterium alterius dioecesis transferuntur, dimissoriales literae concedi non possint, nisi postquam in conventu vel monasterio novae dioecesis saltem per tres menses continuos permanserint. Qui vero horum, quae in hoc tertio capite disposita inveniuntur, transgressores existant, in poenas in praefato decreto Clementis VIII et in dicta constitutione Benedicti XIV contentas eo ipso incurrant.

Facultatem huiusmodi literas dimissoriales concedendi minime habent superiores institutorum, in quibus vota simplicia tantum emittuntur; ideoque ius commune ipsi servare debent, nisi proprio instituto speciale indultum hac de re ab apostolica sede directe et nominatim concessum fuerit.

[a] N. 127.
[b] N. 176.

http://www.obrascatolicas.com/

CAPUT IV

Vestigia concilii Tridentini [1] sectantes, facultates et privilegia de promovendo a quocumque catholico antistite, cuicumque ordini, congregationi, societati, ac instituto etiam votorum simplicium, quamvis nominatim et directe ac post concilium Tridentinum concessa fuerint, minime suffragentur, et revocata, abrogataque prorsus esse censeantur. [a]

Haec volumus atque mandamus, quibuscumque privilegiis, consuetudinibus, aliisque non obstantibus in contrarium etiamsi ea speciali, expressa, et individua mentione digna sint, quibus omnibus penitus derogamus. Declaramus vero quoad monasticos ordines rituum orientalium per hanc constitutionem minime derogatum esse iurisdictioni, ac iuribus, quibus respective circa sacras regularium ordinationes patriarchae, vel episcopi legitime gaudent.

MANSI LIII, 818-820.

## LEO XIII (1878-1903)

### 224

### De christiana philosophia instauranda

(Ex Litt. encycl. *Aeterni Patris,* diei 4 augusti 1879)

Nos igitur, dum edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum; Vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream sancti Thomae sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis. Sapientiam sancti Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi. — Ceterum, doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare; eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. Eamdem Academiae a Vobis institutae aut instituendae illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant. — Ne autem supposita pro vera, neu corrupta

[1] N. 93.

[a] N. 59.



pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate.

*Acta Leonis XIII,* vol. I, 282-283; *ASS* XII (1879), 114; *Fontes* III, 578; *Enchir. Cler.* 429.

## SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

### 225

### De recipiendis Orientalibus

(Responsum diei 1 iunii 1885, ad C. G.)

Si alumni vel alii in Ordinem seu Congregationem Religiosam latini ritus ad statum clericalem sint recipiendi, recurrant ad S. Sedem.

Quoad recipiendos vero in huiusmodi Ordinem aut Congregationem ad statum laicalem supplicandum Ssmo pro indulto se ritui latino accommodandi, quamdiu in eodem laicali statu perseveraverint.

*Fontes* VII, 4909.

## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### 226

### De renunciatione bonorum

(Rescriptum diei 16 septembris 1885, ad Procuratorem Generalem Ordinis Minorum de Observantia)

Utrum permitti possit, ut iuvenis profitendus de suis bonis disponat per actum privatum coram Superiore regulari, de Ordinarii licentia, vel coram ipso Ordinario, postea suo tempore ratificandum in forma a lege praescripta etiam post professionem solemnem, et in casu minoris aetatis, aetate maiori assecuta?

Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super praemissis mandavit rescribi prout sequitur:

http://www.obrascatolicas.com/

Cum agatur de renuntiatione super illis bonis quibus ius certum haberi potest, parte nempe haereditatis paternae vel maternae, emissa suo tempore iuxta Concilium Tridentium,[a] renuntiatio ipsa renovetur, quando opus est, quin tamen illa immutari possit. Si vero agatur de renuntiatione eorum quae accidentaliter evenire possunt, in singulis casibus recurrendum ad hanc Sacram Congregationem.

*Fontes* IV, 2011.

## 227

### De confessione et de conscientiae manifestatione

(Decretum *Quemadmodum*, diei 17 decembris 1890)

Quemadmodum omnium rerum humanarum quantumvis honestae sanctaeque in se sint; ita et legum sapienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus finem haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut contrarium sortiantur effectum. Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum sive mulierum quae vota simplicia aut solemnia nuncupant, sive virorum professione ac regimine penitus laicorum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus conscientiae manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscerent; e contra a nonnullis ex his intima conscientiae scrutatio, quae unice sacramento Poenitentiae reservata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad tramitem sacrorum canonum praescriptum fuit, ut sacramentalis Confessio in huiusmodi Communitatibus fieret respectivis confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem extraordinarium confessarium denegaverint, etiam in casu quo, ut propriae conscientiae consulerent, eo valde indigebant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiae norma ut suos subditos rite recteque quoad peculiares poenitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et haec per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sacram Synaxim accedere vel pro lubitu permiserint, vel omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut huiusmodi dispositiones, quae ad spiritualem alumnorum pro-

[a] N. 99.



fectum et ad unitatis pacem et concordiam in Communitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapienter constitutae iam fuerant, haud raro in animarum discrimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externae pacis turbationem versae fuerint, seu subditorum recursus et querimoniae passim ad S. Sedem interiectae evidentissime comprobant. Quare Ssm̃us D. N. Leo divina providentia Papa XIII, pro ea qua praestat erga lectissimam hanc sui gregis portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a me Cardinali Praefecto S. C. Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositae die 14 decembris 1890 omnibus sedulo diligenterque perpensis, haec quae sequuntur voluit, constituit atque decrevit.

1. Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in posterum roboris declarat quascumque dispositiones Constitutionum, piarum Societatum, Institutorum mulierum sive votorum simplicium sive solemnium, nec non virorum omnimode laicorum, etsi dictae Constitutiones approbationem ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, etiam quam aiunt specialissimam, in eo scilicet, quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt. Ita propterea serio iniungi moderatoribus ac moderatricibus huiusmodi Institutorum, Congregationum ac Societatum ut ex propriis Constitutionibus, directoriis ac manualibus praefatae dispositiones omnino deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemorabiles.

2. Districte insuper prohibet memoratis Superioribus ac Superiorissis cuiuscumque gradus et praeeminentiae sint ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut indirecte, praecepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis ad huiusmodi manifestationem conscientiae sibi peragendam; subditisque e converso praecipit, ut Superioribus maioribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id inducere audeant; et si agatur de Moderatore vel Moderatrice Generali denunciatio huic S. Congregationi ab iis fieri debeat.

3. Hoc autem minime impedit quominus subditi libere ac ultro aperire suum animum Superioribus valeant ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro virtutum acquisitione ac perfectionis progressu.

4. Praeterea firmo remanente quoad confessarios ordinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sacrosancto Concilio Triden-

http://www.obrascatolicas.com/

tino praescribitur in Sess. 25, cap. 10, *de regul.* [a] et a S. M. Benedicto XIV statuitur in Constitutione quae incipit *Pastoralis curae,* [b] Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet ne extraordinarium denegent subditis confessarium quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae dioeceseos, in quibus mulierum Communitates exsistunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento Paenitentiae recurrere eae facile queant.

5. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi eadem Sanctitas Sua decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem Confessionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem externam culpam patraverit, donec ad Paenitentiae sacramentum denuo accesserit.

6. Monentur hinc omnes, ut ad sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob favorem et spiritualem alicuius profectum confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.

7. Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus et singulis Superioribus generalibus, provincialibus et localibus Institutorum de quibus supra sive virorum sive mulierum ut studiose accurateque huius decreti dispositiones observent sub poenis contra Superiores Apostolicae Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

8. Denique mandat, ut praesentis decreti exemplaria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitutionibus praedictorum piorum Institutorum, et saltem semel in anno, stato tempore in

[a] Mansi XXXIII, 176.
[b] Diei 5 augusti 1748, in *Fontes* II, 388.



unaquaque Domo, sive in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter convocato alta et intelligibili voce legantur.

Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus.

*ASS* XXIII, 505-508; *Collect. Propag. Fide* II, 1745; *Fontes* IV, 2017.

## SACRA CONGREGATIO SUPER STATU REGULARIUM

228

### De professis votorum simplicium

(Rescriptum diei 16 ianuarii 1891, ad Procuratorem Generalem Minorum Reformatorum)

Utrum professi votorum simplicium, qui ex allato Decreto, [1] quoad iura tam gratiarum et privilegiorum, quam vocis activae et passivae professis votorum solemnium aequiparantur, ut professi votorum solemnium in Praelatos seu in Superiores in eodem Ordine licite et valide eligi possint et valeant?

Sacra Congregatio Emorum ac Revmorum S. R. E. Cardinalium super Statu Regularium, omnibus mature perpensis, super praemissis censuit rescribendum:

*Negative.*

*ASS* XXIV (1891), 566-567; *Fontes* VI, 4390.

## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

229

### De sacra confessione et communione

(Resolutio *Malacitana,* diei 14 augusti 1891)

In decreto a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 17 decembris praeteriti anni 1890 edito, [2] haec verba leguntur: « Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent confessarium quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo

[1] N. 203.
[2] N. 227.

http://www.obrascatolicas.com/

petitionis rationem inquirant, aut aegre ferre demonstrent ». Quibus verbis haec subsequuntur: « At ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae dioeceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant ». Omnibus perpensis, necnon sanctae Apostolicae Sedis patefacto proposito nullum infligendi vulnus disciplinae de confessariis ordinario et extraordinario, Episcopo Malacitano sequentia eveniunt dubia, quae ipse sacrae Congregationi solvenda submittit:

1. Quis sub nomine Praesulis vel Superioris, cuius est subditis concedere vel denegare confessarium extraordinarium, intelligitur? An ipse qui ordinarium confessarium deputavit, vel potius qui domui praeest, sive vir sit, sive femina?

2. Cum ex Decreto, Superior, quicumque sit, nequeat confessarium extraordinarium denegare, immo nec aegre se ferre petitionem demonstrare, teneturne subditi precibus semper indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam, et, vel scrupulis vel alio mentis defectu ut veram ab ipso petente apprehensam?

3. Praesul, qui ex dictis confessarium extraordinarium subdito concedit, designare debet in unoquoque casu nominatim personam ipsius confessarii, vel idem Religiosus eligere poterit, inter diversos ab Ordinario deputatos, qui hoc sibi munus impleat?

In eodem allato Decreto hoc praeceptum invenitur: « Quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum confessarius expedire iudicaverit, ut frequentius quam diebus statutis in propriis regulis accedat Religiosus ad sacram Synaxim, id est ab ipso confessario permitti poterit ». Cum vero in pluribus Constitutionibus, ab Apostolica Sede approbatis, non tantum certae statuantur dies ut Religiosi ad sacram mensam accedant, verum explicite vetetur ne ultra praefatas dies ipsi Religiosi Communionem accipiant, veluti de monialibus Discalceatis Sanctae Mariae de Monte Carmelo constat, sequens oritur dubium:

Utrum Constitutiones quarumdam Familiarum Religiosarum, quibus vetatur ne moniales sive Religiosi sacram Eucharistiam recipiant ultra certas et statutas dies, abrogatae fuerint, in hoc capite, decreto 17 decembris 1890, ita ut eis non obstantibus liceat confessario frequentiorem accessum suis Religiosis poenitentibus concedere: vel adhuc post memoratum decretum in vigore maneant.



R. Ad 1. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad 2. Affirmative; sed subditi moneantur non posse extraordinarios confessarios petere, nisi ad id adigantur ut propriae conscientiae consulant.

Ad 3. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Quo vero ad postremum dubium, quod frequentiorem ad S. Synaxim accessum quam diebus statutis in propriis regulis respicit, abrogatas censendas esse constitutiones quibus vetatur, ne Moniales sive Religiosi sacram Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies.

*Collect. Prop. Fide* II, 1763; *Fontes* IV, 2018.

## 230

### De requisitis ad ordines sacros suscipiendos

(Decretum *Auctis admodum*, diei 4 novembris 1892)

Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum huiusmodi societatum egressus, et consequens, ex iure constituto, regressus in dioecesim originis. Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Haec, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli Sacri locorum Antistites, pro ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium Ssmus D. N. Leo Pp. XIII detulisset Sacrae huic Congregationi Episcoporum et Regularium Negotiis et Consultationibus praepositae, Emi Patres in conventu plenario habito in Vaticanis aedibus die 29 mensis augusti anni 1892, praevio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas. Quas cum SS. Dominus Noster in Audientia die 23 septembris huius anni 1892 infrascripto Secretario benigne impertita, probare et confirmare dignatus fuerit, ea quae sequuntur per praesens decretum Apostolica auctoritate statuuntur et decernuntur.

http://www.obrascatolicas.com/

I. Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V diei 14 octobris 1568, incipient. *Romanus Pontifex,* [a] et declaratione sa. me. Pii Pp. IX, edita die 12 mensis iunii anni 1858, [b] quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant Novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo Paupertatis ad sacros Ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro sacris Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo Mensae communis, vel Missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae.

II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad Maiores Ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus.

Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam sacros Ordines suscipiat triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut Clericus vota solemnia nuncupare possit quamvis non expleverit triennium, quoad Instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

III. Dispositiones contentae in decreto S. C. Concilii, iussu sa. me. Urbani VIII edito die 21 septembris 1624, incipien. *Sacra Congregatio,* [c] ac in decreto eiusdem S. C. iussu sa. me. Innocentii XII edito die 24 mensis iulii anni 1694, incipien. *Instantibus,* [d]

---

[a] N. 104.
[b] N. 203.
[c] N. 140.
[d] N. 161.



ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricto ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo; ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est, nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis. Ut autem quis incorrigibilis revera habeatur, Superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem; qua nihil proficiente, Superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestari, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debedit. Post haec Superior cum suo Consilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C. definitivum iudicium prolatum non fuerit. Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium, in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consultatur; ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in Sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis, sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo

http://www.obrascatolicas.com/

iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.[1]

VI. Professi tum votorum solemnium, tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato praefata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.[a]

*Acta Leonis XIII,* vol. XII, 275-279; *Collect. Prop. Fide* II, 1819; *Fontes* IV, 2020.

---

[1] Anno 1895 proposita sunt dubia, quae sequuntur: « 1. Utrum haec verba *Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de patrimonio ecclesiastico sibi providerint,* ita collective sint intelligenda, ut ad tollendam suspensionem ambo sint necessaria, nempe, et Episcopum benevolum receptorem invenire, et patrimonium ecclesiasticum constituere, vel sufficiat tantum Episcopum benevolum invenire. 2. Utrum haec quae in n. 5 leguntur: *secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum,* ita sint sumenda, ut religiosus, qui, obtenta Apostolica licentia, e claustro exierit, quin prius Episcopum benevolum receptorem invenerit, vel de patrimonio ecclesiastico sibi providerit, sit suspensus tantum donec Episcopum benevolum receptorem inveniat, et patrimonium ecclesiasticum sibi constituat, vel sit suspensus donec ab Ap. Sede suspensio tollatur, invento Episcopo benevolo receptore, et patrimonio ecclesiastico constituto ». S. Congregatio EE. et RR. (*20 novembris 1895*) respondit: « Ad 1. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam. Ad 2. *Affirmative* pariter ad primam partem; *negative* ad secundam ». (Vide: S. C. Ep. et Reg., Resolutio *Abulen.*, diei 20 novembris 1895, in *Fontes* IV, 2026; *ASS* XXVIII (1895), 559-560; *Collect. Prop. Fide* II, 1819). — Et anno 1896 ad dubium: « Utrum Religioso, rite eiecto a Congregatione N. iuxta normam decreti S. C. EE. et RR. *Auctis admodum,* una cum iuramento permansionis, vota simplicia etiam dispensentur »; eadem S. Congregatio respondit: « *Negative* ».

[a] N. 260.



## SACRA CONGREGATIO SUPER DISCIPLINA REGULARIUM

### 231

### De servitio militari

(Instructio *La S. Congregazione,* diei 27 novembris 1892)

La S. Congregazione sopra la Disciplina Regolare sempre intenta al bene delle Corporazioni Religiose, non può trascurare i giovani che ne sono le più belle speranze; quindi, autorizzata dal S. Padre, conferma le Costituzioni Apostoliche che sonosi svolte ne' tempi decorsi per norma del loro stato ordinario, ed impartisce ai Superiori Generali pei soggetti alla *Leva militare* le seguenti prescrizioni speciali:

1. Per quelli che appartengono alla prima categoria, e non possono essere certi di venire riformati, la *Professione solenne* e l'ammissione agli *Ordini Sacri* debbono essere ritardate fin dopo compiuto il rispettivo servizio attivo di un anno, o di altro tempo necessario.

2. È utile favorire il volontariato di un anno, anche sussidiando i giovani bisognosi, o in parte o in tutto, secondo i mezzi di cui può disporre ciascun Ordine, onde loro sia dato di supplire alla tassa ri-

---

*S. Congregatio regulari Disciplinae moderandae praeposita, communi religiosorum Ordinum bono curando continenter intenta, iuvenes, qui electissima eorumdem spes procul dubio sunt, negligere nullo modo potest. Idcirco, facta sibi a Romano Pontifice potestate, Apostolicas Constitutiones ordinariam eorumdem Ordinum vitae rationem spectantes, elapsis subinde temporibus editas, confirmat; et Generalibus quibusvis illorum Praesulibus, pro iis suae religiosae familiae iuvenibus, qui militari delectui obnoxii sunt, haec specialia praescripta exhibet:*

1. *Iis, qui ad primam, ut aiunt, Categoriam pertinent, nec certi esse possunt, se exauctoratum iri, solemnis Professio, et sacrorum Ordinum collatio, quousque primum militiae cursum uno, vel si opus fuerit pluribus annis confecerint, omnino differenda est.*

2. *Apprime iis, qui militiae in annum dare nomen velint, favere expedit; imo etiam indigentibus iuvenibus pecuniae subsidia erogare, ut hi sive ex parte, sive ex toto, pro maiori, vel minori cuiusvis Ordinis facultate, vectigalibus ab civili Regimine impositis, ceteris-*

http://www.obrascatolicas.com/

chiesta dal Governo, ed alle altre spese durante il servizio; ma s'intende che tale aiuto si darà solamente ai giovani di buone speranze, docili ed obbedienti.

3. È espediente che prima di intraprendere il volontariato o servizio maggiore, abbiano atteso ad un corso di esercizi spirituali almeno per dieci giorni, ed abbiano fatto una parte di studi teologici (premesso il corso regolare degli altri studi), onde siano più fondati nelle idee religiose e nella religiosa istituzione.

4. Acciocchè i giovani conservino più facilmente la loro vocazione, e vi corrispondano colla condotta, oltre alle salutari ammonizioni, la possibile frequenza dei Sacramenti, la lettura di buoni libri, s'imporrà loro di far capo agli Ecclesiastici designati dagli Ordinari dei luoghi per la loro cultura spirituale; e questi non mancheranno di prestare a favore dei coscritti nel miglior modo possibile, l'opera loro proficua, ed a seconda delle circostanze. A facilitare poi tale opera i Superiori Generali ordineranno a' Provinciali di dar conto dei loro sudditi, a' lodati Ordinari, indicando la dimora dei medesimi, e raccomandan-

---

*que, quoad stipendia fecerint, impensis solvendis pares esse possint: at vero huiusmodi subsidia tantummodo optimae spei adolescentibus, quique dociles fuerint atque obedientes, sunt tribuenda.*

3. *Item expedit, ut antequam militia sponte suscepta subeatur, vel maiora, ut aiunt, stipendia fiant, piis exercitationibus per decem saltem dies sub Magistro pietatis vacaverint, et theologicorum studiorum partem, ceterarum scientiarum curriculo, uti mos est, ante confecto, sollerter perfecerint; quo validius ac copiosius, ecclesiastica institutione confirmati, religiosis sensibus imbuantur.*

4. *Quo facilius iuvenes animi propositum, quod Deo afflante conceperunt, ubique servent, suaque illi vivendi ratione fidelius respondeant, praeter salutares praeceptiones, assiduum, quod fieri potest, Sacramentorum usum, bonorumque librorum lectionem, ad ecclesiasticos viros, qui ab cuiuslibet loci Episcopis eosdem iuvenes pie curandi causa designati fuerint, accedere iubeantur: hique operam suam apprime proficuam, tempori locisque opportunam, in conscriptos iuvenes, quoad poterunt, conferre non renuent.*

*Quo vero id facilius fiat, Generales Praesules cuiusvis Provinciae Praesidibus praecipiant, ut praedictis locorum Episcopis alumnorum suorum rationem reddant, eorum domicilium patefacientes; eosdem-*



done la vigilanza. Gli Ordinari dalla loro parte indicheranno ai Provinciali i sacerdoti a cui debbono rivolgersi i giovani coscritti.

In ogni cambiamento di stazione i giovani sono obbligati a dare analoghe notizie al P. Provinciale, e riferirgli, per quanto è possibile, l'andamento della loro vita. Se durante il servizio hanno qualche settimana di permesso debbono attendere, almeno per tre giorni, agli esercizi spirituali. Non occorre poi dire che nelle città dove vi sono case della Religione, i Provinciali possano deputare qualche loro religioso per la cura spirituale de' detti coscritti; ma rimane sempre fermo l'obbligo d'informare l'Ordinario del luogo dei giovani che vanno a compiere il servizio militare nella loro diocesi.

5. Quelli che finito il servizio militare di un anno, o di tempo maggiore, perseverano nella santa vocazione, e risulta della buona condotta tenuta, verranno riammessi nell'Ordine, dove per prima cosa faranno un corso di esercizi spirituali, e non saranno promossi alla *Professione solenne*, nè agli *Ordini Sacri*, se non dopo un tempo sufficiente, non minore di un anno, affinchè intanto diano saggio

---

*que Episcopos hortantes, ut sedulo super ipsos vigilent: Episcopi autem Provinciarum Praesidibus Sacerdotes, ad quos conscripti iuvenes confugere debeant, vicissim indicabunt.*

*Quoties stationis locum commutari contingat, iidem iuvenes hac de re Provinciae Praesidem certiorem facere, suaeque vitae rationem, quoad eius fieri poterit, pandere gravi officio adstringuntur.*

*Si dum militiae dant operam, per hebdomadam quo quisque velit abeundi copia fiat, triduo saltem piis exercitationibus sub pietatis Magistro vacaturi secedant.*

*Hic vero monere supervacuum est, in iis locis, ubi sunt proprii Ordinis Coenobia, a quibuslibet Provinciarum Praesidibus Sacerdotem ex suis alumnis designari posse, qui spiritualem horum iuvenum curam gerat; quin tamen obligatione eximantur, proprium loci Episcopum de iuvenibus, qui in ipsius Dioecesim stipendia facturi se conferunt, mature commonefaciendi.*

5. *Qui militiae cursu post unum aut plures annos confecto, in sancto ecclesiasticae vitae capessendae proposito perseveraverint, idque ex proba eorumdem vivendi ratione certo constiterit, in suum religiosum ordinem denuo excipiantur; ubi primum omnium piis exercitationibus vacandi causa secedant; nec ad solemnem Pro-*



http://www.obrascatolicas.com/

della stabilità della loro vocazione, riassumono gli studi sacri, e rimanendo per questo tempo o nel Professorio, o in qualche altro luogo di stretta osservanza, sotto la direzione di un religioso, grave per età e per costumi all'uopo deputato, diano prova della lor virtù.

Massima cautela dovrà usarsi per quelli, che invece del volontariato, abbiano fatto il servizio ordinario di tempo maggiore.

Saranno per tutti necessarie le lettere testimoniali degli Ordinari diocesani, nel cui territorio abbiano dimorato almeno *tre mesi*. E rimangono sempre ferme le prescrizioni dei Sacri Canoni, in ordine a quelli che presentano difetti inducenti irregolarità, per i quali deve implorarsi nei singoli casi la dispensa Pontificia.

6. Le misure di precauzione indicate al n. 4 si osserveranno anche riguardo a quelli che dopo la Professione e gli Ordini Sacri venissero richiamati al servizio militare per un tempo notabile.

7. Dandosi finalmente casi eccezionali e non previsti, i Superiori

---

*fessionem, nec vero ad sacros Ordines, nisi post sufficiens tempus, videlicet saltem post annum, promoveantur, ut interim in sancto proposito stabilitatis specimen praebeant, sacraque studia iterum excolenda suscipiant: atque sub idem tempus in ea Coenobii parte, quae a Professis nomen habet, aut in alio quopiam perfectae observantiae Asceterio, sub religionis Magistro aetate gravi ac moribus spectabili, cui id operis commissum sit, virtutis suae argumenta probationemque exhibeant. Maxima autem cura circa iuvenes illos adhibenda est, qui non quidem sponte militiae per annum ferme nomen dederint; sed coacti, maiori tempore per legem stato, stipendia fecerint.*

*Omnibus vero, quas testimoniales vocant, Literae per Episcopos datae, in quorum Dioecesibus tres saltem menses commorati fuerint, necessariae erunt: salvis atque integris consistentibus sacrorum Canonum praescriptionibus quoad illos, qui corporis pravitates, unde irregularitas, ut aiunt, exoritur, insignes praeseferunt; pro quibus Pontificia dispensatio singulis in casibus imploranda est.*

*6. Quae supra in § 4 praescripta sunt, etiam quoad illos, qui post Professionem, aut sacros susceptos Ordines ad militiam notabili tempore exercendam iterum acciti fuerint, statuta atque sancita habeantur.*

*7. Si qui demum singulares casus, hic non praevisi, contigerint,*



Generali degli Ordini dovranno ricorrere a questa Sacra Congregazione per le analoghe istruzioni e deroghe. [a]

---

*Generales Ordinum quorumlibet Praesules ad hanc Sacram Congregationem confugere debent, ut et quid agendum sit edoceantur, et si quid de communi lege sit derogandum, opportune derogetur.* [a]

*Acta Leonis XIII*, vol. XII, 291-294; *ASS* XXV (1892), 635-639; *Fontes* IV, 2021.

## LEO XIII

### 232

### De studio Sacrae Scripturae

(Ex Litt. encycl. *Providentissimus Deus*, diei 18 novembris 1893)

Providendum igitur, ut ad studia biblica convenienter instructi munitique aggrediantur iuvenes; ne iustam frustrentur spem, neu, quod deterius est, erroris discrimen incaute subeant, Rationalistarum capti fallaciis apparataeque specie eruditionis. Erunt autem optime comparati, si, qua Nosmetipsi monstravimus et praescripsimus via, philosophiae et theologiae institutionem, eodem S. Thoma duce, religiose coluerint penitusque perceperint. Ita recte incedent, quum in re biblica, tum in ea theologiae parte quam *positivam* nominant, in utraque laetissime progressuri.

*Acta Leonis XIII*, vol. XIII, 350; *ASS* XXVI (1893), 283-284; *Fontes* III, 621; *Enchir. Cler.* 516.

## SACRA RITUUM CONGREGATIO

### 233

### De professionis eiusque renovationis ritu

(Decr. gen. *Non semel*, diei 27 augusti 1894)

Non semel a Sacra Rituum Congregatione exquisitum fuit: Utrum, et quomodo solemnis professio, aut votorum renovatio, quae in plerisque Religiosis tam virorum quam mulierum Congregationibus locum habet, intra Missam peragi valeat. Porro in peculiaribus casibus non una eademque fuit responsionis ratio, quin umquam Generale Decretum hac de re editum fuerit. Quapropter,

---

[a] N. 236.

http://www.obrascatolicas.com/

ad omnem ambiguitatem de medio tollendam, et uniformitatem inducendam, eadem Sacra Rituum Congregatio, referente Emo et Revmo Domino Cardinali eidem Praefecto, cunctis mature perpensis, atque iis praesertim, quae in Bulla s. m. Gregorii Papae XIII, *Quanto fructuosius,* data Calendis februarii 1583 [1] pro approbatione Constitutionum Societatis Iesu, hac de re continentur, in Ordinariis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequentem methodum servari posse constituit: Celebrans profitentium vota excepturus, sumpto Ssmo Eucharistiae Sacramento, absoluta Confessione ac verbis quae ante fidelium Communionem dici solent, Sacram Hostiam manu tenens, ad profitentes sese convertet: hi vero singuli, alta voce, professionem suam legent, ac postquam quisque legerit, statim Ssmum Eucharistiae Sacramentum sumet. In renovatione autem votorum, Celebrans ad Altare conversus exspectet donec renovantes votorum formulam protulerint; qui, nisi pauci sint, omnes simul, uno praeeunte formulam renovationis recitabunt, ac postea ex ordine Ssmum Corpus Domini accipient. Haec tamen methodus, cum recepta fuerit, in respectivis Congregationum Constitutionibus minime apponenda est. Non obstantibus quibuscumque particularibus Decretis in contrarium facientibus, quae prorsus revocata atque abrogata censeantur. [a]

*Fontes* VIII, 6241.

## LEO XIII

### 234

### De iuventutis collegiis in Oriente deque Orientalium receptione

(Ex Litt. ap. *Orientalium dignitas,* diei 30 novembris 1894)

V. Nova, ritu latino, iuventutis collegia vel domus Religiosorum utriusvis sexus ne in posterum aperiantur, nisi Apostolica Sede rogata et consentiente.

X. Nulli, utriusvis sexus, Ordini vel Instituto religioso latini ritus, quemquam orientalem inter sodales suos fas erit recipere, qui proprii Ordinarii testimoniales litteras non ante exhibuerit. [b]

*Acta Leonis XIII,* vol. XIV, 365-366; *ASS* XXVII (1894), 261-262.

---

[1] *Fontes* I, 150; BR VIII, 406-409.

[a] Norma haec praeceptiva est, si agatur de professione eiusve renovatione intra Missam; vide responsum eiusdem S. R. C. diei 5 iunii 1896, in *Fontes* VIII, 6259.

[b] N. 277.



## SACRA CONGREGATIO EPISCOPORUM ET REGULARIUM

### 235

### De clericis vel saecularibus vel regularibus civilis gubernii Universitates celebrantibus

(Instructio *Perspectum est,* diei 21 iulii 1896, ad Italiae Episcopos et Familiarum religiosarum Moderatores)

Perspectum est Romanos Pontifices, quavis aetate et ubique locorum, cogitationes curasque suas contulisse in rectam institutionem eorum qui in sortem Domini vocati sunt. Scholas enimvero, Seminaria, Universitates ipsas studiorum vel erexerunt vel favore prosequuti sunt, in quibus utriusque cleri alumni tum humanioribus litteris, cum scientiis omnibus sacris et profanis imbui, et academicis etiam quibuscumque gradibus honestari possunt. Ita tamen ut ad veram germanamque scientiam cum fide et pietate coniunctam informarentur; quandoquidem doctrinae ac disciplinae, fidei ac morum moderatio et vigilantia a Sede Apostolica et ab Episcopis exercebantur.

Contingit autem hisce diebus, ob mutatas rerum vices in Italia, nonnullos e clero sive saeculari sive regulari adstrictos censeri ad certos studiorum cursus perficiendos apud civilis Gubernii Universitates; a quibus sapiens ac salutifera Ecclesiae vis sacrorumque Pastorum vigilantia omnino excluduntur. Cum res ita se habeant, quae quantaque discrimina et damna ecclesiasticae iuventuti obvenire possint nemo est qui non videat. Caute itaque providendum est ut assertae necessitatis limites non excedantur et instantia pericula diligenter vitentur. Quamobrem Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium Negotiis praeposita praesentem instructionem, ad mentem Sanctissimi Domini Nostri Leonis Pp. XIII, Episcopis ac Superioribus Ordinum et Congregationum in Italia impertire constituit.

I. Quatenus in Universitates admittantur etiam alumni, qui sibi idoneitatem comparaverint extra lycea Gubernii, Episcopi ac Superiores Ordinum et Congregationum religiosarum subditos suos praeparandos non mittant ad dicta lycea, sed potius ad instituta ecclesiastica, ad scholas, ad collegia, quorum omnino explorata sit optima ac vere catholica instruendi ratio. Si vero ob talium institutorum, scholarum, collegiorum defectum, vel ob alias graves causas, aliquos

http://www.obrascatolicas.com/

mittere ad lycea Gubernii omnino necesse sit, accurate serventur hoc in casu quae infra de accessu ad Universitates constituuntur.

II. Nemo e saeculari clero Universitates Gubernii frequentet absque expressa licentia Episcopi sui; qui in ea concedenda prae oculis tantum habeat quid Dioecesis necessitas exigat, ut in institutis ad instructionem erectis, sive erigendis, idonei et diplomate muniti professores comparentur.

III. Ordines et Congregationes quae munus docendi non profitentur, non mittant alumnos suos ad Universitates Gubernii. Ordinum autem et Congregationum ex instituto docentium novitii numquam ad dictas Universitates mittantur: professi vero eas non frequentent nisi praehabita expressa licentia Superioris generalis, qui eam concedet iis tantum qui requiruntur et sufficiunt pro suis collegiis et scholis.

IV. Utriusque cleri alumni ea tantum emetiantur in dictis Universitatibus studiorum curricula, quae referuntur ad lauream vel ad gradus academicos, quibus indigent, obtinendos.

V. Maximi ponderis est mittendorum ad Universitates accuratus delectus. Venia non detur alumnis antequam laudabiliter absolverint integrum cursum tum philosophiae tum theologiae, a statutis dioecesanis pro clero saeculari, a Constitutionibus Ordinis seu Congregationis pro religiosis, praescriptum.

VI. Attendendae equidem sunt in mittendis intellectus vis et perspicacia, assiduitas in studiis, ingenii indoles, quam bene educatam esse decet, fortem etiam et boni propositi tenacem. Sed summopere inspiciendum est quaenam sit in deligendis animi honestas ac morum integritas. Sint oportet iuvenes qui donum Fidei et vocationem qua in sortem Domini vocati sunt maximi faciant; catholicam Ecclesiam ardenter diligant; venerationem et obedientiam erga Sanctam Sedem Apostolicam mente, verbo et opere profiteantur; iuvenes qui sanctissimae Religionis nostrae documentis imbuti et piis exercitationibus addicti, morum integritate et vitae vere ecclesiasticae laude praefulgeant. Tales denique deligantur qui fundatam ingerant spem fore ut sua quisque agendi ratione ecclesiastico coetui honorem addant per supereminentiam in scientiis, ac venerationem vindicent per suarum laudem virtutum.

VII. Ad pericula tutius praecavenda curent Episcopi ut sui ecclesiastici alumni, quamdiu Universitatem celebrant, morentur in Seminario: hoc non exstante, in aliqua domo religiosa, vel saltem apud aliquem probatum sacerdotem saecularem; nisi forte habeant



ibi parentes in quorum domo habitare possint. Laude etiam ac favore digni viderentur sollertes sacerdotes, vel saeculares viri spectatae pietatis qui instituerent, ubi fieri potest, aliquam hospitalem domum pro studentibus ecclesiasticis; in qua isti invenirent, modico impendio habitationem tutam, studiorum quieti et piae vitae exercitationibus accommodatam.

VIII. Si Universitas sita est extra Dioecesim, Ordinarii alumnorum hos commendent Episcopo loci; cui alumni se sistere cum advenerint, et identidem obsequium praestare teneantur dum ibi permanserint. Ordinarius et Episcopus loci mutuo conveniant ut alumni committantur curae et vigilantiae alicuius sacerdotis virtute, scientia ac iuventutis experientia praestantis, qui eos dirigat et de eorum agendi ratione identidem Ordinarium instructum reddat. Exigat praeterea Episcopus a suis alumnis frequentes epistolas; et ipse hoc epistolari commercio libenter utatur ut consiliis et monitis eos instruat, excitet ac in sancto proposito confirmet.

IX. Superiores Ordinum et Congregationum praeferant semper Universitates locorum in quibus habent sui Ordinis vel Congregationis domum; et in hac studentes habitare praecipiant. Si domum propriam non habent in ulla Universitatis sede, curent omnino ut alumni recipiantur in aliam domum religiosam, vel in Seminarium episcopale, vel in aliud institutum ecclesiasticum. Deficiente conventu aut domo propria, numquam mittant ad Universitatem frequentandam unum tantum e suis subditis, sed duos simul aut plures, ut se invicem custodiant, adiuvent et ad officiorum suae vocationis implementum excitent. Iubeant Superiorem domus viciorus, vel alium religiosum virum virtute, scientia ac sollertia praeditum, alumnos ipsos identidem visitare; qui eorum vitae genus, studiorum assiduitatem exploret, ac referat: ut opportunis consiliis Superior generalis, prout opus fuerit, providere possit. Curet praeterea Superior generalis ut alumni sibi litteras dent; et frequenter ipsis rescribat, ut eorum unionem cum Ordinis seu Congregationis capite foveat, eosque paternis instructionibus ac monitis in obedientiae atque observantiae spiritu conservet.

X. Zelo ac prudentiae Episcoporum et Superiorum committitur cura eam Universitatem inter plures eligendi, in qua minora praevideantur pericula, faciliorque ex adiunctis appareat usus consiliorum, quibus quieti, moribus et progressibus alumnorum prospectum sit. Si forte contingat aliquem professorem habere aliquando lectiones ex professo contra religionem vel contra mores, curent Episcopus

et Superior generalis ut alumni vel transeant ad aliam Universitatem, vel huiuscemodi lectionibus non adsint; freti nimirum dispositioni legis quae inscriptionem quidem ad cursum Universitatis requirit, sed ad omnes et singulas lectiones assistentiam non exigit. Ceterum, hoc semoto casu, alumni ecclesiastici lectionibus diligenter adsint, ut proprio in scientiis progressui consulant, condiscipulis exemplum assiduitatis, professoribus vero obsequii testimonium exhibeant.

XI. Quod ad libros attinet et ad lectionum compendia, in quibus nonnulla fortasse occurrant contra religionem, aut mores, aut veritatem ecclesiasticae historiae, aut iura catholicae Ecclesiae vel Romani Pontificis, quatenus talium librorum vel compendiorum usus vitari nequeat, Episcopi et Superiores prout oportet provideant in casu; ac praeterea curent veneno antidotum praebere per optimos libros suis alumnis comparandos, perque auxilium sacerdotum doctrina, pietate ac experientia praestantium, qui alumnis opem ferant ad dignoscendas sophismatum insidias, et ad refutandos errores quibus forte libri scholares vel lectionum summaria inficerentur.

Enixe autem alumnos suos deterreant a lectione ephemeridum vel periodicorum libellorum qui falsis vel periculosis doctrinis, narrationibus, atque illiciis decipiunt, ac recte sentiendi agendique rationem sensim sine sensu turbant atque pervertunt.

XII. Episcopi et Superiores religiosi hortentur subditos suos ut moderatoribus et professoribus Universitatis observantes se ostendant cum dignitate: condiscipulos vero urbane quidem, omnes, at neminem valde familiariter tractent. Prohibeant omnino ne nomen dent circulis aut aliis quomodocumque vocatis consortiis politicae vel contentiosae indolis; nec umquam adsint convocatis fortasse studentium coetibus, quorum finis aut propositum sit adversus moderatores vel professores conqueri sive quomodocumque protestari.

XIII. Episcopi sedem habentes in civitatibus Universitatum curent circulos sive societates studentium ecclesiasticorum peramanter fovere ubi existunt, sollicite fundare ubi desiderantur. Adhibeant ad hoc operam sacerdotum sive saecularium sive regularium, quos magis idoneos iudicaverint; quorum unus saltem Assistentis ecclesiastici munere fungatur. Huius Assistentis erit studentium conventus indicere, eisque praesidere. In his conventibus, studentes ecclesiastici, semotis politicis contentionibus et partium studiis, de humanioribus litteris, de historicis disciplinis, de philosophicis vel theologicis thesibus, disserant, decertent vel legant. Nec omittant pias quasdam preces simul omnes fundere, aliosque opportunos religionis ac pietatis actus, statis diebus implendos, constituere: ita ut in his consociationibus laudabilis aemulatio, fraterna caritas, et christiana pietas regnent. In hos ecclesiasticorum circulos admitti etiam poterunt, caute tamen et approbante Assistente ecclesiastico, studentes saeculares; at ii tantum qui sentiendi aeque ac agendi ratione bene audiant; religione, pietate et optimis moribus commendentur.



XIV. Episcopi et Superiores religiosi suos quisque studentes enixe hortentur ut in sanctae vocationis spiritu firmiter perseverent. Ad quem finem mediis omnibus efficacioribus alacriter utantur: oratione scilicet, Sacramentorum frequentia, piorum actuum exercitio, vanitatum despectu, malorum et etiam desidiosorum hominum fuga. Religiosis praesertim studentibus commendanda est fidelitas in actibus observantiae qui eorum statui consentanei sunt, videlicet: singulis diebus mentalis oratio, examen conscientiae, lectio spiritualis, silentium et recessus.

Annualium vacationum tempore studentes religiosi redeant omnino ad suum conventum vel ad domum religiosam sui instituti; ibique regularis observantiae actus cum communitate resumant. Omnes studentes, e clero sive saeculari sive regulari, dictarum vacationum tempore vacent sanctis spiritualibus exercitiis.

XV. Si vero, non obstantibus cautelis et diligentiis hucusque indicatis, aliisque quas pastoralis ac paterna sollicitudo suggesserit, Episcopi et Superiores religiosi noverint aliquem ex suis subditis a recto tramite veritatis aut virtutis declinare, aberrantem absque mora ab Universitate revocent; praestat enim eius cursum studiorum abrumpere, potiusquam ita permittere ut animae ille suae detrimentum patiatur. [a]

*Acta Leonis XIII*, vol. XVI, 220-228; *ASS* XXIX (1896), 359-364; *Collect. Propag. Fide* II, 1948; *Fontes* IV, 2031.

## 236

### De professis ad militiam vocatis

(Responsum diei 2 septembris 1896, ad Procuratorem Gen. Ordinis Cisterc. Reformat. de Trappa)

Fr. U. Benedictus, Procurator Generalis Ordinis Cisterciensium Reformatorum de Trappa, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus,

[a] Nn. 256, 290, 379. — Vide etiam n. 268 sub II, ubi praesentem Instructionem ad nationes omnes pertinere decretum est.

http://www.obrascatolicas.com/

quae sequuntur humiliter exponit: supplex libellus ad S. Congregationem EE. et RR. iam abhinc viginti quique annis ab Ordine nostro delatus, ferebatur his verbis:

« Post completum novitiatum, novitii debent professionem facere intra sex menses; porro ob vicissitudines temporum iuvenes ad militiam omni momento vocari possunt... Idcirco Orator supplex enixe deprecatur Sanctitatem Vestram ut concedatur superioribus facultas novitiatum continuandi donec cesset periculum ».

Ita quidem rescribendum censuit eadem S. Congregatio: « Ex audientia Ssmi habita ab infrascripto subsecretario Sacrae Congregationis EE. et RR. sub die 21 aprilis 1871, Sanctitas Sua gratiam, ut petitur, haud concedendam esse existimavit; sed potius indulsit, ut donec praefatum periculum perduraverit, novitii, qui tempus novitiatus rite expleverunt, admittantur ad professionem votorum simplicium ad sex menses valituram ac de semestri in semestre renovandam ».

Cum autem de vero sensu et intelligentia huius Rescripti saepe inter nos fuerit dubitatum, cumque etiam nunc in Gallia alumni nostri sicut et ceteri cives legi militari obtemperare cogantur, praefatus Orator sequentia dubia Sanctitati Vestrae solvenda reverenter proponit:

I. An professus, de quo in Rescripto, teneatur suam Professionem renovare ad sex menses, si certo sciat se ad militiam vocatum iri, antequam hoc spatium sex mensium absolvatur? Et quatenus affirmative:

II. An talis professio sit caduca ipso facto quod professus, ad militiam vocatus, e monasterio discedit? Et quatenus negative:

III. An talis professio sit caduca ita ut professus, qui iam ad militiam vocatus ac profectus fuerit, ab omni vinculo votorum sit, his sex mensibus expletis sub armis, ipso facto solutus et liber? Et quatenus negative:

IV. Utrum enunciatus professus teneatur, peracto militiae eius tempore, in Religionem regredi et professionis simplicis triennium, si opus sit, complere, antequam ad solemnem professionem admittatur?

Vigore specialium facultatum a Ssmo D. N. concessarum, Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium EE. et RR. negotiis praeposita, super praemissis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad I. Affirmative, ita tamen ut enunciata vota eo ipso cessasse



intelligantur, quo professus e monasterio egredi adigatur, militaris servitii causa.

Ad II et III. Provisum in primo.

Ad IV. Regredi non teneri et quatenus regredi velit, constito Superiori de perseverantia vocationis, teneri emittere novam professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum remanere, priusquam ad nuncupanda solemnia vota admittatur, ad formam Litterarum Apost. Pii IX diei 7 februarii 1862 quae incipiunt: *Ad universalis Ecclesiae regimen.* [a]

*ASS* XXIX (1896), 436-437; *AAS* II (1910), 61-62.

## LEO XIII

### 237

### De doctrina divi Thomae sequenda

(Litt. ap. *Nostra erga*, diei 25 novembris 1898, ad Min. Gen. O. FF. Minorum)

Nostra erga Fratres Minores pridem sane suscepta ac multis iam testata rebus voluntas, quo modo fecit Nos ad ea cogitanda ac sancienda alacriores, quae vobis plurimum intelligebamus profutura, ita nunc permovet ut cursum rerum vestrarum rationemque universae disciplinae studioso sequamur animo. Nihil enim tam avemus, quam ut Franciscanus Ordo, tot praesertim meritis tantoque nomine, florere sine ulla temporis intermissione pergat, imo communium custodia legum, virtutumque et studiorum optimorum laude, Deo auxiliante, crescat: atque ita quidem, ut non sibi consulat uni, sed opes doctrinae, virtutis, sollertiae suae in communem hominum afferat fructum atque utilitatem. Quamobrem nonnulla visum est his litteris attingere utilia factu. Ad haec te, qui magistratum Ordinis maximum geris, volumus pro tua prudentia diligenter attendere.

De studio maiorum disciplinarum satis commonstrant Litterae Nostrae Encyclicae *Aeterni Patris*, [b] qua sit ingrediendum via. Discedere inconsulte ac temere a sapientia Doctoris angelici, res aliena est a voluntate Nostra eademque plena periculi. Perpetua quidem sunt humanae cogitationis itinera, augeturque accessionibus fere quotidianis scientia rerum ac doctrina: quis autem nolit his rebus

[a] Nn. 211, 231, 262.
[b] N. 224.

http://www.obrascatolicas.com/

sapienter uti, quas recentiorum pariat eruditio et labor? Quin imo adsciscantur hinc libenter quae recta sunt, quae utilia, quae veritati divinitus traditae non repugnantia: sed qui vere philosophari volunt, velle autem potissimum debent religiosi viri, primordia ac fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant. Eo neglecto, in tanta ingeniorum licentia, pronum esse in opinionum portenta delabi atque ipsa *rationalismi* peste sensim afflari, nimium iam res et facta testantur. Quid si eiusmodi aliquid in eos obrepat, quibus officium sit instituere cupidam religiosae professionis iuventutem? Sanctum itaque sit apud omnes beati Francisci alumnos Thomae nomen: vereanturque non sequi ducem, quem bene scripsisse de se Iesus Christus testabatur.

Dein nihil esse vides, quod fidei christianae tam vehementer intersit, quam explanari probe ac fideliter, ut oportet, conscripta divino Spiritu afflante volumina. Habenda ratio et diligentia est in re tanti momenti, ne quid, non modo superbia, sed ne levitate quidem animi imprudentiave peccetur: in primisque ne plus aequo tribuatur sententiis quibusdam novis, quas metuere satius est, non quia novae sunt, sed quia plerumque fallunt specie quadam et simulatione veri. Adamari hac illac coeptum est, vel a quibus minime debuerat, genus interpretandi audax atque immodice liberum: interdum favetur etiam interpretibus catholico nomine alienis, quorum intemperantia ingenii non tam declarantur sacrae litterae, quam corrumpuntur. Cuiusmodi incommoda in malum aliquod opinione maius evasura sunt, nisi celeriter occurratur. Omnino postulant *eloquia Dei* a cultoribus suis iudicium sanum ac prudens: quod nullo modo poterit esse tale, nisi adiunctam habeat verecundiam modestiamque animi debitam. Id intelligant ac serio considerent, quicumque pertractant divinos libros: iidemque meminerint, utique habere se quod in his studiis tuto sequantur, si modo audiant Ecclesiam, ut debent. Nec silebimus, Nos ipsos per Litteras *Providentissimus Deus,*[a] quid hac de re sentiat, quid velit Ecclesia, dedita opera docuisse. Praecepta vero et documenta Pontificis maximi negligere, catholico homini licet nemini.

Cum notitia rectaque intelligentia Scripturarum magnopere coniunctum illud est, versari sancte et utiliter *in ministerio verbi.* Tu vero in hoc genere, quantum vigilando conandoque potes, ne patiare quicquam vitii Sodalibus tuis adhaerescere: sed enitere et perfice,

[a] N. 232.



ut quae sacrum Consilium negotiis Episcoporum atque Ordinum religiosorum praepositum, non multos ante annos, datis in id litteris, monuit et praecepit, omnia inviolate serventur. Finis est eloquentiae sacrae, eorum salus qui audiunt: quare tradere praecepta morum, vitia coarguere, mysteria cognitu necessaria ad vulgi captum explanare, hoc munus, haec suprema lex est. Nihil in praeconibus Evangelii tam absonum, quam in aliena, dicendo, excurrere, materiamve ad explicandum sumere aut levioris momenti, aut otiosam, aut altius petitam: qua ratione obstrepitur quidem paulisper auribus, sed nihilo minus ieiuna, quam venerat, multitudo dimittitur. Erudire, permovere, convertere ad meliora animos velle debent, qui ad concionandum pro potestate sacra accedant: quod tamen assequi, nisi diligenti praeparatione adhibita, nullo pacto queunt. De Minoribus igitur tuis, quicumque id muneris malunt attingere, tu dabis operam ut instruant atque ornent singuli sese, priusquam aggrediantur, adiumentis praesidiisque necessariis, studio rerum atque hominum, cognitione theologiae, arte dicendi, et quod caput est, suorum observantia officiorum et innocentia vitae: is enim recte et cum fructu vocat alios ad officia virtutum, qui cum virtute vivat ipse, quique facile possit mores suos exponere, tamquam speculum, multitudini.

Virtutem autem vestram beneficam valde velimus, quod alio loco idem diximus, coenobiorum praetervehi terminos, ac bono publico manare latius. De beato Francisco patre deque alumnis eius praestantissimis memoriae est proditum, se totos populo dedere, et in salute publica operam ponere acri diligentia solitos. Circumspice nunc animo res atque homines: plane reperies, tempus vobis esse idem illud repetere institutum, et exempla moremque antiquorum animose imitari. Nam si alias unquam, certe quidem hoc tempore magna ex parte nititur in populo salus civitatum: ideoque nosse e proximo multitudinem, ac tam saepe non inopia tantummodo et laboribus, sed insidiis et periculis undique circumventam, amanter iuvare docendo, monendo, solando, officium est utriusque ordinis clericorum. Nosque ipsi si litteras encyclicas de Secta Massonum, de conditione opificum, de praecipuis civium christianorum officiis, aliasque generis eiusdem ad Episcopos dedimus, populi potissimum gratia dedimus, ut scilicet ex iis sua metiri iura et officia, sibique cavere et saluti suae recte consultum velle disceret. Bene autem de communibus rebus merendi non exiguam praebet facultatem Franciscanus Ordo Tertius: qui si excitare christianos olim

http://www.obrascatolicas.com/

spiritus, atque alere passim virtutis amorem et pietatis artes commode potuit: si saepe etiam ad mansuetudinem, concordiam, tranquillitatem per turbulenta tempora valuit, quid ni similium bonorum renovare queat ubertatem veterem? Certe studia hominum multo maiora movebit, si praecones atque adiutores industrios maiore numero habuerit: qui propagare sodalitium nitantur, qui naturam eius, mitesque leges ac sperata benefacta in conspicuo ponant: idque praedicatione, scriptis editis, conciliis identidem habendis, ratione denique omni, quaecumque e re esse videatur. In hoc certe nec unquam fuit iners opera vestra, nec est: verumtamen memineritis, requiri a vobis curam constantem studiumque progrediens: nam quorum e sinu effloruit salutare institutum, eos decet maxime omnium pro eius conservatione et propagatione contendere.

Horum adipiscendorum bonorum, quae tibi diligentissime commendamus, copia vobis nunc maior est, quia coalito in unum velut corpus Ordini firmitas et robur accessit. Accedat munere beneficioque divino stabilitas concordiae, caritas mutua, servandaeque disciplinae communis summum in unoquoque studium. Dicto audientes praepositis suis, iuniores nitantur quotidie in virtute proficere: alteque defixum in mente gerant, nihil tam esse perniciosum religioso viro, quam vagari animo solute et oscitanter, vel cogitatione rapi e septis coenobii longius. Aetate provecti exemplum perseverantiae impertiant ceteris: nominatim ad ea, quae non ita pridem de Ordine Minoritico constituta sunt, flectant se libenter, non gravate: ea enim sunt a potestate legitima et suo ipsorum bono constituta: omnes autem in id toto pectore incumbite, *ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.*

Auspicem divinorum munerum benevolentiaeque Nostrae testem tibi universisque Minoribus Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

*ASS* XXXI (1898), 264-267.

238

**Religiosae vitae genus contra « americanismi » errores defenditur**

(Ex Epist. ap. *Testem benevolentiae*, diei 22 ianuarii 1899, ad Iacobum Card. Gibbons)

§ 10. Ex quo virtutum evangelicarum veluti contemptu, quae perperam *passivae* appellantur, pronum erat sequi, ut religiosae etiam vitae despectus sensim per animos pervaderet. Atque id novarum opinionum fautoribus commune esse, coniicimus ex eorum sententiis quibusdam circa vota quae Ordines religiosi nuncupant. Aiunt enim, illa ab ingenio aetatis nostrae dissidere plurimum, utpote quae humanae libertatis fines coërceant; esseque ad infirmos animos magis quam ad fortes apta; nec admodum valere ad christianam perfectionem humanaeque consociationis bonum, quin potius utrique rei obstare atque officere. Verum haec quam falso dicantur, ex usu doctrinaque Ecclesiae facile patet, cui religiosorum vivendi genus maxime semper probatum est. Nec sane immerito: nam qui, a Deo vocati, illud sponte sua amplectantur, non contenti communibus praeceptorum officiis, in evangelica euntes consilia, Christo se milites strenuos paratosque ostendunt. Hoc ne debilium esse animorum putabimus? aut ad perfectiorem vitae modum inutile aut noxium? Qui ita se votorum religione obstringunt, adeo sunt a libertatis iactura remoti, ut multo pleniore ac nobiliore fruantur, ea nempe *qua Christus nos liberavit.* [1]

*Acta Leonis XIII*, vol. XIX, 15-16.



## SANCTA ROMANA ET UNIVERSALIS INQUISITIO

239

**De sacramentalibus subditorum confessionibus Romae prohibitis**

(Decretum *Huic Supremae*, diei 5 iulii 1899)

Huic Supremae S. R. et U. Inquisitioni relatum est, quod in hac Alma Urbe nonnulli Religiosarum Communitatum, necnon Seminariorum et Collegiorum Superiores, suorum alumnorum in eadem domo degentium Sacramentales excipiunt Confessiones. Ex quo quanta incommoda, immo quot gravia mala oboriri possint, nemo qui in sacris ministeriis vel mediocriter sit versatus pro comperto non habet. Ex una enim parte minuitur alumnorum peccata confitendi libertas, ipsaque Confessionis integritas periclitatur; ex alia vero Superiores minus liberi esse possent in regimine Communitatis, ac suspicioni exponuntur aut se notitiis in Confessione habitis uti, aut benevolentiores se praebere erga alumnos, quorum Confessiones excipiunt.

[1] *Gal.* IV, 31.

http://www.obrascatolicas.com/

Quapropter, ut hisce aliisque malis, quae ex huiusmodi abusu facile oriri queunt, occurratur, Suprema haec S. Officii Congregatio, de expresso Sanctissimi D. N. Leonis Pp. XIII mandato, districte prohibet, ne ullus cuiusquam religiosae Communitatis, aut Seminarii aut Collegii Superior, sive maior sive minor, in hac Alma Urbe (excepto aliquo raro necessitatis casu, de quo eius conscientia oneratur), suorum alumnorum in eadem domo manentium Sacramentales Confessiones audire ullo modo audeat.[a]

*ASS* XXXII (1899), 64; *Bull. Scholarum Piarum,* 409-410; *Fontes* IV, 1225.

## 240

### De subditorum confessionibus a superioribus Romae non excipiendis

(Responsum diei 25 augusti 1899)

N. N. prostrato ai piedi della S. V. umilmente espone che per Decreto di Clemente VIII del 19 marzo 1593[1] i Novizi degli Ordini Regolari non solo *possono* ma *devono* confessarsi col proprio Maestro, che è il Superiore del Noviziato. Inoltre con altro Decreto del 26 maggio 1593[2] il medesimo Pontefice stabilì che nelle Comunità Religiose i Superiori non devono confessare i propri sudditi, se non quando trattisi di peccati riservati, ovvero quando ne siano da essi liberamente richiesti.

Il sottoscritto perciò supplica che sia dichiarato se il Decreto del S. Officio del 5 luglio 1899,[b] con cui si vieta ai Superiori di udire le Confessioni dei propri sudditi, abbia derogato o pur no ai cit. Decreti di Clemente VIII.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis ab Eñis ac Rñis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Per Decretum S. Officii fer. IV d. 5 iulii 1899 nihil derogatum fuisse Constitutionibus Apostolicis quoad Ordines Religiosos.[3]

---

[1] N. 132 sub 10.
[2] N. 121.
[3] Age vero hoc Responsum non valere pro Congregationibus religiosis votorum simplicium, in quibus sodales emittunt vota perpetua et vivunt in vita communi; cfr. Resp. S. Off. diei 20 decembris 1899 in *ASS* XXXII (1899), 504-505; *Fontes* IV, 1233.

[a] N. 240.
[b] N. 239.



Sequenti vero feria VI, die 25 eiusdem mensis et anni, in solita audientia a SS. D. N. Div. Prov. Pp. Leone XIII R. P. D. Assessori impertita, Ssñus D. N. resolutionem Eñorum ac Revñorum Patrum approbavit.

*ASS* XXXII (1899), 253; *Bull. Scholarum Piarum,* pp. 565-566.

## LEO XIII

## 241

### De Institutis Religiosorum vota simplicia profitentium

(Const. ap. *Conditae a Christo,* diei 8 decembris 1900)

Conditae a Christo Ecclesiae ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas aetate hac elabente utriusque sexus tamquam familias ediderit, quae, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiae operibus sancte devovere contendunt. Quae quidem pleraeque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel dioecesis praetergressae angustias, adeptaeque, unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectae quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. Duplex porro earumdem est ratio: aliae, quae Episcoporum solummodo approbationem nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur; aliae vero de quibus praeterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes quaenam Episcoporum iura esse oporteat, quaeque vicissim illarum in Episcopos officia, sunt qui opinentur incertum controversumque manere. Profecto, ad *dioecesanas* consociationes quod attinet, res non ita se dat laboriosam ad expediendum: eae quippe una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quaestio de ceteris oritur, quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt auctae. Quia nimirum in dioeceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine; ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedi Apostolicae consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregatio-

nem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum canonum et Apostolicarum constitutionum.* Iamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *dioecesanis* censeri, neque Episcopis subesse posse nisi intra fines dioecesis cuiusque, incolumi tamen supremi earumdem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Praesidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas est invadere; eadem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Praesidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in dioecesibus alumni earum versentur; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. Concordem atque unanimem Praesidum Congregationum atque Episcoporum auctoritatem esse oportet, at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas, quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat; ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositi, duo praescriptionum capita edicere visum est: alterum de Sodalitatibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae, alterum de ceteris, quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum haec habet servanda:

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit; si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent, utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universe pietatis ac beneficentiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.



Episcopi sodalitatem condi ullam ne siverint, quae redditibus careat ad sodalium victum necessariis. Sodalitia, quae stipe collaticia vivant; item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. Si quae autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum cura atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. Praeterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

VI. Semel approbatae sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae, probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat: eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis praeerit; peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi

http://www.obrascatolicas.com/

ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (num. VIII) explicate praefinitur.

Alterum praescriptionum caput, de Sodalitatibus, quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habet servanda:

At contra saepe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa

[a] Mansi XXXIII, 103.



est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminaria neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis et omnibus ad rem mature perpensis, Ssm̃us D. N. Pius Pp. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em̃orum S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei 16 mensis decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit:

1. Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim a suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat.

2. Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3. Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum Istitutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint.

4. Dimissi vero ex aliquo religioso instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus ipsis non sit eo modo et uno

http://www.obrascatolicas.com/

ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores*[a] Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit *A primis* die 20 m. iulii 1898[b] statuuntur.[1] Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in cap. 16, sess. 23 *de reform.*[c]

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

*Acta Pii X*, vol. II, 257-260; *ASS* XXXVIII (1905), 407-409; *AAS* II (1910), 106-108; *Collect. Prop. Fide* II, 2226; *Fontes* VI, 4327; *Enchir. Cler.* 756-763.

## PIUS X

## 253

### De examinibus ordinandorum coram Episcopo faciendis

(Motu proprio *Religiosorum Ordinum*, diei 19 martii 1906, pro Italia et Insulis adiacentibus)

Religiosorum Ordinum familias, utpote quae praeclaro semper et adiumento et ornamento fuerint Ecclesiae, peculiari quadam Nos providentia studioque prosequimur; in primisque dandam operam arbitramur, ut constanter pergant, pro necessitatibus temporum, salutares esse ac frugiferae. Hanc ob causam, quoniam ipsae, praterquam sanctarum exercitatione virtutum, etiam doctrinae laude floreant necesse est, Nos e re esse haud ita pridem duximus, aliquid in hoc genere statuere. Etenim, noveramus quidem Sacram Congregationem, Episcoporum et Regularium negotiis et consultationibus praepositam, auctoritate decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII, die 4 novembris 1892, prudentissime praescripsisse, ut « professi tum votorum solemnium, tum votorum simplicium ab Ordinariis

[1] Cfr. *ASS* XXXI (1898), 49-51. Quinque numerantur tituli quibus Episcopus dici potest proprius ratione sacrae ordinationis et subsequentis subiectionis, nempe origo, domicilium, beneficium, familiaritas et incardinatio.

[a] Diei 4 novembris 1694, in BR XX, 662-666; *Fontes* I, 258; *Collect. Prop. Fide* I, 238.

[b] *Acta Leonis XIII*, vol. XVIII, 93; *Collect. Prop. Fide* II, 2011; *AAS* II (1910), 103-104; *Fontes* VI, 4307.

[c] MANSI XXXIII, 146.



locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi praeter alia a Iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae teologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ».[1] Sed praescriptiones huiusmodi non aliter videbantur suos omnes fructus efferre posse, quam si candidati ad sacros Ordines legitimo experimento probare deberent, se in constitutis doctrinae studiis satis profecisse. Id quod ceteroqui sacrosancta Tridentina Synodus iusserat: nam Sess. XXIII cap. VII *De reform.*[a] haec habet generatim: « Episcopus ordinandorum omnium mores et doctrinam diligenter investiget et examinet »; nominatim autem de regularibus eiusd. Sess. cap. XII:[b] « Regulares non sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis ». Opportunum igitur apparebat esse, hanc Tridentini Concilii legem revocari, quae diuturnitate obsolevisset: idque Nos anno superiore praestitimus pro Urbe, quum die 16 mensis iulii Motu-proprio decrevimus, ut quicumque sive de saeculari sive de regulari clero ad sacros Ordines promovendi essent, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facerent in Curia Cardinalis Vicarii Nostri.[2]

Nunc vero placet, etiam ex consulto Moderatorum S. Congregationis Episcoporum et Regularium, memoratum Nostrum decretum per has litteras extendere. Quare Nos, Motu item proprio, volumus ac iubemus, ut in Italia et in insulis Italiae ditioni subiectis, Religiosi omnes, vel ad Instituta votorum simplicium, vel ad votorum solemnium pertinentes, ne ante ad sacros Ordines promoveantur, quam ab Episcopo loci, diligenti doctrinae examine probati sint idonei: sublato, ad hunc tantummodo effectum, quocumque contrario privilegio, etiam specialissima et individua mentione digno, abrogataque quacumque contraria consuetudine, etiam centenaria et immemoriali, quam in futurum quoque induci prohibemus. Id examen qua ratione instituendum sit, Episcopi definient: hique vero curabunt, quemadmodum Nos eo pro Urbe Motu-proprio constituimus, ut candidati non solum in iis rebus, quae ad Ordi-

[1] N. 230 sub VI.

[2] N. 249.

[a] MANSI XXXIII, 143.

[b] N. 96

http://www.obrascatolicas.com/

nem adeundum pertinent, sed in aliis quoque de theologia dogmatica tractationibus periculum faciant. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

*Acta Pii X,* vol. III, pp. 58-60; *ASS* XXXIX (1906), 93-94.

## SACRA CONGREGATIO INDULGENTIARUM

### 254

### Iaculatoriam precem recitantibus indulgentiae conceduntur

(Rescriptum diei 27 februarii 1907)

Sanctissimus D. N. Pius Papa X, in audientia habita die 27 februarii 1907 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Religiosarum familiarum alumnis et alumnabus, vota emittentibus, benigne concessit Indulgentiam quinquaginta dierum toties lucrandam, quoties ipsi vel ipsae, cum intentione denuo religiosa vota nuncupandi, praefatam iaculatoriam precem (*Cor Iesu, charitatis victima, fac me Tibi hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*) corde saltem contrito ac devote recitaverint. [a]

*Anal. eccl.* XV (1907), 163.

## SANCTA ROMANA ET UNIVERSALIS INQUISITIO

### 255

### De moderatoribus et magistris erroribus modernismi infectis removendis

(Instructio *Recentissimo,* diei 28 augusti 1907, ad locorum Ordinarios Familiarumque religiosarum Moderatores)

Recentissimo Decreto *Lamentabili sane exitu* [1] diei 3 iulii c. a. ab hac S. Congregatione S. Romanae et Universalis Inquisitionis, iussu D. N. Pii Papae X, notati atque proscripti sunt praecipui quidam errores qui nostra aetate a scriptoribus, effrenata cogitandi atque scrutandi libertate adreptis, sparguntur, et altioris scientiae fuco et specie propugnantur.

---

[1] *Acta Pii X,* vol. V, 76-84; *ASS* XL (1907), 470-478; *Fontes* IV, 1283.

[a] S. Paen. Ap., 3 februarii 1931, in *Preces et Pia Opera,* ed. 1938, n. 694: Religiosis, qui supra relatam invocationem recitaverint, cum intentione religiosorum votorum observantiam impensius provehendi, conceditur indulgentia 300 dierum.



Quum autem errores occulti serpere, et, quod maxime luctuosum est, incautos animos, iuvenum praesertim, occupare soleant, ac semel admissi difficillime radicitus ex animo evellantur, immo, etiam eradicati, plerumque sponte sua repullulent, opportunum visum est Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus in rebus fidei et morum una mecum Inquisitoribus Generalibus, Decreto supra laudato monita quaedam adiungere, quibus plenius et efficacius attingatur finis quem S. Sedes in reprobandis erroribus sibi proposuerat consequendum.

Memores igitur imprimis sint, ad quos pertinet, necessarium esse ut sive in Seminariis clericorum saecularium et studiorum domibus Religiosorum, sive in Universitatibus, Lycaeis, Gymnasiis aliisve educationis collegiis vel institutis, a iuvenum institutione omnino removeantur moderatores atque magistri qui damnatis erroribus infecti cognoscuntur, vel eorum suspecti merito habentur.

Necessarium pariter erit interdicere, praesertim Seminariorum alumnis ac universim viris ecclesiasticis, ne nomen dent libellis periodicis, quibus neoterici errores sive aperte propugnantur sive latenter insinuantur, neque quidquam in eis publici iuris faciant. A qua regula non deflectant, etsi aliquando gravis ratio aliud suadere videatur, nisi de consensu Ordinarii.

Consultum postremo erit sacram ordinationem differre vel etiam prorsus denegare iis qui, quod Deus avertat, neotericis erroribus imbuti essent, quos non ex animo reprobarent atque reiicerent.

His autem pro zelo quo erga gregem sibi creditum animantur Ordinarii, illa adiicere non omittant consilia ac remedia quae pro ratione locorum et circumstantiarum opportuna iudicaverint ad zizania penitus ex agro Domini evellenda.

*Acta Pii X,* vol. V, 97-98; *ASS* XL (1907), 727-728; *Enchir. Cler.* 800-804.

## PIUS X

### 256

### De philosophia S. Thomae Aquinatis sequenda ac de celebrandis Universitatibus civilibus

(Ex Litt. encycl. *Pascendi dominici gregis,* diei 8 septembris 1907)

I. Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro

http://www.obrascatolicas.com/

sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse.

II. Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno 1896;[a] ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus.[b]

*Acta Pii X,* vol. IV, 102-103, 105; *ASS* XL (1907), 640-642.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 257

### De studentibus ad eleemosynas quaeritandas non mittendis

(Ex Decreto *De eleemosynis,* diei 21 novembris 1908, pars I)

7. Non licet Superioribus regularibus ad hoc opus mittere nisi Religiosos aetate et animo maturos; numquam eos qui studiis adhuc incumbunt.

*AAS* I (1909), 154; *Fontes* VI, 4391.

### 258

### De muneribus in clericorum Seminariis viro religioso ad saeculum revertenti vetitis

(Ex Decreto *Quum minoris,* diei 15 iunii 1909)

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus decernere dignatus est, ut omnibus deinceps rescriptis, quibus saecularizatio perpetua vel ad tempus, aut votorum perpetuorum relaxatio, prout supra, sacerdotibus et clericis in sacris ordinibus constitutis conceditur, adnexae intendantur, licet non expressae, sequentes clausulae, quarum dispensatio Sanctae Sedi reservatur:

[a] N. 235.
[b] Nn. 268, 322.



Vetitis, absque novo et speciali Sanctae Sedis indulto:

2. Quolibet magisterio et officio in seminariis clericalibus maioribus et minoribus aliisque Institutis, in quibus clerici educantur, nec non in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos in re philosophica, theologica et canonica.[a]

*AAS* I (1909), 523; *Fontes* VI, 4393.

### 259

### De dimissis a seminariis et collegiis in religiosas familias non admittendis

(Decretum *Ecclesia Christi,* diei 7 septembris 1909)

Ecclesia Christi, licet spirituali gaudio afficiatur, quum fideles matura deliberatione et recta intentione statum perfectionis in religiosis Familiis amplectuntur, qualitatis tamen quam numeri potius sollicita, ingressum in novitiatum et professionem votorum ita moderata est, ut eos tantum decreverit ad evangelica consilia in religiosis Domibus servanda esse admittendos, qui divinae vocationis argumenta praeberent. Ipsum quoque probationis tempus, quod votorum emissionem praecedit, ad hoc instituit, ut animi non solum religiosis imbuerentur virtutibus, sed etiam a Superioribus rite explorarentur.

Debilitata tamen in regionibus non paucis vitae christianae disciplina, Apostolica Sedes ingressum in religiosas Familias, examen tyronum et experimentum vitae religiosae, paullatim, progressu temporis, severiori quadam ratione ordinavit, editis ad rem legibus, quae spem perseverantiae et prosperi exitus firmiorem redderent.

Quum vero compertum sit, longe melius esse, ut aliqualiter claudantur ianuae ingredientibus, ne postea late reserentur exeuntibus, sanctissimus Dominus noster Pius Papa X committere dignatus est huic Sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, ut severiori huiusmodi Ecclesiae disciplinae insistens in admittendis alumnis ad novitiatum et vota, haec statueret, ab omnibus religiosis virorum Familiis, graviter onerata Superiorum conscientia, fideliter in posterum servanda, quae sequuntur:

[a] N. 265.



http://www.obrascatolicas.com/

Nullimode, absque speciali venia Sedis Apostolicae, et sub poena nullitatis professionis, excipiantur, sive ad novitiatum sive ad emissionem votorum postulantes:

1) qui e collegiis etiam laicis ob inhonestos mores vel ob alia crimina expulsi fuerint;

2) qui a seminariis et collegiis ecclesiasticis vel religiosis quacumque ratione dimissi fuerint;

3) qui, sive ut professi sive ut novitii, ab alio Ordine vel congregatione religiosa dimissi fuerint; vel, si professi, dispensationem votorum obtinuerint;

4) qui iam admissi, sive ut professi sive ut novitii, in unam provinciam alicuius Ordinis vel congregationis et ab ea dimissi, in eandem vel in aliam eiusdem Ordinis vel congregationis provinciam recipi nitantur.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.[a]

*AAS* I (1909), 700-701; *Fontes* VI, 4396; *Anal eccl.* XVII (1909), 430; *Sylloge*, 22; *Enchir. Cler.* 830.

## 260

### De studiis ante ordinationes requisitis

(Declarationes *In articulo*, diei 7 septembris 1909, in art. VI decreti *Auctis admodum*)

In articulo sexto decreti *Auctis admodum*,[b] editi a sa. me. Leone XIII, inter alia, haec statuuntur: « Professi tum votorum solemnium tum simplicium ab Ordinariis locorum ad sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu; ad minus per biennium, si de diaconatu; et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo ».

Porro circa genuinum sensum huius articuli, varia dubia sacrae Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium praepositae exhibita sunt, quae ad sequentia capita reduci possunt:

[a] Hoc decretum ad mulierum quoque religiosas familias extensum est die 4 ianuarii 1910 (*AAS* II (1910), 63-64). Vide quoque nn. 263-264.

[b] N. 230.



I. Utrum Superiores Ordinum vel Institutorum religiosorum praefatas testimoniales litteras licite dare, et Ordinarii seu Episcopi licite acceptare possint, si anni de quibus agitur non fuerint completi, seu non vere academici vereque scholares, sed potius abbreviati, non quidem ex incuria, sed quia vel omissae fuerunt vacationes, vel horae lectionibus in schola tradendis multiplicatae, vel alia quacumque de causa?

II. Utrum studentes, expleto unius, duorum vel trium respective annorum curriculo theologico, possint statim ad subdiaconatum vel diaconatum vel presbyteratum item respective promoveri, ideoque inceptis vacationibus, in fine anni scholastici dari solitis, quin circulum duodecim mensium complere teneantur?

III. Utrum iidem studentes, triennio theologico rite completo, teneantur adhuc per alium annum, seu per quartum annum scholasticum, theologicis studiis in scholis incumbere?

IV. Utrum verba eiusdem decreti *Auctis admodum:* « praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo » respiciant tantum philosophica seu lycaealia studia, vel etiam gymnasialia seu humaniorum litterarum, imo primariam etiam institutionem?

V. Utrum studia philosophica seu lycaealia, humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria necessario ante ingressum in novitiatum ex integro peragi debeant?

VI. Utrum praefata studia, non publice in scholis rite ordinatis, sed privatim peracta, valorem habeant legalem, seu qui sufficiat ad licite dandas, et licite acceptandas litteras testimoniales ad sacros Ordines?

VII. Utrum ad valorem legalem studiorum theologicorum, philosophicorum seu lycaealium, et humaniorum litterarum seu gymnasialium sufficiat disciplinae principalis seu theologiae, philosophiae et linguae latinae peritia, vel potius requiratur, ut in unaquaque schola tradantur etiam disciplinae accessoriae, iuxta normam in bene ordinatis Seminariis regionis vigentem et saltem in substantialibus servandam?

VIII. Utrum et quanam ratione in litteris testimonialibus ad sacros Ordines authentice constare debeat de peractis ex integro, tum curriculo seu curriculis theologicis, tum philosophicis seu lycaealibus, et humaniorum litterarum seu gymnasialibus studiis, ut praefatae litterae licite dari possint a Superioribus, et licite acceptari ab Ordinariis seu Episcopis?

http://www.obrascatolicas.com/

Et sacra eadem Congregatio, de speciali mandato sanctissimi Domini nostri divina providentia Pii Papae X, respondet prout sequitur:

Ad I. *Negative* in omnibus; et quaelibet abbreviatio studiorum abusiva omnino habenda est, et penitus illicita.

Ad II. *Affirmative,* dummodo tamen complexus trium huiusmodi annorum saltem triginta tres menses integros comprehendat.

Ad III. *Affirmative,* ideoque complexus quadriennii theologici, computatis vacationibus seu feriis, quadraginta quinque menses integros comprehendere necesse est.

Ad IV. Respiciunt et philosophica seu lycaealia, et humaniorum litterarum seu gymnasialia, et primaria studia. Ideoque haud legalia habenda sunt theologica studia, si alumnus cursum philosophicum seu lycaealem rite non expleverit; neque legalia erunt philosophica seu lycaealia studia, si alumnus humaniorum litterarum seu gymnasiale curriculum minime compleverit; neque valorem habebit humaniorum litterarum seu gymnasiale studium, si alumnus per primariam institutionem rite habitam minime praeparatus fuerit. Porro ad legitimum transitum de scholis primariis ad gymnasiales, de gymnasialibus ad lycaeales, de lycaealibus ad theologicas, requiritur testimonium de bene superato periculo seu examine, a Moderatoribus respectivarum scholarum in forma authentica obtentum; quod si gravi aliqua de causa haberi nequeat, suppleri potest per speciale examen, coram peritis magistris subeundum ante transitum ad superiorem gradum seu scholam.

Ad V. *Negative* quoad studia philosophica seu lycaealia; *affirmative* quoad primaria et gymnasialia seu humaniorum litterarum. In casibus tamen specialibus, accedentibus gravibus causis, permitti potest, ut ad novitiatum inter clericos admittatur, qui annum quartum gymnasialem seu humaniorum litterarum rite expleverit, dummodo: *a*) decimum quintum aetatis annum excesserit; *b*) statim post novitiatum, et antequam ad studium philosophicum seu lycaeale adscendat, integrum curriculum omnium studiorum humaniorum litterarum seu gymnasialium in scholis domesticis vel aliis rite ordinatis compleat; *c*) et finale periculum bene superet. Quod si agatur de ingressu in novitiatum anno quarto non expleto, recurrendum ad Sanctam Sedem.

Ad VI. *Negative.* In casibus tamen extraordinariis, qui respiciunt particularem aliquem alumnum tantum, qui diligenter studiis incubuit, et in periculo seu examine idoneus inventus fuerit, recurrendum ad sacram Congregationem pro convalidatione, exhibita iurata fide examinatorum, et de tempore transacto in studio privatim peracto et de bene superato periculo; nisi res sit, non de omnibus disciplinis unius anni scholaris, sed de una tantum vel altera disciplina accessoria, gravi de causa a particulari aliquo alumno privatim exculta; tunc enim, praehabita iurata fide examinatorum, ut supra, convalidatio dari poterit a Superiore generali, accedente voto deliberativo sui Consilii.



Ad VII. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam.

Ad VIII. Superiores in litteris testimonialibus, expressis verbis, sequentia declarare debent et testari: 1) *quoad curriculum theologicum,* candidatum a tali anno, mense et die, ad talem usque annum, mensem et diem, et in tali schola studiis theologicis ad sacrum Ordinem, ad quem praesentatur, necessariis rite incubuisse, et in finali periculo seu examine idoneum inventum fuisse; 2) *quoad inferiora studia, eidem curriculo praemittenda: a*) eundem candidatum, rite peractis primariae institutionis studiis, humaniorum litterarum studia in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, ex integro explevisse, bene superato finali periculo; *b*) praefatum candidatum, recte expletis humaniorum litterarum studiis, philosophicum curriculum ex integro in tali schola, et per tot annos academicos seu scholares, complevisse, et finale periculum auspicato superavisse.

Mandavit insuper Sanctitas Sua, ut salvis quae de integritate et duratione studiorum in praesenti documento dicuntur, sacra Congregatio, exquisito ab omnibus Moderatoribus generalibus elencho disciplinarum, quae singulis annis scholasticis seu academicis adsignatae sunt in respectiva religiosa Familia, una cum tabulis horariis singularum scholarum aliisque opportunis informationibus, instructionem de studiis apud clericos Ordinum et Institutorum religiosorum rite et integre peragendis praeparet, in plenario Emorum Patrum eiusdem Congregationis coetu examinandam, et probante Summo Pontifice, publici iuris faciendam.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. [a]

*AAS* I (1909), 701-704; *Anal. eccl.* XVII (1909), 428-430; *Fontes* VI, 4397.

[a] Nn. 261, 266, 285.

http://www.obrascatolicas.com/

## 261

### De studiis ante ingressum novitiatum peragendis

(Decretum *Nonnulli Superiores,* diei 21 decembris 1909)

Nonnulli Superiores Generales Ordinum et Institutorum huic Sacrae Congregationi Negotiis Sodalium Religiosorum praepositae humillime exposuerunt difficultates, quas parit immediata executio recentiorum Declarationum circa studia, d. d. 7 septembris 1909;[a] sive quia alumni in propriis illorum Collegiis degentes, qui ad Novitiatum ingrediendum iam existimabantur sufficienter apti, in Collegiis ipsis, ad statum curriculum studiorum perficiendum adhuc permanere debent; sive quia ipsae novitiorum domus per aliquod tempus claudendae erunt, quum haud facile sit reperire alumnos ad tramitem Declarationum undequaque instructos.

Ideoque supplices preces dederunt, ut, quousque iuxta placita huius Sacrae Congregationis res apprime ordinentur, praefatas Declarationes benigniori quadam ratione interpretari fas esset.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X, cui haec omnia infrascriptus Cardinalis Praefectus retulit in Audientia diei 21 decembris 1909, rem mature perpendere dignatus est aequa lance cum expositis difficultatibus bona librando, quae ex immediata executione dictarum Declarationum Ordinibus et Institutis provenient, quae quidem bona non potest esse, quin cedant in utilitatem ipsius Ecclesiae Universae. Et sane, hisce praesertim difficillimis temporibus, aequali ac Sacerdotes saeculares debent scientia pollere Sacerdotes Regulares, quorum consilia Fideles non minori sane fiducia expetere constat; scientia veris vocationibus nedum adimat, potius confert stabilitatem; quod si nonnullos abuti contingat scientia, Ordinis vel Congregationis sumptibus acquisita, et ante ingressum in Novitiatum discedere, melium est illos abire, quos ex hoc ipso patet non habuisse propositi constantiam, imo nec amplectendae vitae religiosae animum vere sincerum; longe minor est Ordinibus et Institutis timenda iactura, si minus frequentati, vel prorsus vacuae per aliquod tempus novitiorum domus existant, quam si plenae Sodalibus non adaequate institutis; praestat selectus numerus alumnorum stabilium, quam magnus praetereuntium, integre sum-

[a] N. 260.



mopere curandum, ut id quod numero erit inferius, spe reddatur uberius.

His igitur aliisque permotus argumentis, idem Ssm̃us Dominus Noster minoris faciens difficultates expositas, supplicibus precibus haud annuendum, idque omnibus Superioribus Generalibus Ordinum et Institutorum in normam et regulam significandum duxit.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

*AAS* II (1910), 35-36; *Fontes* VI, 4398; *Anal. eccl.* XVIII (1910), 57.

## 262

### De religiosis ad militiam vocatis

(Rescriptum diei 29 decembris 1909, ad Visitatorem Apostolicum Ordinis S. Ioannis de Deo)

Fr. Benedetto Menni, Visitatore Apost. dell'Ordine di S. Giovanni di Dio, prostrato al bacio del Sacro Piede, espone alla S. V. quanto segue:

Poichè i nostri Novizi, compito l'anno canonico del Noviziato, entro tre mesi devono emettere la professione dei voti semplici, succede che alcuni di quelli che dopo la professione vengono chiamati sotto le armi, perdono ivi la loro vocazione religiosa. Perciò l'umile Esponente implora dalla S. V. una facoltà simile a quella che dalla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari in data 21 d'aprile 1871 fu concessa ai Trappisti, cioè di far fare ai Novizi la professione di semestre in semestre, finchè sia cessato il pericolo, del quale Rescritto unisce la copia fedele, come fu data nella risoluzione dei dubbi il giorno 2 settembre 1896[a] relativamente al detto Rescritto del 21 aprile 1871 ai Trappisti.

Che della grazia.

Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis, vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X sibi tributarum, expetitam facultatem impertita est iuxta preces, ad tramitem Rescripti, die 21 aprilis 1871 Ordini Cisterciensium Reformatorum de Trappa concessi et responsionum ad dubia d. d. 2 septembris 1896. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

*AAS* II (1910), 60-61.

[a] N. 236.

http://www.obrascatolicas.com/

## 263

### De professione religiosa

(Declarationes diei 4 ianuarii 1910, in decretum *Ecclesia Christi* [a])

Ab hac Sacra Congregatione, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, sequentium dubiorum solutio expostulata fuit, nimirum:

I. Quidam Religiosus, dimissus ab una Domo Ordinis, de consensu Superioris Generalis, in alia Domo eiusdem Ordinis ad Novitiatum admissus fuit ante Decretum d. d. 7 septembris 1909, quod incipit *Ecclesia Christi,* sed post eiusdem Decreti publicationem, professionem votorum simplicium emisit, non implorato Indulto Apostolico. Quaeritur, utrum valida sit professio, an vero sanatione indigeat.

II. Quidam Religiosus, dispensatus a votis emissis in alio Ordine, Congregatione, vel Instituto, ad Novitiatum in diverso Ordine admissus fuit ante publicationem supradicti Decreti. Quaeritur, utrum ad professionem votorum simplicium indigeat Indulto Apostolico, an vero absque Indulto valeat professionem emittere.

Et Sacra eadem Congregatio respondendum censuit, prouti respondet: Ad I. *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam. Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam.

*AAS* II (1910), 36.

## 264

### De quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis

(Declarationes diei 5 aprilis 1910, in decretum *Ecclesia Christi* [b])

Circa Decretum *Ecclesia Christi* d. d. 7 septembris 1909 *De quibusdam Postulantibus in Religiosas Familias non admittendis,* ab hac Sacra Congregatione Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, sequentium dubiorum solutio expetita fuit:

I. An postulantes ad Novitiatum admissi ante publicationem decreti et in ipso comprehensi, valide ad professionem admitti queant, absque venia Apostolicae Sedis.

[a] N. 259.
[b] Ibidem.



II. An ii, qui in aliqua Familia Religiosa primam tantum professionem emiserant ante publicationem decreti, valide admitti possint ad alteram professionem, scilicet solemnem in Ordinibus Regularibus, et perpetuam in ceteris Institutis, si in decreto comprehensi fuerint.

III. An valide et licite ad Novitiatum admitti possint postulantes, qui a Seminariis vel a Collegiis sive ecclesiasticis sive religiosis, vel a Novitiatu dimissi quidem non fuerunt *formaliter,* sed *aequivalenter,* id est, quos Superiores induxerunt vel hortati sunt, ut sponte discederent ne dimitterentur.

IV. An recipi valeant ii, qui professionem votorum temporaneorum in aliqua Congregatione emiserunt, sed, peracto tempore, eamdem sponte non renovarunt.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative; sed Superiores sub gravi obligatione tenentur: *a*) opportunas, secretas iuratasque informationes exquirere Superiorum Seminarii, vel Collegii, vel Instituti religiosi *a quo,* circa veras causas exitus alumnorum, de quibus agitur; *b*) moraliter aliunde certos fieri et de bonis eorum religiosis moribus, et de solidae vocationis argumentis, et, si agatur de clericis candidatis, etiam de idoneitate litteraria. Et Superiores *a quo,* graviter onerata eorum conscientia, tenentur sincere et sub iuramento secretas huiusmodi informationes a Superioribus *ad quos* exquisitas transmittere.

Ad III. Valide quidem per se, sed omnino illicite. Et ad fraudes vel abusus e medio tollendos in re tanti momenti, Superiores nullum ex huiusmodi candidatis admittant, antequam per accuratas et secretas informationes a Moderatoribus Seminariorum, vel Collegiorum Ecclesiasticorum sive religiosorum, vel religiosi Instituti, in quo novitii fuerunt, sub fide iuramenti habitas, certi omnino fuerint, candidatos, de quibus agitur, neque formaliter dimissos fuisse, neque aequivalenter. Quod si de candidatis clericis agatur, pariter constare debet de eorum idoneitate litteraria.

Ad IV. Affirmative, praehabitis tamen iuratis informationibus ut supra, in responsione ad II et III.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

*AAS* II (1910), 231-232; *Anal. eccl.* XVIII (1910), 185; *Fontes* VI, 4400.

http://www.obrascatolicas.com/

## 265

### De quibusdam officiis viris e religione egressis non committendis

(Declaratio diei 5 aprilis 1910, et extensio decreti *Quum minoris* [a])

Quum in aliquibus Congregationibus et Institutis Religiosis non habeatur professio votorum perpetuorum, sed tantum vel temporalium, vel etiam merum iuramentum perseverantiae, aut peculiares quaedam promissiones, quibus alumni, peracta probatione, Instituto vel Congregationi ligantur; et quum decretum Sacrae Congregationis de Religiosis d. d. 15 iunii 1909, quo nonnullae praescribuntur clausulae, Rescriptis saecularizationis perpetuae vel temporaneae ac dispensationis votorum inserendae, expresse respiciat sacerdotes et clericos, in sacris constitutos, qui professionem votorum perpetuorum emiserunt; hinc dubium exortum est, utrum eisdem clausulis servandis teneantur sacerdotes et clerici in sacris constituti, qui non quidem professionem votorum perpetuorum, sed vel temporalium tantum, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones, ad normam suarum Constitutionum, ediderant et ab eisdem dispensationem obtineant.

Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa X respondendum mandavit:

Affirmative, si Religiosi votis temporaneis, vel iuramento perseverantiae vel supradictis promissionibus per sex integros annos ligati fuerint.

Contrariis quibuscumque non obstantibus. [b]

*AAS* II (1910), 232-233; *Fontes* VI, 4401.

## 266

### Declarationes super decreto «Auctis admodum»

(Declarationes diei 31 maii 1910, circa declarationes in art. VI decreti *Auctis admodum* [c])

Cum nonnulla dubia exorta fuerint circa rectam interpretationem Declarationum huius Sacrae Congregationis de Religiosis, d. d. 7 septembris 1909, quoad articulum VI Decreti *Auctis admodum*,

[a] N. 258.
[b] N. 66.
[c] N. 260.



eorum solutio ab hac eadem Sacra Congregatione expostulata fuit, nimirum:

1. Utrum praedictae Declarationes respiciant tantum Domus Religiosas studiorum solius Italiae, an etiam, eas ubique terrarum constitutas.

2. Utrum eisdem Declarationibus sese conformare debeant eae tantum Congregationes Religiosae, in quibus emittuntur vota, an etiam illae, quibus alumni ligantur simplici promissione perseverantiae, ut apud Eudistas.

3. Utrum, contracto vacationum tempore, et pressius aucto studiorum conatu, totus Theologiae cursus tribus tantum annis comprehendi possit; an potius per quatuor integros annos academicos, scilicet per quadraginta quinque menses integros, computatis vacationibus trium priorum annorum, semper protrahi debeat.

Et Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit, prouti respondet:

Ad 1. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.
Ad 2. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.
Ad 3. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.
Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*AAS* II (1910), 449-450; *Anal. eccl.* XVIII (1910), 292; *Fontes* VI, 4402.

## 267

### De aliqua in novitiatu studiis opera danda

(Decretum *Ad explorandum*, diei 27 augusti 1910)

Ad explorandum animum illumque religiosa perfectione gradatim imbuendum, Novitiatus institutus est, qui ideo, per unum saltem annum, sub Magistro, spiritualibus tantum exercitationibus totus insumitur.

Quum autem experientia constet, adsiduis pietatis officiis, licet opportune variis, adolescentium praesertim defatigari mentem, et ad continuos per diem religionis actus minus intentam afferri plerumque voluntatem; et quum in ipso Novitiatu moderata aliqua studiis assignatio possit Novitiis non parum utilitatis afferre, ne dediscant quae didicerunt, ac re ostendant quales sint ingenio, idoneitate et diligentia; Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, in Plenario Coetu Emorum Patrum, die 26 au-

http://www.obrascatolicas.com/

gusti 1910 ad Vaticanum habito, sequentia statuit, a singulis Ordinibus et Congregationibus Religiosis apprime servanda:

1. Novitii, privatim, unam horam singulis diebus, festis tantum exceptis, studiis dedicabunt.

2. Studiis praeerunt Magister Novitiorum vel Vicemagister, qui respondente scientia pollere debent, vel, aptius, aliquis ex professoribus humaniorum litterarum, qui domi vel prope commoretur. Horum erit, non ultra ter in hebdomada, per unam horam, praeter aliam, quotidie a Novitiis studiis privatim addicendam, Novitios in unum collectos, veluti in Schola, instruere aut saltem eorum progressus in studiis exquirere.

3. Quamvis haec ut veri nominis schola censeri nequeat, non tamen veluti merum mortificationis exercitium habeatur. Ita igitur fiat, ut, inde, Novitii omni cum diligentia in eam incumbant ac verum fructum ex eadem percipiant; hinc autem, Magistri apta methodo studia moderentur, de uniuscuiusque tyronis talento ac sedulitate iudicium adipiscantur et progressum curent. Genus autem studiorum cuiusvis Ordinis vel Congregationis naturae respondeat. Linguae patriae, et pro Novitiis Ordini sacro destinatis, linguae latinae quoque ac graecae studium commendatur, sive per repetitionem eorum, quae iampridem Novitii didicerunt, praesertim grammatices, sive per lectionem eorum sanctorum Patrum et antiquorum Ecclesiae auctorum, quos litteris quoque enituisse constet, v. g. S. Ambrosii, S. Augustini, S. Hieronymi, Lactantii, S. Ioannis Chrysostomi, Eusebii et similium; item Evangelii S. Lucae et Actuum Apostolorum, graece conscriptorum.

Scripta quoque exercitia, v. g. extemporalia, exempla Mariana, magna cum utilitate accedere poterunt. Quae quidem omnia et alia, sive patrio sive latino sermone redacta, ut Novitii e suggestu legant vel memoriter recitent summopere convenit, ad veram pronuntiationem et quamdam publice dicendi dexteritatem adquirendam. Item opportunum erit, ut Novitii inter se colloquentes, loco patrii sermonis, lingua aliquando utantur latina, qua poterunt etiam interdum breves sermones vel catecheticas instructiones ad sodales habere.

4. Qui scholae praeest adnotet, in scriptis, cuiusvis Novitii diligentiam ac progressus, et horum, item scriptum, mittat ad Superiorem Generalem vel Moderatorem Provincialem testimonium, reliquis addendum, antequam Novitii, expleto Novitiatu, ad professionem votorum admittantur.



Quae omnia Sanctissimus Dominus noster Pius Papa Decimus, referente infrascripto Subsecretario, confirmare dignatus est, die 27 augusti 1910. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

*AAS* II (1910), 730-731; *Anal. eccl.* XVIII (1910), 399; *Fontes* VI, 4405; *Sylloge*, 33.

## PIUS X

## 268

### Leges ad modernismi periculum propulsandum

(Motu proprio *Sacrorum Antistitum*, diei 1 septembris 1910)

Sacrorum antistitum neminem latere arbitramur, vaferrimum hominum genus, modernistas, persona quam induerant illis detracta per encyclicas Litteras *Pascendi dominici gregis*,[1] consilia pacis in Ecclesia turbandae non abiecisse. Haud enim intermiserunt novos aucupari et in clandestinum foedus ascire socios, cum iisque in christianae reipublicae venas opinionum suarum virus inserere, editis libris commentariisque suppresso aut mentito scriptorum nomine. Haec audaciae maturitas, per quam tantus Nobis inustus est dolor, si perlectis iterum memoratis Litteris Nostris, consideretur attentius, facile apparebit, eius moris homines haud alios esse quam quos ibi descripsimus, adversarios eo magis timendos, quo propiores; ministerio suo abutentes ut venenatam hamis escam imponant ad intercipiendos incautos, doctrinae speciem circumferentes, in qua errorum omnium summa continetur.

Hac lue diffluente per agri Domini partem, unde laetiores essent exspectandi fructus, quum omnium Antistitum est in catholicae fidei defensione laborare, summaque diligentia cavere, ne integritas divini depositi quidquam detrimenti capiat, tum ad Nos maxime pertinet Christi Servatoris imperata facere, qui Petro, cuius principatum, licet indigni, obtinemus, dixit: *Confirma fratres tuos.*[a] Hac nempe de causa, hoc est, ut in praesenti dimicatione subeunda confirmentur bonorum animi, opportunum duximus memorati Nostri documenti sententias et praescripta referre hisce verbis expressa:

« Vos oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patia-

[1] N. 256.

[a] *Lc* XXII, 32.

http://www.obrascatolicas.com/

mini. Quod vero a vobis petimus et expectamus, idipsum et petimus aeque et expectamus a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

« I. Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. — Utique, *si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi.* [1] Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus quae a sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse. *Parvus error in principio,* sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, *est magnus in fine.* [2]

« Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium extruatur diligentissime. Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obiicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientum effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur.* [3] Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato ab historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae

[1] N. 224.
[2] *De Ente et Essentia,* proëm.
[3] Leo XIII, Litt. ap. *In magna,* diei 10 decembris 1889, in *Acta Leonis XIII,* vol. IX, 267.



ratio est habenda: id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur.

« De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit: *In rerum etiam naturalium consideratione strenue adlaboretis: quo in genere nostrorum temporum ingeniose inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt.* [1] Id tamen nullo sacrorum studiorum damno; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis monuit: *Quorum causam errorum, si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelliget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint: quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignius est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur.* [2] Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari volumus.

« II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adiici oportet, quum de Seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regundi tum a docendi munere arceantur; eo si iam funguntur, removeantur: item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit obedientiam detrectando: item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student: item qui sacras negligunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur. Hoc in negotio, Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia nunquam erit animadversio et constantia; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re et fortiter agitote.

« Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deligendi,

[1] Allocutio *Pergratus* Nobis, diei 7 martii 1880, ad scientiarum cultores, in *ASS* XII (1880), 483-485.
[2] Ibidem.

http://www.obrascatolicas.com/

qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor: superbos et contumaces animos odit Deus! Theologiae laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto. Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno 1896;[a] ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus. Clerici et sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus. Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavimus, ea constanter serventur.

« III. Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehuntque, si in lucem edita, ne legantur cavere; si nondum edita, ne edantur prohibere. Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adolescentibus in seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur: non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta; immo etiam magis, quod christianae vitae initia vitiant. Nec secus iudicandum est de quorumdam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroqui non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes ac recentiori philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

« Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra uniuscuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exulent fortiter contendite, solemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat; adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, quum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant;

[a] N. 235.



memores quae Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum ac munerum*[1] praescribebat: *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.* Ius quidem his verbis tribuitur sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii implevisse autumet, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur. Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus, quam vulgo *Imprimatur* appellant: tum quia simulata esse possit, tum quia vel negligentius data vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, quod forte postremum in Religiosorum ordinibus aliquando evenit. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint innocentes, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat ad clerum unum coërcendo; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi. Et quoniam de his sermo incidit, vigilent Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem: certe in aliquorum indicibus modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si obedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent; item potioreque iure si episcopales audiant: qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. Universis demum in memoriam revocamus, quae memorata apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo 26: *Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

« IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impertiant. Quoniam vero magno numero ea sunt ex Constitutione *Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus prae-

[1] Diei 25 ianuarii 1897, in *Acta Leonis XIII*, vol XVII, 17.



http://www.obrascatolicas.com/

cognoscere universa potest; in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime: illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant: hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant. Ad illos scriptorum cognitio deferatur, quae ex articulis 41 et 42 memoratae Constitutionis praevio subsunt examini. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen proponetur formula *Nihil obstat*, adscripto censoris nomine. In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur necnon a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa, prout supra diximus, approbationis formula adiectoque nomine censoris. Extraordinariis tantum in adiunctis ac per quam raro, prudenti Episcopi arbitrio, censoris mentio intermitti poterit. Auctoribus censoris nomen patebit nunquam, antequam hic faventem sententiam ediderit; ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. Censores e religiosorum familiis nunquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae secreto sententia audiatur: is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur. Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus numquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit. Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum, quo quis ornatur nihil valere prorsus nec unquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

« His universe dictis, nominatim servari diligentius praecipimus, quae articulo 42 Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur: *Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant*. Qua si qui venia perniciose utantur, ea, moniti primum, priventur. Ad sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium* vel *collaboratorum* nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta; videant Episcopi ne quid hi, contra quam siverint, moliantur, datamque potestatem, si oportet retractent. Idipsum ut religiosorum moderatores praestent gravissime admonemus: qui si negligentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant. Ephemerides et commentaria, quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, integre attenteque perlegere: si quid dictum periculose fuerit, in sequenti folio vel libello corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.



« V. Congressus publicosque coetus iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student. Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent; ut nihil proponatur vel postuletur, quod sacrae potestatis occupationem inferat; ut quidquid modernismum sapit quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat. Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendatus. Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant, quae Leo XIII gravissime commendavit: *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas: pro certo habeant sacerdotale munus nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum.* [1]

« VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite constanterque serventur? Id ut feliciter pro votis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre, quod Umbrorum Episcopi, [2] ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores*, sic illi, *iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc extent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus, qui ex illa divulgatione manarunt; sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium, cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpant aut disseminentur atque Episco-*

[1] Litt. encycl. *Nobilissima*, diei 8 februarii 1884, in *Acta Leonis XIII*, vol. IV, 10.
[2] Act. Consess. Epp. Umbriae, novembri 1849, tit. II, art. 6.

http://www.obrascatolicas.com/

*pum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio extingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel quod peius est in dies confirmetur et crescat.* Tale igitur consilium, quod *a vigilantia* dici placet, in singulis dioecesibus institui quamprimum decernimus. Viri, qui in illud adsciscantur, eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient: quae tractarint decreverint, ea arcani lege custodiunto. Officii munere haec sibi demandata habeant. Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter; pro cleri iuventaeque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant. Vocum novitatem caveant, meminerintque Leonis XIII monita: *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur, loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa.* [1] Haec in libris praelectionibusque ne patiantur. Libros ne negligant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quaestiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fovendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim, ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis fines non excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus. De sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in hac re possunt, certo norint Reliquiam esse subditiciam, fidelium cultu removeant. Si Reliquiae cuiuspiam auctoritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, interierint; ne publice ea proponatur nisi rite ab Episcopo recognita. Praescriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate commendetur; nimirum pro decreto, anno 1896 a sacro Consilio indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, quo edicitur: *Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel supposititias esse.* [a] Quum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet: Ecclesiam tanta in hac re uti

[1] Instruct. S. C. NN. EE. EE., *Nessuno ignora*, diei 27 ianuarii 1902, in *Acta Leonis XIII*, vol. XXII, 8-28.

[a] S. C. de Indulg., *Iacien.*, diei 20 ianuarii 1896, in *Fontes* VII, 5126.



prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita; [a] quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis triginta, edicebat: *Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam.* [1] Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum qui honorantur. Similiter de Reliquiis affirmandum. Illud demum Consilio vigilantiae demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adiiciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romanorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

« VII. Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, volumus et mandamus ut singularum dioecesum Episcopi, anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea vero tertio quoque anno, diligenti ac iurata enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritati non subsunt. Idipsum Moderatoribus generalibus ordinum religiosorum pro suis alumnis iniungimus ».

His, quae plane confirmamus omnia sub poena temeratae conscientiae adversus eos, qui dicto audientes esse renuerint, peculiaria quaedam adiicimus, quae ad sacrorum alumnos in Seminariis degentes et ad instituti religiosi tirones referuntur. In Seminariis quidem oportet partes omnes institutionis eo tandem aliquando conspirent ut dignus tali nomine formetur sacerdos. Nec enim existimare licet, eiusmodi contubernia studiis dumtaxat aut pietati patere. Utraque re institutio tota coalescit, suntque ipsa tamquam palaestrae

[1] S. Rit. C., *Capuana*, diei 12 maii 1877, in *Fontes* VIII, 6098.

[a] Urbanus VIII, Const. ap. *Coelestis Hierusalem*, diei 5 iulii 1634, in *Fontes* I, 213. Vide formulam protestationis auctorum in Benedicti XIV *De Serv. Dei beatif., et Beat. canoniz.*, Prati 1839, tom. II, append. I, p. 481.

http://www.obrascatolicas.com/

ad sacram Christi militiam diuturna praeparatione fingendam. Ex iis igitur ut acies optime instructa prodeat, omnino sunt duae res necessariae, doctrina ad cultum mentis, virtus ad perfectionem animi. Altera postulat ut alumna sacrorum iuventus iis artibus apprime erudiatur quae cum studiis rerum divinarum arctiorem habent cognationem; altera singularem exigit virtutis constantiaeque praestantiam. Videant ergo moderatores disciplinae ac pietatis, quam de se quisque spem iniiciant alumni, introspiciantque singulorum quae sit indoles; utrum suo ingenio plus aequo indulgeant, aut spiritus profanos videantur sumere; sintne ad parendum dociles, in pietatem proni, de se non alte sentientes, disciplinae retinentes; rectone sibi fine proposito, an humanis ducti rationibus ad sacerdotii dignitatem contendant; utrum denique convenienti vitae sanctimonia doctrinaque polleant; aut certe, si quid horum desit, sincero proptoque animo conentur acquirere. Nec nimium difficultatis habet investigatio; siquidem virtutum, quas diximus, defectum cito produnt et religionis officia ficto animo persoluta, et servata metus causa, non conscientiae voce, disciplina. Quam qui servili timore retineat, aut animi levitate contemptuve frangat, is a spe sacerdotii sancte fungendi abest quam longissime. Haud enim facile creditur, domesticae disciplinae contemptorem a publicis Ecclesiae legibus minime discessurum. Hoc animo comparatum si quem deprehenderit sacri ephebei moderator, et si semel iterumque praemonitum, experimento facto per annum, intellexerit a consuetudine sua non recedere, eum sic expellat, ut neque a se neque ab ullo episcopo sit in posterum recipiendus.

Duo igitur haec ad promovendos clericos omnino requirantur; innocentia vitae cum doctrinae sanitate coniuncta: Neve illud praetereat, praecepta ac monita, quibus episcopi sacris ordinibus initiandos compellant, non minus ad hos quam ad candidatos esse conversa, prout ubi dicitur: « Providendum, ut caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio ad id electos commendet... Sint probi et maturi in scientia simul et opere... eluceat in eis totius forma iustitiae ».

Ac de vitae quidem probitate satis dictum esset, si haec a doctrina et opinionibus, quas quisque sibi tuendas assumpserit, posset facili negotio seiungi. Sed, ut est in proverbiorum libro: *Doctrina sua noscetur vir;* [1] utque docet Apostolus: Qui... *non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* [1] Quantum operae vero dandum sit addiscendis rebus multis equidem et variis, vel ipsa huius aetatis conditio docet, nihil gloriosius efferentis quam lucem progredientis humanitatis. Quotquot igitur sunt ex ordine cleri si convenienter temporibus velint in suis versari muneribus; si cum fructu *exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt arguere;* [2] si opes ingenii in Ecclesiae utilitatem transferre, oportet cognitionem rerum assequantur, eamque minime vulgarem, et ad excellentiam doctrinae propius accedant. Luctandum est enim cum hostibus non imperitis, qui ad elegantiam studiorum scientiam saepe dolis consutam adiungunt, quorum speciosae vibrantesque sententiae magno verborum cursu sonituque ferentur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere. Quapropter expedienda mature sunt arma, hoc est, opima doctrinae seges comparanda omnibus, quicumque sanctissimis perarduisque muneribus in umbratili vita se accingunt.

Verum, quia vita hominis iis est circumscripta limitibus ut ex uberrimo cognoscendarum rerum fonte vix detur aliquid summis labiis attingere, discendi quoque temperandus est ardor et retinenda Pauli sententia: *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* [3] Quare, quum clericis multa iam satis eaque gravia sint imposita studia, sive quae pertinent ad sacras litteras, ad Fidei capita, ad mores, ad scientiam pietatis et officiorum, quam *asceticam* vocant, sive quae ad historiam Ecclesiae, ad ius canonicum, ad sacram eloquentiam referuntur; ne iuvenes aliis quaestionibus consectandis tempus terant et a studio praecipuo distrahantur, omnino vetamus diaria quaevis aut commentaria, quantumvis optima, ab iisdem legi, onerata moderatorum conscientia, qui ne id accidat religiose non caverint.

Ut autem suspicio segregetur omnis clanculum se inferentis modernismi, non solum omnino servari volumus quae sub numero secundo superius praescripta sunt, sed praeterea ut praecipimus singuli doctores, ante auspicandas ineunte anno praelectiones, Antistiti suo textum exhibeant, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive *theses;* deinde ut per annum ipsum exploretur sua cuiusque magisterii ratio; quae si videatur a sana doctrina discedere, causa erit quamobrem doctor illico amo-

[1] *Prov.* XII, 8.



[1] *II Ioan.* 9.
[2] *Tit.* I, 9.
[3] *Rom.* XII, 3.

http://www.obrascatolicas.com/

veatur. Denique, ut, praeter fidei professionem, iusiurandum det Antistiti suo, secundum adiectam infra formulam, et subscripto nomine.

Iusiurandum hoc, praemissa Fidei professione per formulam a sa. me. Decessore Nostro Pio IV praescriptam, cum adiectis definitionibus Concilii Vaticani, suo antistiti item dabunt:

I. Clerici maioribus ordinibus initiandi; quorum singulis antea tradatur exemplar tum professionis fidei tum formulae edendi iurisiurandi ut eas accurate praenoscant, adiecta violati iurisiurandi, ut infra, sanctione.

II. Sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi.

III. Parochi, Canonici, Beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem.

IV. Officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus haud exceptis Vicario generali et iudicibus.

V. Adlecti concionibus habendis per quadragesimae tempus.

VI. Officiales omnes in Romanis Congregationibus vel tribunalibus coram Cardinali Praefecto vel Secretario eiusdem sive Congregationis sive tribunalis.

VII. Religiosarum familiarum Congregationumque Moderatores et Doctores antequam ineant officium.

Professionis fidei, quam diximus, editique iurisiurandi documenta peculiaribus in tabulis penes Curias episcopales adserventur, itemque penes Romanarum Congregationum sua quaeque officia. Si quis autem, quod Deus avertat, iusiurandum violare ausus fuerit, ad Sancti Officii tribunal illico deferatur.

### *Iurisiurandi formula*

« Ego... firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo, externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse



maxime accomodata. Tertio: Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successores aedificatam. Quarto: Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae. Quinto: certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse coecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

« Me etiam, qua par est, reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris *Pascendi* et in Decreto *Lamentabili* continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. Idem reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse. Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt, christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribenti seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de superna-

http://www.obrascatolicas.com/

turali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo,* quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione;* [1] non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *numquam aliter credatur, numquam aliter* intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata. [2]

« Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus etc. ».

### *De sacra praedicatione*

Quandoquidem praeterea diuturna observatione sit cognitum Nobis, episcoporum curis ut annuntietur divinum Verbum pares non respondere fructus, idque, non tam audientium desidiae, quam oratorum iactantiae tribuendum putemus, qui hominis verbum exhibent magis quam Dei, opportunum censuimus, latine versum evulgare atque Ordinariis commendare documentum, iussu Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium editum die 31 mensis iulii anno 1894 et ad Ordinarios Italiae atque ad religiosarum Familiarum Congregationumque moderatores transmissum. [a]

1. « Et in primis quod ad ea pertinet virtutum ornamenta quibus sacri oratores emineant potissimum oportet, caveant ipsi Ordinarii ac religiosarum familiarum Moderatores ne unquam sanctum hoc

[1] Iren., 4, c. 26, in MG VII, 1056.
[2] *Praescr.* c. 28.
[a] Instr. *La Santità,* diei 31 iulii 1894, in *Acta Leonis XIII,* vol. XIV, 265.



et salutare divini verbi ministerium iis credant qui nec pietate in Deum nec in Christum Filium eius Dominum nostrum caritate ornentur ac redundent. Istae enim si in catholicae doctrinae praeconibus desiderentur animi dotes, quavis tandem ii polleant dicendi facultate, aliud nihil profecto praestabunt quam *aes sonans, aut cymbalum tinniens:* [1] neque unquam id ipsis suppetet a quo evangelicae praedicationis vis omnis ac virtus derivatur, studium videlicet divinae gloriae aeternaeque animorum salutis. Quae quidem oratoribus sacris apprime necessaria pietas, eluceat oportet etiam in externa vitae eorumdem ratione: ne sermone celebratis praeceptis institutisque christianis disserentium mores refragentur: neve iidem opere destruant quod aedificant verbo. Ne quid praeterea profani pietas eiusmodi redoleat: verum ea sit praedita gravitate, ut probet eos esse revera *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* [2] Secus enim, ut scite animadvertit Angelicus, *si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae doctrinae Dei.* [3] At vero pietati ceterisque christianis virtutibus comes ne desit scientia: quum et per se pateat, et diuturna experientia comprobetur, nec sapiens, nec compositum, nec frugiferum dicendi genus posse ab iis afferri, qui doctrina, praesertim sacra, non affluant, quique ingenita quadam freti celeritate verborum, suggestum temere adscendunt ac ferme imparati. Hi profecto aerem verberant, et inscii divina eloquia contemptui obiiciunt ac derisioni; plane digni quibus aptetur divina illa sententia: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* ». [4]

2. « Igitur episcopi et religiosarum familiarum antistites divini verbi ministerium ne cui sacerdoti committant, nisi ante constiterit, ipsum esse pietatis doctrinaeque copia rite instructum. Iidem sedulo advigilent ut ea tantum pertractanda sumantur, quae sacrae praedicationis sunt propria. Quae vero eiusmodi sint Christus Dominus tunc aperuit quum ait: *Praedicate evangelium...* [5] *Docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* [6] Ad quae verba apte S. Thomas: *Praedicatores debent illuminare in credendis, dirigere in operandis, vitanda manifestare, et modo comminando, modo*

[1] *Cor.* XIII, 1.
[2] *I Cor.* IV, 1.
[3] *Comm. in Matth.* V.
[4] *Os.* IV, 6.
[5] *Mc* XVI, 15.
[6] *Mt* XXVIII, 20.

http://www.obrascatolicas.com/

*exhortando, hominibus praedicare.* [1] Et sacrosanctum Concilium Tridentinum: *Annuntiantes eis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere et caelestem gloriam consequi valeant.* [2] Quae omnia fusiore calamo persequutus f. r. Pius IX, haec scripsit: *Non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes, sanctissimae religionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aparteque annuncient; peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles, Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere et caelestem gloriam consequi valeant.* [3] Ex quibus omnibus perspicuum fit, symbolum Apostolorum, divinum decalogum, Ecclesiae praecepta, Sacramenta, virtutes ac vitia, sua cuiusque conditionis officia, novissima hominis et cetera id genus aeterna vera, haec esse propria argumenta de quibus oporteat concionari ».

3. « Sed rerum talium copiam et uberrimam et gravissimam recentiores divini verbi ministri haud raro nil pensi habent; uti obsoletum quid et inane negligunt ac paene abiiciunt. Hi nimirum quum probe compertum habeant recensita rerum momenta captandae populari gratiae, cui tantum inhiant, minus esse idonea; *quae sua sunt quaerentes, non quae Iesu Christi,* [4] eadem plane seponunt; idque vel ipsis quadragesimae diebus ac reliquis solemnioribus anni tempestatibus. Una vero cum rebus immutantes nomina, antiquis concionibus recens quoddam ac minus recte intellectum alloquendi sufficiunt genus, quod *conferentiam* dicunt, menti cogitationique alliciendae magis aptum quam impellendae voluntati atque instaurandis moribus. Hi profecto haud secum reputant conciones morales omnibus, *conferentias* vix paucis prodesse; quorum si moribus diligentius perspectum foret per inculcatam saepe castitatem, animi demissionem, obsequium in Ecclesiae auctoritatem, hoc ipso praeiudicatas de fide opiniones exuerent lucemque veritatis promptiore animo exciperent. Quod enim complures de religione prave sentiunt, maxime inter catholicas gentes, id effrenatis animi cupiditatibus potius est tribuendum, quam vitio aberrantis intelligentiae, secundum divinam sententiam: *De*

[1] Loc. cit.
[2] Sess. V, *De ref.*, c. 2, in MANSI XXXIII, 30-32.
[3] Litt. encycl. *Qui pluribus*, diei 9 novembris 1846, in *Acta Pii IX*, vol. I, 18-19.
[4] *Philip.* II, 21.



*corde exeunt cogitationes malae... blasphemiae.* [1] Hinc Augustinus Psalmistae referens verba: *Dixit insipiens in corde suo: non est Deus,* [2] commentatur: *in corde suo, non in mente sua* ».

4. « Haec tamen non ita sunt accipienda quasi sermones id genus per se omnino sint improbandi, quum contra, si apte tractentur, perutiles possint esse aut etiam necessarii ad refellendos errores, quibus religio impetitur. Sed amovenda omnino est a suggestu pompa illa dicendi, quae in quadam rerum contemplatione magis quam in actione versatur; quae civitatem spectat propius quam religionem; quae denique specie nitet melius quam fructuum ubertate. Ea nempe omnia commentariis et academiis magis accommodata, dignitati atque amplitudini domus Dei minime congruunt. Sermones autem, seu *conferentiae,* quae propositam habent religionis tuitionem contra hostiles impugnationes, etsi quandoque necessarii, non omnium tamen humeris apti sunt, sed validioribus. Atque ipsis quidem oratoribus eximiis magna est adhibenda cautela, quod eiusmodi defensiones haberi non decet nisi ubi tempus aut locus aut audientium conditio eas necessario postulent, spesque adsit non fore fructu vacuas: cuius rei iudicium legitimum penes Ordinarios esse ambiget nemo. Oportet praeterea in sermonibus id genus, probandi vis sacris doctrinis multo plus quam humanae sapientiae verbis innitatur, omniaque nervose dicantur ac dilucide, ne forte mentibus auditorum haereant altius impressae falsae opiniones quam opposita vera, neve obiecta magis quam responsa percellant. Ante omnia vero illud cavendum, ne talium sermonum frequentia moralium concionum dignitatem deminuat ab usuve removeat, quasi hae inferioris ordinis essent ac minoris faciendae prae pugnaci illo dicendi genere, adeoque concionatorum et auditorum vulgo relinquendae; quum contra verissimum sit conciones de moribus plerisque fidelibus esse maxime necessarias; dignitate vero contentiosis disceptationibus minime cedere; ita ut vel a praestantissimis oratoribus, coram quovis elegantiori frequentiorique coetu, saltem identidem summo cum studio essent habendae. Quod nisi fiat, multitudo fidelium cogetur audire semper loquentem de erroribus, a quibus plerique ipsorum abhorrent; nunquam de vitiis ac noxis, quibus eiusmodi auditoria prae ceteris inficiuntur ».

5. « Quod si vitiis haud vacat argumenti delectus, alia, eaque

[1] *Mt* XV, 19.
[2] *Ps.* XIII, 1.

http://www.obrascatolicas.com/

graviora etiam, querenda occurrunt si animum quis referat ad orationis speciem ac formam. Quae, prout egregie edisserit Aquinas, ut reapse sit *lux mundi, tria debet habere praedicator verbi divini: primum est stabilitas, ut non deviet a veritate: secundum est claritas, ut non doceat cum obscuritate: tertium est utilitas, ut quaerat Dei laudem et non suam.* [1] At vero forma hodierna dicendi saepenumero, non modo longe abest ab illa evangelica perspicuitate ac simplicitate quae iisdem deberet esse propria, sed tota posita est in verborum anfractibus atque abditis rebus, quae communem populi captum excedunt. Dolenda sane res ac prophetae deflenda verbis: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* [2] Sed illud etiam miserius, quod saepe his concionibus deest illa species religionis, afflatus ille christianae pietatis, illa denique vis divina ac Sancti Spiritus virtus interius loquentis et ad bonum pie permoventis animos: qua sane vi ac virtute sacris praeconibus semper essent usurpanda Apostoli verba: *Sermo meus, et praedicatio mea, non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.* [3] Iidem contra freti *persuasibilibus* humanae sapientiae verbis, vix aut ne vix quidem animum ad divina eloquia intendunt et ad Scripturas Sanctas, quae sacrae praedicationi potiores uberioresque recludunt latices, uti diserte docebat nuper Sanctissimus Dominus Leo XIII hisce verbis gravissimis: « Haec propria et singularis Scripturarum virtus, a divino afflatu Spiritus Sancti profecta, ea est quae oratori sacro auctoritatem addit, apostolicam praebet dicendi libertatem, nervosam victricemque tribuit eloquentiam. Quisquis enim divini verbi spiritum et robur eloquendo refert, ille non loquitur *in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa.* [4] Quamobrem ii dicendi sunt praepostere improvideque facere, qui ita conciones de religione habent et praecepta divina enunciant, nihil ut fere afferant nisi humanae scientiae et prudentiae verba, suis magis argumentis quam divinis innixi. Istorum scilicet orationem, quantumvis nitentem luminibus, languescere et frigere necesse est, utpote quae igne careat sermonis Dei, eamdemque longe abesse ab illa, qua divinus sermo pollet virtute: *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti: et pertingens usque ad divisionem animae ac spiri-*

[1] Loc. cit.
[2] *Thren.* IV, 4.
[3] *I Cor.* II, 4.
[4] *I Thess.* I, 5.



*tus.* [1] Quamquam hoc etiam prudentioribus assentiendum est, inesse in sacris Litteris mire variam et uberem magnisque dignam rebus eloquentiam: id quod Augustinus pervidit diserteque arguit, [2] atque res ipsa confirmat praestantissimorum in oratoribus sacris, qui nomen suum assiduae Bibliorum consuetudini piaeque meditationi se praecipue debere, grati Deo, affirmarunt ». [3]

« En igitur eloquentiae sacrae fons facile princeps, Biblia. Sed qui ad nova exempla componuntur praecones, dicendi copiam non e *fonte* hauriunt *aquae vivae,* sed abusu haud sane ferendo, se ad *humanae sapientiae cisternas dissipatas* convertunt, et seposita doctrina divinitus inspirata, vel Ecclesiae Patrum et Conciliorum, toti sunt in profanorum recentiorumque atque adeo viventium scriptorum nominibus sententiisque proferendis: quae sane sententiae saepe interpretationibus ansam praebent, aut ambiguis aut valde periculosis. « Alterum offensionis caput iniiciunt qui ita de rebus religionis disserunt, quasi omnia caducae huius vitae emolumentis commodisque metiantur, futurae ac sempiternae pene obliti: qui fructus quidem a christiana religione illatos hominum societati praeclare persequuntur; officia vero ab iisdem servanda dissimulant; Christi Servatoris unam efferunt caritatem; iustitiam silent. Inde istius praedicationis exiguus fructus, qua audita profanus homo persuasionem secumfert, etiam non mutatis moribus se fore christianum, dum dicat: Credo in Christum Iesum ». [4] Verum, quid ipsorum interest fructus colligere? Non id sane propositum habent, sed illud maxime, ut auditorum *prurientes auribus* iisdem assententur; dumque templa referta videant, vacuos animos remanere patiuntur. Hac nempe de causa mentionem iniiciunt nullam de peccato, de novissimis, aliisque maximi momenti rebus, sed in eo toti sunt ut *verba placentia* effundant, tribunicia magis et profana eloquentia quam apostolica et sacra, ut clamores plaususque aucupentur; contra quos ita Hieronymus: *Docente in Ecclesia te, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: auditorum lacrimae laudes tuae sint.* [5] Quo fit ut istorum conciones, quum in sacris aedibus tum extra, scenicum quendam apparatum exhibeant, omnemque speciem sanctitatis et efficaciam adimant. Hinc ab auribus populi et plurium etiam e clero migravit vo-

[1] *Hebr.* IV, 12.
[2] *De Doctr. christ.* IV, 6, 7, in ML XXXIV, 92-98.
[3] N. 232.
[4] Card. Bausa Archiep. Florentin., *Ad iuniorem clerum,* 1892.
[5] *Ad Nepotian.,* n. 8, in ML XXII, 534.

http://www.obrascatolicas.com/

luptas omnis quae a divino verbo hauritur; hinc bonis omnibus iniectae offensiones; hinc vel admodum exiguus, vel plane nullus aberrantium profectus, qui, etiamsi interdum concurrant audituri verba placentia, praesertim si magnificis illis illecti centies resonantibus *humanitatis adscensum, patriam, scientiam recentius invectam*, postquam dicendi peritum effuso prosequuti sunt plausu, templo iidem qui antea discedunt, haud eorum absimiles, qui *mirabantur, sed non convertebantur* ». [1]

« Volens igitur haec Sacra Congregatio, ex mandato Sanctissimi Domini Nostri, tot ac tam improbandos abusus cohibere, Episcopos omnes et eos, qui religiosis Familiis institutisve ecclesiasticis praesunt tamquam supremi moderatores, compellat, ut apostolico pectore sese iisdem opponant omnique studio exstirpandos curent. Memores igitur eorum, quae a SS. Concilio Tridentino praescripta sunt [2] *Viros idoneos ad huiusmodi praedicationis officium assumere tenentur*, in hoc negotio perquam diligenter cauteque se gerant. Si de sacerdotibus agatur suae dioecesis impense caveant Ordinarii ne unquam iidem ad id muneris admittantur, quin *prius de vita et scientia et moribus probati fuerint*, [3] hoc est nisi facto periculo aut alia opportuna ratione illos idoneos esse constiterit. Si vero de sacerdotibus res sit alienae dioecesis, neminem suggestum adscendere sinant, idque solemnioribus praesertim diebus, nisi prius ex testimonio scripto proprii Ordinarii vel religiosi Antistitis constiterit eosdem bonis moribus esse praeditos eique muneri pares. Moderatores vero sui cuiusque Ordinis, Societatis vel Congregationis religiosae neminem prorsus ex propriae disciplinae alumnis obire sinant concionatoris munus, eoque minus litterarum testimonio commendent locorum Ordinariis, nisi eiusdem perspectam habeant et morum probitatem et facultatem concionandi uti decet. Si quem vero commendatum sibi litteris oratorem exceperint ac subinde experti cognoverint, eum in concionando a normis praesentium Litterarum discedere, cito in obsequium adigant. Quod si non audierit, a suggestu prohibeant, iis etiam, si opus fuerit, adhibitis canonicis poenis, quas res videatur postulare ».

Haec praescribenda censuimus aut recolenda, mandantes ut religiose observentur, gravitate permoti succrescentis in dies mali, cui

[1] Ex Aug. in *Mt* XIX, 25.
[2] Sess. V, *De ref.*, c. 2, in Mansi XXXIII, 30-32.
[3] Ibidem.



serius occurri non potest sine summo periculo. Neque enim iam res est, quemadmodum ab initio, cum disputatoribus prodeuntibus *in vestimentis ovium*, sed cum apertis infensisque inimicis, iisque domesticis, qui facto foedere cum Ecclesiae capitalibus hostibus, propositam habent fidei eversionem. Sunt hi nempe, quorum audacia adversus deductam caelo sapientiam quotidie consurgit, cuius corrigendae sibi ius arrogant, quasi esset corrupta; renovandae, quasi esset senio confecta; augendae aptandaeque saeculi placitis, progressionibus, commodis, quasi eadem, non levitati paucorum, sed bono societatis esset adversa.

Hisce ausibus contra evangelicam doctrinam et ecclesiasticam traditionem nunquam satis opponetur vigilantiae aut severitatis nimium ab iis quibus commissa est sacri huius depositi custodia fidelis.

Quae igitur monita et salutaria mandata Motu hoc proprio ac certa scientia ediximus, ab universis catholici orbis quum Ordinariis tum etiam regularium Ordinum institutorumque ecclesiasticorum supremis Magistris religiosissime servanda, rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. [a]

*AAS* II (1910), 655-680; *Fontes* III, 689; *Enchir. Cler.* 831-839.

## SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

### 269

### De diaria legendi prohibitione

(Declaratio diei 25 septembris 1910 circa Motum proprium *Sacrorum Antistitum* [b])

*Dubium* IV: An prohibitio alumnis in seminariis et ecclesiasticis collegiis facta legendi diaria quaevis et commentaria quantumvis optima [c] etiam ad iuvenes regulares in monasteriis et in congregationibus studiis operam dantes extendatur?

*Resp.:* Affirmative.

*AAS* II (1910), 740-741; *Enchir. Cler.* 841.

[a] Nn. 269, 284, 322.
[b] N. 268.
[c] Cfr. etiam S. C. Consist. Epist. *Eminentiae vestrae*, diei 20 octobris 1910, ad Claudium Card. Vaszary, Primatem Hungariae, in *AAS* II (1910), 855-856; *Enchir. Cler.* 846.



http://www.obrascatolicas.com/

# PIUS X

## 270

## Adhortatio ad iuvenes

(Ex sermone *Conspectus vester,* diei 10 novembris 1910, ad Patres Franciscales)

Ad vos autem singulari quadam sollicitudine patet os Nostrum, dilecti iuvenes, qui quasi flosculi e triplici religiosa familia deducti Urbem petivistis, ornaturi animum virtute doctrinaque mentem, ut sanctitatis effluvia lucemque sapientiae per omnes terrarum orbis plagas circumferatis.

Vos Francisci disciplinam profitentes optimam sane partem elegistis, qua genuinam christianae perfectionis imaginem possitis in vitae usum deducere, effectique vere Christi disciplini, non solum communia officia, sed etiam evangelica vivendi praecepta tueri. Vos estis christianae reipublicae selecti cives, qui divini Magistri verba et exempla serio accipientes, Deum, quo decet loco, in sua ipsorum anima vitaque collocarunt; qui religionem quod aequissimum est, maximum et primum negotium esse intellexerunt; qui sempiternam salutem tanti fecerunt, quanti Christus quum dixit: *Porro unum est necessarium;* [a] qui, externis fluxisque bonis abdicatis, ut praecipuum vitae finem unice spectarent, a mundanis rebus ad rerum omnium Conditorem animum avocarunt; qui denique iam non sibi vivere constituerunt, sed Christo Iesu.

Quia vero virtutum omnium exemplar est absolutissimum Christus, idcirco student Eius formam, quod possunt, in se ipsi transferre. Quare similitudinem Eius conantur arripere, illius crucem amplexi et consepulti cum Ipso, uni Deo viventes, fidei et obedientiae iugo mentem animumque mancipantes, carnem crucifigentes ut dominetur spiritus, abstinentia, vigiliis, afflictationibus adimplentes *ea quae desunt passionum Christi* [b] *semper mortificationem Iesu in corpore... circumferentes,* [c] ita ut uniquique liceat affirmare cum Paulo: *Vivo ego, iam non ego; vivit vero in me Christus.* [d] Nec enim

[a] *Lc* X, 42.
[b] *Col.* I, 24.
[c] *II Cor.* IV, 10.
[d] *Gal.* II, 20.



horum os aliud spirat nisi Christum, nec nisi propter Ipsum palpitant praecordia; in Ipso toti vivunt, moventur et sunt; [a] quo fit ut vita praesens sit iisdem instar tirocinii et praeparationis ad longe meliorem, quam prospicientes, mortem habent loco lucri, utpote quae perficiet consumabitque coniunctionem cum Illo, qui fuit ipsorum vita, secundum illud memorati Apostoli: *Mihi vivere Christus est et mori lucrum.* [b]

Sed qui Christum imitari vult, is debet, non solum *facere,* sed etiam *docere.* [c] Atque ad hoc nempe, dilecti iuvenes, huc estis vocati, ut eam doctrinae copiam vobis comparetis, quae valide obiici possit falsi nominis scientiae, fidei pariter ac rationi infensae, et nihilominus affectanti imperium in scholis. Est autem veri nominis scientia illa dumtaxat, quae a SS. Litteris derivatur et a traditionibus ab Ecclesia receptis atque approbatis. Itaque, sive de Fidei principiis agatur, sive de regula morum, sive de legibus disciplinae, sermo vester ne sit hominis unquam, sed Ecclesiae. Neve patiamini imminutionem fieri ullam veritatis aut legis ab Ecclesia propositae cuius doctrina plena est, integra, purissima.

Quae quidem doctrinae integritas ac puritas numquam erit commendata satis. Impugnatis enim acerrime, ut hodie fit, sacris traditionibus, non desunt qui opportunum, aut etiam necessarium ducant, ut Ecclesia interdum a veteri doctrinae severitate recedat. At obiurgent licet Ecclesiam propositi tenacem in custodiendis veris et institutis, quae profanae sapientiae non arrident; nitantur antiquae Matri suadere ut modernistarum recipiat aliqua capita; ut cedat, resque pro opportunitate amice componat; ut sinat haud spernendos homines tranquille vivere, quorum opiniones, ut aiunt, sunt *irreformabiles,* quorum ab ingenio civitas et ipsa Ecclesia multum opis et gloriae exspectare possint. Haec et similia mussitent prudentiores isti viri. Vos, dilecti Filii, verbis Pauli compellabimus ad Timotheum conversis: *Tu autem, o homo Dei, haec fuge: — certa bonum certamen fidei — bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum qui est in nobis. Formam habe sanorum verborum quae a me audisti in fide.* [d] Atque etiamsi postuletur a vobis, ut utilium conventionum gratia aut spe convertendae multitudinis ad causam Religionis, de doctrina

[a] *Act.* XVII, 28.
[b] *Philip.* I, 21.
[c] *Act.* I, 1.
[d] *I Tim.* VI, 11-12, 20; *Rom.* V, 5; *II Tim.* I, 13.

http://www.obrascatolicas.com/

gratificemini aliquid corruptis mundi opinionibus, unusquisque vestrum sibi dicta putet quae Apostolus discipulo suo: *Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia et coram Iesu Christo, qui reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque in adventum Domini Nostri Iesu Christi.* [a] Quando apud homines in pretio esse cessabit incorruptibilis haec doctrina, quando purae et intaminatae veritatis regnum desierit in mundo, tunc Deus excitabit iterum Filium Suum, *quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens Rex regum.* [b] Interim nostrum est, qui Eius legatione fungimur, depositum integre inviolateque servare usque ad adventum Domini ultimum, cum Hilario sancto exclamantes: « Melius est mihi in hoc saeculo mori, quam, alicuius potentia dominante, castam veritatis corrumpere virginitatem ».

Vos autem, dilecti Filii, vitae sanctitatem cum doctrinae puritate atque integritate coniunctam servabitis, si Reginae Ordinis vestri, Deiparae labis nesciae cultum assidui fovebitis. Per Ipsam enim, quae est « speculum iustitiae et sedes sapientiae », omnia nos habere voluit Omnipotens. Magi, quum se Bethleem contulerunt ut adorarent Iesum, *intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre Eius.* [c] Iam Ecclesia domus est, quam subeunti Iesus et Maria occurunt. Ecquid enim christianus est cultus nisi Mariae Filii religio? Si autem quod Deus coniunxit separari non potest, [d] profecto Iesum non invenias nisi cum Maria et per Mariam. Quam iure quidem sancti viri appelarunt « ostensorium vivens ». Ipsa enim nobis in hac valle lacrimarum constitutis viam salutis, Iesum, sedula ostendit; Ipsa clemens et pia nostras Filio porrigit preces, quibus ad Eam quotidie clamamus: « Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exsilium ostende ». Pergat caeli Regina et advocata nostra Maria materno nobiscum fungi munere, ac serius ocius carne exutis det Iesum intueri, non tremendae maiestatis Regem ac severissimum iudicem, sed Servatorem propitium, amicum serenum, misericordem fratrem.

*AAS* II (1910), 907-909.

---

[a] *I Tim.* VI, 13-14.
[b] *I Tim.* VI, 15.
[c] *Mt* II, 11.
[d] *Mt* XIX, 6.



## SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

### 271

### De iureiurando ab ordinandis faciendo

(Declaratio diei 17 decembris 1910, in Motum proprium *Sacrorum Antistitum*)

Propositis huic sacrae Congregationi Consistoriali quae sequuntur dubiis, id est:

I. utrum alumni Religiosi maioribus ordinibus initiandi teneantur dare iusiurandum a Motu-proprio *Sacrorum Antistitum* [a] praescriptum coram Episcopo ordines conferente, an coram moderatore religioso;

II. coram quonam idem iusiurandum praestare debeant Religiosi qui confessionibus excipiendis et sacris concionibus habendis destinantur;

III. in quibusnam tabulariis adservanda sint documenta iusiurandi a superius memoratis Religiosis dati;

Ssm̃us Dominus noster Pius Pp. X, in audientia diei 16 decembris 1910 Cardinali Secretario eiusdem sacrae Congregationis concessa, mandavit ut respondeatur:

ad I. affirmative ad primam partem, negative ad secundam;

ad II. coram eo, a quo approbationem confessionibus excipiendis et sacris concionibus habendis obtinent;

ad III. in tabulario illius Ordinarii, qui iusiurandum recepit.

*AAS* III (1911), 25.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 272

### De conversis seu laicis

(Decretum *Sacrosancta Dei Ecclesia*, diei 1 ianuarii 1911)

Sacrosancta Dei Ecclesia Ordines Religiosos decorandos voluit solemnitate votorum, quo status prosequentium in eis evangelica consilia fieret aestimatione et effectu in christiana societate stabilior. Ad quae vota solemniter profitenda eos quoque admittit, qui nulla Sacerdotii Christi participatione donati, Conversi seu Laici vocantur.

---

[a] N. 268.

http://www.obrascatolicas.com/

Quum vero per votorum solemnitatem prorsus irrevocabili, arctissimo et publico nexu mancipetur homo divino servitio coram Ecclesia et fidelibus universis, decet omnino, ut qui, hac ratione, Christi vestigia se propius ac perpetuo secuturos spoponderunt, ii fideliter in sua promissione perseverent. Quod praesertim de Laicis seu Conversis dicendum est, quos nonnisi admiratione summa et scandalo cernerent fideles, post solemnem professionem ad saecularia vota redire, nullo a se vitae prioris signo distinctos.

Spiritus autem temporum, qui omnimodam libertatem infausto vindicat hominibus, sancta quoque Monasteriorum septa est furtim praetergressus; idque etiam effecit, ut cum desiderio vitae humilioris, absconditae in Christo, qualis Conversorum solet esse in Coenobiis, propositi perseverantia simul imminueretur, in iis praesertim Laicis, quos forsan religiosos potius fecerat necessitas, quam voluntas, vel quos Superiores absque debitis cautelis exceperant, vel quos acceptis a Deo beneficiis abuti contigerat. Hos, parvi facientes verba Sancti Augustini: *Nec ideo te vovisse poeniteat, imo gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus et dicta imple factis; ipse adiuvabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quae in meliora compellit,* [1] mater Ecclesia, studens minori malo, licet non sine magna commiseratione, aliquando permisit abire.

Ut igitur dignitas votorum, quae etiam Laici solemni ritu promittunt, in laude, qua in Ecclesia merito gaudent, perseveret, et ad sanctum vocationis propositum impensiore cura provehendum, nostra difficillima aetate, haec Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, rem attentissime in Domino consideravit, discussis sedulo causis, propositisque mediis ac remediis; sententiamque expetivit quum Moderatorum Generalium praecipuorum Ordinum, tum plurium ex suis Consultoribus. Quae omnia Emi Patres Cardinales Sacri eiusdem Consessus, in Plenario Coetu, die 29 iulii anno 1910 ad Vaticanum habito, diligentissime perpendentes, quaedam statuenda rati sunt, quae Laicorum ingressus, tyrocinium, institutionem, votorum emissionem in posterum opportune moderentur.

Haec igitur erunt apprime servanda ab omnibus Religiosis Familiis, apud quas a Conversis quoque solemnia vota nuncupantur, nimirum:

1. Moderatoribus Generalibus facultas fit permittendi toties

[1] S. AUGUST., *Epist. CXXVII,* 8, in ML XXXIII, 487.



quoties Superioribus Provincialibus, ut excipere valeant eos quoque iuvenes, ad Laicorum munia destinatos, qui vix expleverint decimum septimum aetatis annum, servatis servandis.

2. Nemo ad Novitiatum admittatur, qui per duos saltem annos, vel per plures, si magis diuturnum experimentum Constitutiones Ordinis praescribant, postulatum non expleverit, sub poena invalidae postea professionis.

3. Novitiatus ante vigesimum primum aetatis annum initium non habeat, ad tramitem iuris vigentis; isque unum vel etiam duos annos perduret, iuxta proprii Ordinis Constitutiones.

4. Expleto Novitiatu, servatisque quae servanda sunt, Laici admitti possunt ad simplicem votorum professionem, quae quidem, perpetua ex parte voventis, sit ad tempus sexennii ex parte Ordinis.

5. Absoluto sexennio votorum simplicium et expleto trigesimo aetatis anno ac non prius, sub poena item invaliditatis, servatisque pariter servandis, Laici vota solemnia nuncupare poterunt.

6. Quae in praecedentibus articulis respiciunt professionem votorum simplicium et solemnium erunt quoque servanda quoad Laicos nunc in Coenobiis viventes, qui solemnem professionem nondum nuncuparunt.

Spatium hoc sat diuturnum novem annorum sperandum est, fore ut quum Superioribus tum tyronibus opportunitatem det explorandi illinc voluntatem, hinc vitae institutum, ad quod postea solemniter amplectendum, virtute firmior, potest homo maturius afferre iudicium.

Haec autem aliquam, non tamen omnino firmam darent perseverantiae spem, nisi ea comitentur sequentes et aliae id genus cautelae et industriae, quas Apostolica Sedes, decursu saeculorum, edixit vel adhibendas suasit, et observantiores Familiae Religiosae laudabili consuetudine et felici exitu expertae sunt.

Et in primis quoad Conversorum receptionem, multae sunt eaeque sedulae adhibendae cautelae et inquisitiones praemittendae. Provincialis indaget oportet de legitimitate natalium, de morum honestate, de optima coram populo fama, de idoneitate tyronum, ac praesertim de natura finis, quo ipi aguntur, amplectendi statum Religiosum. Plures enim sunt, qui Religionem ingressi, non videntur commoda dereliquisse, sed quaerere; qui quaerunt *in Monasterio quae nec foris habere potuerunt,* [1] quique facilem vitam curarumque

[1] S. AUGUST., *Regula,* c. I, 3, in ML XXXII, 1379.

expertem, immerito nominis honore, gerere cupiunt. Hi sane non sunt, quibus cum Sancto Augustino exclamare fas est: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat!* [1] Erunt quidem hi habitu Religiosi, non virtute, quos rectius fuerat in saeculo ambulasse per plana, quam ad altiora tendentes forsan in discrimen suam aeternam vocare salutem.

Quos factae, etiam secreto, inquisitiones et exhibita documenta serio commendaverint, ii tantum, praehabita de more maiorum Superiorum licentia, ad Postulatum admittantur.

*Satis exploratum est,* habet Clemens VIII in Instructione *Cum ad regularem,* [2] super receptione et educatione Novitiorum, *perfectam educationem* Conversorum *tum Religioni decorem et ornamentum, tum aliis Christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre.* Necesse igitur est, ut statim ab ipso initio eorum animum spiritus Religiosus et Ordinis totum pervadat. *Qui disciplinam in novae conversationis initio negligit, ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam primo quis recipit, vix deponit.* [3]

Ad hoc assequendum praeficiatur Postulantibus Pater, quem et aetas probaverit et vita, cui dicit Sanctus Bernardus: *Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia,* [4] et de quo Sanctus Gregorius Magnus scripsit: [5] *Curandum quippe est ut rectorem subditis et matrem pietas et patrem exhibeat disciplina. Atque inter haec sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa... Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.*

Saepe ab ipsa civili educatione initium ducendum est; quum inferioris soleant esse fortunae qui Laicorum numero petunt adscribi. Inurbanitas in agendi modis, in responsionibus dandis, in incessu, in ipsa corporis sumenda refectione, erit paulatim, sed omnino, evellenda. Sordidi habitus, quos sibi non amor humilitatis et contemptus mundi sollicite elegit, sed rudis negligentia foedavit, non

[1] S. AUGUST., *Confessiones*, l. 9, c. 1, in ML XXXII, 763.
[2] N. 132 sub 15.
[3] S. BONAVENTURA, *in Spec. Disc.*, prolog., n. 1.
[4] S. BERNARDUS, *Serm.* 20, n. 4, Cant., in ML CLXXXIII, 868.
[5] S. GREGORIUS M., *Reg. Past.*, p. 2, c. 6, in ML LXXVII, 38.



olent spiritum Christi, ideoque non semper bene de iis, quorum corpora tegunt, annuntiant. Corporis habitusque mundities, comite semper modestia ac simplicitate, erit summopere curanda. Quas item in mundo civilis educatio moderatas regulas constituit humani consortii, eas caritas quoque fraterna adhibendas suadet etiam in Coenobiis, quum caritatis sit, quidquid proximum perturbare potest, attente defugere. Inurbanitas autem, quae ex studio sui commodi procedit cum aliorum neglectu, non potest quin molestiam aliis inferat detque occasionem patientiae.

Externe haec sese habendi compositio viam sternit animo plenius educando, iis scilicet nobilibus sensibus infundendis, quibus mens trahitur ad aliorum levem quamque offensionem vitandam, desideria praevenienda, gratum animum facile demonstrandum, alios sibi praeferendos.

Haec tamen singula informet oportet, regat ac nobilitet caritas Christi, ita ut quidquid verbis, operibus, omissionibus nostris laudabile est ac proximo gratum, procedat ex corde pleno caritatis.

Quae omnia, si Laicos decent, summopere eminere debent in Sacerdotibus et iis, qui ad sacerdotium erunt promovendi, quorum igitur Laici intuentes exempla, pertrahantur non solum ad virtutis, sed etiam ad modestae urbanitatis tramitem prosequendum.

Monitis, hortamentis, patientia ac praesertim exemplo, rudiorum quoque non erit difficile in urbanos et amabiles ita convertere mores ac modus, ut, non multo post eorum ingressum in Religionem, de ipsis repetere liceat illud Sancti Bernardi: *Induerunt sibi faciem disciplinatam, et bonam totius corporis compositionem... sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Verum, quia haec noviter coepere, ipsa sui novitate flores censenda sunt et spes fructuum, magis quam fructus.* [1]

Fructus hos quidem gignet institutio spiritualis, cui toti sint cum Postulantibus Praepositus, et cum Novitiis Magister. Laicorum profectum in viam sanctitatis faciant ipsi opus et lucrum suum, opus et lucrum sane nobile et ingens.

Ad normam Decretorum Apostolicae Sedis, eis explicent universam doctrinam christianam, praesertim quoad sacramenta confessionis et communionis rite et fructuose percipienda, prae oculis habentes Catechismum Concilii Tridentini ad Parochos. Simul eos doceant, quasnam obligationes secum trahat votorum professio, quid

[1] S. BERNARDUS, *Serm.* 63 *in Cant.*, n. 6, in ML CLXXXIII, 1083.

http://www.obrascatolicas.com/

exigant votis respondentes virtutes. Eas quoque explanent Regulae et Constitutionum partes, quae ad Conversos pertinent.

Habeantur statis diebus collectiones seu sermones ad Laicos, non tantum vero ad novos, sed ad omnes, seniores quoque votorum professione et aetate; quibus collectionibus seu sermonibus argumentum sint non solum catechismus, vitae spiritualis monita, Regulae et Constitutionum explanatio, verum etiam normae practicae et exempla modestae moderataeque urbanitatis.

Laicorum autem animum iis virtutibus ac praesidiis Superiores roborare satagant, quae Laicorum status, praecipua quadam ratione, reposcit, nempe humilitate, obedientia, spiritu orationis ac sanctificatione laboris.

Et in primis, exteriorem et cordis humilitatem studeant assequi Laici. *Nec aliam tibi... viam munias, quam quae munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: et quoties interroges, hoc dicerem.* [1] Nam, ut habet divus Bernardus: [2] *Virtutum... stabile fundamentum, humilitas...; si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est.* Quod ita explicat Sanctus Thomas: *Humilitas primum locum tenet, inquantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, et praebet hominem subditum et semper patulum ad suscipiendum influxum divinae gratiae, inquantum evacuat inflationem superbiae: ut dicitur Iac. IV, 6, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; et secundum hoc, humilitas dicitur spiritualis aedificii fundamentum.* [3]

Quum vero *ad veram humilitatem inducat frequens in despectis operibus exercitatio, dicente Sacra Scriptura quod numquam ad humilitatis virtutem perveniet qui opera humilitatis refugit,* [4] muneribus quibus funguntur, eo potissimum debent gaudere Laici, quod humilitatis exercendae et augendae veluti indeficientem habeant opportunitatem.

Excellat quoque in Laicis obedientia. Noverint in ea nullum esse peccandi periculum; cum ea, certissima est victoria, inexpugnabile tutamen, merita plurima, pax summa. Sit autem oportet munita supernaturalibus motivis. Iuxta Sanctorum documenta, rectores nostri sunt vicarii Dei super nos. Et ideo debemus eis sicut Domino obe-

[1] S. August., *Epist.* CXVIII, 22, in ML XXXIII, 442.
[2] S. Bernardus, *De Cons.*, l. 5, c. 14, n. 32, in ML CLXXXII, 806.
[3] II-II, q. 161, a. 5, ad 2.
[4] B. Alb., *De Par. Animae*, c. 2.



dire et non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subiacemus. Ac Sanctus Gregorius Magnus docet: *Vera namque obedientia nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit... Qui obedientiae bonum exsequitur, non iniunctum opus debet considerare, sed fructum.* [1] Quapropter Sanctus Bernardus merito improperat eorum obedientiam, qui *non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt et diiudicant, eligentes in quibus obediant imperanti;* [2] et quos constat, iuxta eumdem Sanctum Bernardum, *nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas.* [3] Huic exercendae virtuti validissimum dent auxilium et animum verba et exempla Christi Iesu, qui non desiit asseverare: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam. Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ego quae placita sunt ei, facio semper. Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. Pater mi,... non sicut ego volo, sed sicut tu;* [4] quique *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* [5]

Spiritus quoque orationis erit magnopere provehendus. *Orandi diligentia tibi in primis necessaria est: impenetrabilis enim armatura, certum perfugium, securus portus, tutissimumque asylum est oratio. Haec una et mala omnia depellit ab anima, et bona omnia in illam invehit. Ipsa animam purgat, poenam peccatis debitam submovet, praeteritas negligentias sarcit, divinam gratiam impetrat, pravas concupiscentias extinguit, effrenatas animi passiones domat, hostes prosternit, tentationes superat, calamitates lenit, moerorem fugat, laetitiam infundit, pacem conciliat, hominem Deo coniungit, coniunctumque ad aeternam gloriam sublevat. Precando impetrabis quidquid utile tibi fuerit.* [6] Clemens VIII ad Conversorum religiosam institutionem id quoque praescripsit: *Pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt.* [7]

[1] *In I Reg.*, l. 2, c. 4, n. 11, in ML LXXIX, 131.
[2] *In conv. S. Pauli*, Serm. I, n. 6.
[3] *De praec. et dispensat.*, c. 10, n. 23, in ML CLXXXII, 874.
[4] *Io* VI, 38; V, 30; XIV, 31; VIII, 29; IV, 34; *Mt* XXVI, 39.
[5] *Philip.* II, 8.
[6] Lud. Blosius, *Canon vitae spirit.*, c. 17, n. 1.
[7] N. 132 sub 15.

http://www.obrascatolicas.com/

Curandum igitur est, ut bene noscant Laici virtutem et exercitium orationis; ut statis horis orationi quum mentali tum vocali fideliter vacent; ut tempus ad hoc statutum in Constitutionibus Ordinis unice orationi integrumque dicent; nec satis sit eos meditationi operam dare, quum Missis inserviunt. Indagent autem Superiores, praesertim postquam Laici tyrocinium absolverint, utrum meditationi et orationibus incumbant.

Brevium quoque orationum, quas iaculatorias vocant, sit ipsis usus continuus inter diem. Compendiosa est enim via ad consequendam animae unionem cum Deo, ad merita augenda, ad rectam intentionem servandam, ad tentationes praeripiendas et superandas, ad omnia sanctitate extollenda.

Manuale opus, quod in Coenobiis est munus Laicorum praecipuum, pariter sanctificent, non ad oculum servientes, non laudis expetentes praemium, sed unice voluntatis Dei ac Superiorum solliciti. *Quam pudendum et dolendum est, si delectat labor, ut... cuppa et sacculus impleatur... et non delectat, ut Deus acquiratur.* [1] *Quanta apud Deum merces, si in praesenti pretium non sperarent! Quantis sudoribus haereditas cassa expetitur! Minori labore margaritum Christi emi poterat.* [2]

Habeant tandem prae oculis monita Sancti Bonaventurae: *Continue mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quod omne opus tuum atque exercitium tam mentis quam corporis sit oratio, omniaque servitia, et maxime humiliora cum tanto facias caritatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Quod certe debes et potes veraciter cogitare, quoniam ipse dixit in Evangelio: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* [a] *Scias indubitanter, carissime frater, quod nisi perfecte abnegaveris temetipsum, sequi non poteris vestigia Salvatoris et sine sollicitudine continua et labore eius gratiam adipisci nequibis, et nisi te instanter in timore Dei tenueris, cito domus tua corruet in profundum.* [3]

Ad quae omnia consequenda Laici sacrae mensae assidui sint per frequentem, imo etiam quotidianam Ssm̃ae Eucharistiae sumptionem ad normam recentiorum instructionum Apostolicae Sedis. [b]

---

[1] S. AUGUST., *De bon. vid.*, c. 21, in ML XL, 448.
[2] S. HIERON., *Ad Nep.*, *de vita cler. et monac.*, 6, in ML XXII, 533.
[3] *Memorial.*, n. 15 et 25 conclus.

[a] *Mt* XXV, 40.
[b] Nn. 227, 251.



Itemque omnino peculiarem colant devotionem erga Deiparam Virginem Mariam, quam ut suam amantissimam matrem semper invocare, honorare et imitari conentur.

Curent quoque Superiores, ut Sacerdotes et Laici mutuam sibi summamque observantiam et caritatem adhibeant. Revereantur Laici Presbyteros, a quibus ministeria ac mysteria maxima accipiunt. Honorent Presbyteri Laicos et *studeant... de pauperum fratrum societate gloriari.* [1] Id meminerint Sacerdotes, plurimos in Religiosis Ordinibus Laicos, ab humilioribus occupationibus, quibus per vitam functi fuerant, ad altarium honores evectos et inter beatos Coelites post mortem adnumeratos fuisse. Illud igitur genus vitae in Laicis pia colant observantia, quod tam frequenti et mirificae sanctitati aditum patefecit.

Ne gravitate munerum exercendorum in Conventu Laici superbiant, animo efferantur et parvi faciant ipsos Sacerdotes, officia graviora cuiusvis generis ne demandentur eis, nisi necessitate cogente, idque fiat semper sub omnimoda dependentia et obedientia alicuius patris gravioris aetatis et consilii, cui agendorum et gestorum ipsi rationem fideliter reddant.

Haec sufficiant de plurimis pauca.

Ceterum haec Sacra Congregatio summopere confidit, fore ut Superiores Generales omnium Ordinum Religiosorum ad simile vitae studium pro viribus provocare nitantur suos Laicos. Sic eorum vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. Nam *nil tam fixum animo, quod neglectu et tempore non obsolescat.* [2] *In hoc enim differunt laudabiles religiones et iam dilapsae, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose praecludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur et diligantur, ut perseverent et in melius semper proficiant.* [3]

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X relatis, Sanctitas Sua ea rata habere et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque non obstantibus, etiam speciali mentione dignis. [a]

*AAS* III (1911), 29-36; *Fontes* VI, 4407.

---

[1] S. AUGUST., *Regula*, c. I, 5, in ML XXXII, 1375.
[2] S. BERNAR., *De Cons.*, l. 1, c. 2, in ML CLXXXII, 729.
[3] S. BONAVENTURA, *De sex alis Seraph.*, c. 2, n. 13.

[a] Nn. 178, 329.

http://www.obrascatolicas.com/

## 273

### De religiosis servitio militari adstrictis

(Decretum *Inter reliquas,* diei 1 ianuarii 1911)

Inter reliquas difficultates, quibus premitur Ecclesia Christi nostris temporibus, ea quoque recensenda lex est, qua ad militiam adiguntur etiam iuvenes, qui in religiosis Familiis Deo famulantur.

Nemo sane non videt, quantum detrimenti ex hac infausta lege provenire possit, quum iuvenibus, tum ipsis Sodalitatibus. Dum enim militiae vacant religiosi tyrones, facile vitiis maculari possunt, quibus infecti, vel, neglectis, quae emiserant, votis, ad saecularia remigrabunt, vel quod longe peius est, religiosam repetent domum, cum periculo alios contaminandi.

Ad haec igitur praecavenda mala, Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, in Plenario Coetu Em̃orum Patrum Cardinalium, die 26 mensis augusti 1910 ad Vaticanum coadunato, sequentia decrevit:

I. In Ordinibus Regularibus, in quibus vota solemnia emittuntur, iuvenes, quos exemptos esse certo non constet a servitio militari activo, scilicet ab eo servitio, quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent, admitti nequeunt ad Sacros Ordines vel ad solemnem professionem, quousque non peregerint servitium militare et, hoc expleto, saltem per annum, iuxta infra dicenda, in votis simplicibus permanserint, servato quoad Laicos decreto *Sacrosancta Dei Ecclesia,* hac eadem die edito.

II. In Institutis votorum simplicium iuvenes, de quibus in articulo praecedenti, ad vota dumtaxat temporaria admitti poterunt usque ad tempus militaris servitii: nec illis, dum militiae operam dant, professionem renovare liceat. A militari servitio dimissi cum fuerint, professionem iterum, saltem ad annum, emittent, antequam professionis perpetuae vinculo se obstringant.

III. Caveant autem iuvenes militiae servientes, ne sanctae vocationis donum amittant ac ea semper modestia et cautela conversentur, quae decet Religiosos viros. Quamobrem a locis et conventiculis suspectis abhorreant, a theatris, choreis aliisque spectaculis publicis abstineant; malorum commercium, lubricas conversationes, res a religione absonas, viros doctrinas suspectas profitentes, lectiones moribus aut fidei a S. Sedis dictatis contrarias ceteraque pec-



candi pericula evitent; ecclesias, sacramenta, quantum eis liceat, frequentare non omittant; circulos seu coetus catholicos ad animi recreationem et instructionem adeant.

IV. Ubicumque eorum statio ponatur, si ibi domus suae Religionis aut Instituti habeatur, eam frequentent et sub Superioris immediata vigilantia sint. Si vero domus praedicta non adsit, vel eam commode frequentare nequeant, sacerdotem ab Episcopo designatum adeant, eius consiliis et consuetudine utantur, ut quando eamdem stationem deserere oporteat, testimonium in scriptis de observantia eorum omnium, quae in articulo praecedenti praescripta sunt, ab eodem accipere valeant. Quodsi sacerdos ab Episcopo designatus non habeatur, ipsi sibi eligant prudentem sacerdotem, statim indicandum Superioribus suis, qui ab Ordinario de moribus, doctrina et prudentia eiusdem sibi notitias comparabunt. Praeterea, epistolarum commercium instituant ac, quantum fieri potest, sedulo persequantur cum suo respectivo Superiore aliove religioso seu sodali sui Instituti ad id designato, quem certiorem faciant de suae vitae ratione et conditione, de singulis mutationibus suae stationis et praesertim illi notificent nomen et domicilium illius sacerdotis, cuius consuetudine et directione utuntur, ut supra praescriptum est.

V. Superiores Generales aut Provinciales etiam locales iuxta uniuscuiusque Instituti morem, per se vel delegatum sodalem (qui sacerdotali ordine sit insignitus in clericalibus Institutis) de vita, moribus et conversatione alumnorum, perdurante militari servitio, inquirere omnino teneantur, opera praecipue sacerdotis vel sacerdotum, de quibus supra, per secretas epistolas, si opus sit, ut certiores fiant, an ii rectam fidei et morum viam servaverint, cautelas supra praescriptas observaverint et divinae vocationi se fideles praebuerint, graviter onerata eorum conscientia.

VI. Cum a militari servitio activo definitive dimissi fuerint, recto tramite ad suas quisque religiosas domus remeare teneatur, ibique, si certo constet de eorum bona conversatione, ut in articulo praecedenti dictum est, praemissis aliquot diebus sanctae recollectionis, qui Institutis votorum simplicium addicti sunt, ad renovandam professionem temporariam admittantur; in Ordinibus vero Regularibus, inter iuniores clericos seu professos, aut saltem in domo, ubi perfecta vigeat regularis observantia, sub speciali vigilantia et directione religiosi, pietate et prudentia commendabilis, qui in Institutis clericalibus sacerdos esse debet, collocentur. In eo statu integrum tempus (quod minus anno esse non poterit iuxta dicta in articulis I et

http://www.obrascatolicas.com/

II) ad tramitem Apostolicarum Praescriptionum et propriae Religiosae Familiae Constitutionum praemittendum votis solemnibus vel perpetuis, complere debent, ita tamen, ut computetur quidem tempus in votis simplicibus vel temporaneis transactum a prima votorum emissione usque ad discessum a domo religiosa, servitii militaris causa; non vero quod militiae datum fuit.

VII. Eo tempore, studiis et regulari observantiae dent operam; Superiores autem immediati ac sodales iuniorum directioni praepositi eos diligentissime considerent, eorum mores, vitae fervorem, placita, doctrinas, perseverandi studium perscrutentur, ut de eis ante ultimam professionem maioribus Superioribus rationem sub fide iuramenti reddere valeant.

VIII. Si qui, perdurante militari servitio vel eo finito, antequam ad professionem solemnem aut perpetuam admittantur, dubia perseverantiae signa dederint, vel praescriptis cautelis militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint, a Superiore Generali de consensu suorum Consiliariorum seu Definitorum dimittantur, eorumque vota ipso dimissionis actu soluta habeantur. Quodsi ipsi iuvenes a votorum vinculo se relaxari desiderent aut sponte petant, facultas fit Superioribus praedictis, tanquam Apostolicae Sedis delegatis, vota solvendi, si agatur de Institutis clericalibus: si vero res sit de Institutis laicorum, vota soluta censeantur per litteras Superiorum, quibus licentia eis fit ad saeculum redeundi.

IX. Hisce praescriptis teneantur etiam ecclesiasticae Societates, quae, licet non utantur votis, neque solemnibus neque simplicibus, habent tamen simplices promissiones, quibus earum alumni ipsis Societatibus adstringuntur.

X. Si quid novi in hoc Decreto non praevisum, vel si quid dubii in ipsius intelligentia occurrerit, ad hanc S. Congregationem in singulis casibus recurratur.

Quae omnia Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente Subsecretario, rata habere et confirmare dignatus est, die 27 eiusdem mensis augusti 1910.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. [a]

*AAS* III (1911), 37-39; *Anal. eccl.* XIX (1911), 52-53; *Fontes* VI, 4408.

---

[a] Nn. 262, 276, 328, 370, 372, 375.



## 274

### De methodo servanda in ferenda sententia expulsionis vel dimissionis

(Decretum *Quum singulae*, diei 16 maii 1911)

Quum singulae praescriptiones ac solemnitates a iure statutae, praesertim ab Urbano VIII, ad ferendam sententiam expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis Religiosis, commode servari nequeant, huic Sacrae Congregationi opportunum visum est alias statuere praescriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accommodatas.

Quare Em̃i Patres Cardinales eiusdem Sacrae Congregationis, in Plenario Coetu die 3 martii 1911 ad Vaticanum habito, sequentia statuere decreverunt, nempe:

1. Curiam competentem vel Tribunal competens ad ferendam sententiam constituunt Superior seu Moderator Generalis et Definitores vel Consiliarii seu Adsistentes, non minus quatuor; si qui deficiant, eorum loco totidem Religiosos eligat Praeses Curiae vel Tribunalis, de consensu aliorum Consiliariorum.

In Congregationibus Monachorum Tribunal constituunt Abbas Generalis cum suo Consilio. Si aliqua Abbatia nulli adnexa sit Congregationi, recurrendum ad Sanctam Sedem in singulis casibus.

2. In qualibet Curia seu Tribunali constituatur a Consilio Generali Promotor Iustitiae pro iuris et legis tutela, qui sit Religiosus eiusdem Ordinis vel Congregationis.

3. Processus dumtaxat Summarius in posterum instituatur in expellendis vel dimittendis Religiosis, qui vel vota solemnia in Ordinibus, vel vota perpetua in Congregationibus vel Institutis professi sunt, vel, si vota tantum temporanea emiserint, tamen in Sacris sunt constituti; salvis specialibus privilegiis, quibus aliquis Ordo vel Institutum gaudeat.

4. Ad processum instruendum deveniri nequit, nisi postquam trina et data monitio et inflicta correctio incassum cesserint, salvis exceptionibus sub num. 17 et 18.

5. Monitio facienda est a legitimo Superiore etiam locali de mandato tamen vel licentia Superioris Provincialis seu quasi-Provincialis; qui postremae monitioni opportune adiunget expulsionis vel dimissionis comminationem. Ad effectum expulsionis vel dimissionis non



http://www.obrascatolicas.com/

valet monitio vel correctio, nisi ob grave aliquod delictum data fuerit.

6. Monitiones repeti nequeunt, nisi delictum repetitum fuerit, sed in delictis continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter unam et alteram monitionem spatium saltem duorum dierum integrorum. Post ultimam monitionem sex dies integros erit exspectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

7. Ex processu constare debet de Conventi reitate, necnon de gravitate et numero delictorum, de facto triplicis monitionis, et de defectu resipiscentiae post trinam monitionem.

8. Ut de Conventi reitate constet, tales probationes afferendae sunt, quae animum viri prudentis moveant. Hae probationes desumi possunt ex rei confessione, ex depositione duorum saltem testium fide dignorum, iuramento firmata, atque aliis adminiculis roborata et ex authenticis documentis.

9. Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a gravitate doli, et a gravitate damni, sive moralis sive materialis Communitati illati.

10. Ad effectum, de quo agitur, requiruntur ad minus tria crimina gravia eiusdem speciei, vel, si diversae, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, vel unum tantum crimen permanens, quod triplici monitione virtualiter triplex fiat.

11. Ut constet de facto triplicis monitionis regulariter de hoc afferri debet authenticum documentum. Proinde oportet:

*a*) ut haec fiat vel coram duobus testibus, vel per epistolam, a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis vel repudii;

*b*) ut documentum redigatur de peracta monitione, a dictis testibus subscriptum et in Regestis, vel Tabulario, servandum: vel ut exemplar conficiatur supradictae epistolae, a duobus item testibus pro conformitatis testimonio ante expeditionem subscriptum et in Regestis vel Tabulario pariter asservandum.

12. Defectum resipiscentiae probant novum crimen, post trinam monitionem commissum, vel pervicax et obdurata agendi ratio delinquentis.

13. Superior Provincialis vel quasi-Provincialis Religiosi delinquentis, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta, quae de huius Religiosi reitate exstant diligenter colliget et ad Superiorem Generalem transmittet, qui ea



tradere debet Procuratori Iustitiae, ut ea examinet et suas accusationes, si quas proponendas existimabit, proponat.

14. Accusationes a Procuratore Iustitiae propositae et Processus resultantia accusato notificari debent, eidemque tempus congruum, arbitrio Iudicis determinandum, concedi, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium eiusdem Ordinis vel Instituti Religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Curia vel Tribunal defensorem alumnum respectivi Ordinis vel Instituti ex officio constituere debet.

15. Curia seu Tribunal, diligenter perpensis allegationibus sive Promotoris sive Rei, si quidem eas adversari iudicaverit Convento, sententiam expulsionis vel dimissionis pronuntiare poterit; quae tamen si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad Sacram Congregationem de Religiosis appellaverit, executioni demandari nequit, donec per eamdem Sacram Congregationem iudicium latum fuerit.

16. Non obstante autem appellatione, reus poterit ad saeculum statim remitti a Moderatore supremo vel Abbate Generali, cum consensu sui Capituli vel Consilii, si ex eius praesentia periculum vel gravissimi scandali, vel damni item gravissimi Communitati eorumque alumnis immineat. Interim habitum dimittat et maneat suspensus, si in Sacris constitutus sit.

17. Qui reus fuerit etiam unius tantum delicti, ex quo periculum gravis scandali publici vel gravissimum detrimentum toti Communitati immineat, poterit, etiam a Superiore Provinciali vel Abbate, ad saeculum item remitti, habitu religioso illico deposito; dummodo certo constiterit de ipso delicto et de religiosi, cui illud imputatur, reitate; et interim instituatur Processus ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam. Qui in Sacris constituti sunt, pariter suspensi maneant.

18. Item contra quaedam delicta censetur veluti lata a iure poena expulsionis vel dimissionis. Quae delicta sunt:

*a*) publica apostasia a Fide Catholica;

*b*) apostasia ab Ordine vel Instituto, nisi intra tres menses Religiosus redierit;

*c*) fuga a Monasterio, suscepta secum muliere;

*d*) et multo magis contractus, ut aiunt, civilis, vel attentatio aut celebratio matrimonii, etiam validi, seu quando vota non sint solemnia vel non habeant solemnium effectum.

http://www.obrascatolicas.com/

Sufficit in istis casibus, ut Superior Generalis vel Provincialis cum suo respectivo Consilio emittat sententiam declaratoriam facti.

19. Sententia expulsionis vel dimissionis, quocumque modo lata, si agatur de Religioso in Sacris, illico communicanda erit Ordinario originis et Ordinario loci, ubi ille moratur, aut sedem suam statuere velle dignoscatur.

20. Omnes Religiosi, de quibus agitur, in Sacris constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a competente Auctoritate, post emendationem vitae, dispensationem obtinuerint. Religiosi vel Clerici, non in Sacris, expulsi vel dimissi, prohibentur, quominus ad superiores Ordines adscendant sine venia Sanctae Sedis. Omnes autem expulsi vel dimissi, etiamsi sese vere emendaverint, ad suum vel ad alium Ordinem vel Congregationem admitti non poterunt, absque speciali licentia Sedis Apostolicae.

21. Ad expellendas Moniales, vota sive solemnia sive simplicia in Ordine proprie dicto professas, et ad dimittendas Sorores, quae vota perpetua emiserunt in Institutis Religiosis, exiguntur graves causae exteriores, una cum incorrigibilitate, iudicio Abbatissae vel Superiorissae cum suo Consilio, respective manifestando per secreta suffragia, experimento prius habito, ita ut spes resipiscentiae evanuerit et ex continuis culpis Monialis vel Sororis incorrigibilis damna immineant Monasterio vel Instituto. Causae minus graves requiruntur ad dimittendas Sorores votorum simplicium in Ordinibus Religiosis. Iustae et graves causae probari debent ab Ordinario loci et, si Monasterium Regularibus subiectum sit, etiam a Superiore Regulari. Insuper accedat necesse est confirmatio Sacrae Congregationis, ita ut expulsio vel dimissio ex parte Ordinis vel Instituti, iuridicum effectum non sortiatur, antequam a Sacra Congregatione confirmata fuerit. Solummodo in casu gravis scandali exterioris, Episcopo loci approbante, Monialis vel Soror statim ad saeculum remitti possit, ita tamen ut Sanctae Sedis confirmatio absque mora petatur.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Decimo relatis ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario die octava martii 1911, Sanctitas Sua Decretum hoc approbare et confirmare dignata est; contrariis non obstantibus quibuscumque. [a]

*AAS* III (1911), 235-238; *Sylloge*, 38.

---

[a] De ordine servando in causis super nullitate professionis regularis vide etiam Benedicti XIV Const. ap. *Si datam*, diei 4 martii 1748, in BRc II, 331-339.



## PIUS X

### 275

### De summa ad divinum exercendum ministerium studiorum necessitate, congruentia, utilitate

(Epist. ap. *Quod accepimus*, diei 25 octobris 1911, ad Pacificum a Seiano, Min. Gen. Ordinis Capulatorum)

Quod accepimus propediem fore, ut Urbanum Laurentii Brundusini Collegium dedicetur, vehementer Nobis gratum accidit: laudamusque providentiam curamque tuam, dilecte fili, qui alumnis optimae spei ex omni religiosa familia quam moderaris, ad exquisitiorem disciplinam erudiendis hanc domum aperueris. Velle sacram iuventutem doctrinae laude florere, saluberrimum sane consilium est, planeque his temporibus congruens. Nam hodie maxime, cum, ob eruditionem late propagatam, virtus ipsa quae non sit satis polita studiis contemnitur, si quidem clerus adulescens ad divinum exercendum ministerium, bene a doctrina instructus, accesserit, non modo dignitatem sacerdotii tuebitur aptius, sed, quod maius est, in sacris ipsis muneribus multo versabitur utilius. Atque hoc de clericis Ordinum religiosorum etiam, non de iis dumtaxat qui in medio aestu *saeculi* vivunt, est dicendum. Est igitur, cur tibi, dilicte fili, gratulemur ob institutum huiusmodi, quod et Fratrum Capulatorum familiae, et populo christiano valde potest evenire frugiferum. Eveniet autem sine dubitatione ulla, si hac lege sancte dirigatur, ut propria Franciscanae disciplinae natura atque ratio in omni ipsius temperatione spiret. Quare uberem doctrinae eiusque sanae et incorruptae copiam percipiant alumni; at simul, quia, vacua virtutum solidarum pondere, *scientia inflat,* [a] idcirco humilitatis et obedientiae, paupertatis et paenitentiae spiritum penitus inbibant: haec enim sunt tamquam animi lineamenta Francisci beatissimi, cui nulla fuit sublimior philosophia quam *scire Iesum et hunc crucifixum.* [b] Eo vel magis quod propter eam praecipue causam Collegium est conditum, ut sacerdotes sacris missionibus idoneos efferat: quae causa homines requirit iis abunde ornatos virtutibus, quas memoravimus. Ceterum de his rebus omnibus videmus in Collegii *Statutis* optime esse cautum. Itaque ut illa rite observentur praescripta et

---

[a] *I Cor.* VIII, 1.
[b] *I Cor.* II, 2.

http://www.obrascatolicas.com/

cupimus et volumus: atque auspicem divinorum munerum, apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, et doctoribus discipulisque Instituti Laurentiani amantissime impertimus.

*AAS* IV (1912), 662-663.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 276

### De servitio militari

(Declarationes diei 1 februarii 1912 in Decretum *Inter reliquas*)

Edito Decreto *Inter reliquas,* die prima ianuarii superioris anni,[a] respiciente servitium militare a viris religiosis praestandum, nonnulla exorta sunt dubia, quorum solutio expetita fuit a Sacra Congregatione de Religiosis, nempe:

I. Utrum vota perpetua emissa ante promulgationem Decreti *Inter reliquas,* cessent ipso facto, quando servitium militare activum assumitur?

II. Utrum vota temporanea item cessent ipso facto, quando idem servitium assumitur?

III. Utrum valida sit professio solemnis in Ordinibus, et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa in bona fide ab eo qui falso existimavit se a servitio militari exemptum esse?

IV. Utrum valida sit professio solemnis in Ordinibus, et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa antequam completus fuerit annus a die expleti servitii militaris activi?

V. Utrum integer annus defluere debeat, antequam ad professionem solemnem vel perpetuam admittatur ille qui per tres tantum menses servitio militari activo addictus fuit?

VI. Utrum ad professionem solemnem, vel perpetuam, admitti possint ii Religiosi qui, servitio militari activo subiecti, firmum tamen habent et manifestant animum sese exteris Missionibus addicendi, in eisque permanendi usque ad tempus a lege civili statutum ad perpetuam exemptionem a servitio militari adipiscendam, ut, verbi gratia, in Italia est trigesimus secundus aetatis annus?

Emi autem ac Revmi Patres Cardinales Sacrae huius Congregationis de Religiosis, in Plenario Coetu ad Vaticanum habito die

[a] N. 273.



24 novembris 1911, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Negative per se, seu vota non cessare ipso facto, initio servitii militaris; posse tamen Religiosos petere votorum dispensationem a prima die militaris servitii, iuxta art. VIII Decreti *Inter reliquas,* si perseverare non intendant; si perseverare intendant, in nullo casu novam votorum professionem emittere posse, nisi expleto servitio militari, etiamsi tempus professionis durante servitio militari expiraverit.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative, sed necessarium esse et sufficere in casu trimestre, vel spatium temporis, brevis anno, correspondens tempori in servitio militari transacto.

Ad VI. Negative per se. Concedit tamen Sacra Congregatio ut ultimo studiorum curriculi anno liceat iuvenes ad sacras Missiones intra annum profecturos, ad solemnem, seu respective ad perpetuam professionem admittere et ad sacros Ordines promovere, emisso prius ex parte candidati iuramento de servitio Missionibus praestando usque ad tempus praefinitum a lege civili ad exemptionem obtinendam, et onerata Superiorum conscientia de eiusdem executione.

His autem omnibus et singulis responsionibus relatis Sanctissimo Domino nostro Pio Papae Decimo, in Audientia die 6 decembris 1911 ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario habita, Sanctitas Sua easdem approbare et confirmare dignata est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.[a]

*AAS* IV (1912), 246-247.

## SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

### 277

### De modo admittendi Orientales

(Litt. circ. *Per apostolicas,* diei 15 iunii 1912, ad Superiores Generales Institutorum religiosorum)

Per apostolicas Litteras *Orientalium dignitas Ecclesiarum,* datas pridie calendas decembres anni 1894,[b] Leo f. r. Pp. XIII quoad

[a] N. 282.
[b] N. 234.

ingressum Orientalium in religiosas latinas Sodalitates praecepit: « Nulli, utriusvis sexus, Ordini vel Instituto religioso latini ritus, quempiam Orientalem inter sodales suos fas erit recipere, qui proprii Ordinarii testimoniales litteras non ante exhibuerit ».

Sapientissime quidem id cautum est, ut hac in re, et auctoritati Episcoporum, uti par est, deferretur, et una simul praedictorum Ordinum bono prospiceretur, eisdem fide dignum documentum suppeditando de postulantium vita et moribus.

Ast per memoratam praescriptionem derogatum non fuit dispositionibus iampridem statutis, ac praesertim in generali Conventu sacrae huius Congregationis habito die 1 iunii anni 1885,[a] quibus praecipitur in singulis casibus recursus ad apostolicam Sedem, seu ad S. Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, ad quam etiam pertinet facultatem tribuere ritum mutandi vel ad tempus, vel in perpetuum.

Iamvero, cum postremis hisce temporibus compertum sit, non semel Orientales in religiosa Instituta latini ritus receptos fuisse cum testimonialibus quidem litteris Ordinarii orientalis, sed inconsulta prorsus apostolica Sede; sacra haec Congregatio opportunum ducit Superiorum omnium, Institutis religiosis latini ritus, cuiuscumque formae ac utriusvis sexus, praepositorum, in mentem revocare obligationem qua tenentur, consulendi nempe in scriptis sacram hanc Congregationem antequam inter sodales suos aliquis Orientalis cooptetur.

Porro in supplici libello casus perspicue proponendus est cum omnibus suis adiunctis; et exprimi non solum debent nomen, agnomen, aetas, ritus et dioecesis postulantis, sed, si de viro agatur, praecipue explicandum est utrum admitti postulet in Institutum votorum solemnium vel simplicium, et an pro statu clericali vel laicali; nam pontificium Rescriptum, si favorabile sit, diversimode conceditur pro diversitate casuum.

*AAS* IV (1912), 534-535; *Fontes* VII, 4943.

[a] N. 225.



## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 278

### De professione religiosa in mortis articulo novitiis permittenda

(Decretum *Spirituali consolationi,* diei 10 septembris 1912)

Spirituali consolationi Novitiarum sancti Dominici volens consulere, et ne caelesti religiosae professionis merito ipsae careant, quo professae moniales ex benignitate Sanctae Sedis gaudent, S. Pius V, Constitutione *Summi Sacerdotii* data die 23 augusti 1570,[a] concessit et indulsit ut quoties aliqua ex iisdem Novitiis nondum professa, de alicuius medici iudicio, ab hoc saeculo transitura conspiceretur, ipsa, dummodo in aetate legitima esset constituta, valeret in mortis articulo regularem professionem ante finem novitiatus emittere; atque adeo Novitiae sic decedentes consequi possent indulgentias et alias gratias, quas moniales vere professae consequebantur. Nec non iisdem monialibus novitiis tunc ita professis decedentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in forma Iubilaei largiri dignatus est.

Huiusmodi favor, vi communicationis privilegiorum, fuit extensus ad omnes moniales et religiosos viros qui cum Dominicana familia in privilegiis communicant. Simile deinde privilegium alia religiosa Instituta a Romano Pontifice peculiariter obtinuerunt, vel in eorum Constitutionibus a S. Sede approbatis dispositio inducta est qua liceret ante expletum novitiatum professionem recipere Novitiorum qui in mortis periculo versarentur. Quin immo nec desunt Superiores religiosi, qui putantes se quoslibet bonorum spiritualium sui Instituti participes efficere posse Novitios periculose decumbentes, hos ad professionem etiam perpetuam admittunt.

Quapropter sanctissimus Dominus noster Pius Pp. X, in audientia concessa infrascripto Cardinali Praefecto die 3 septembris 1912, ut in re tam gravi omnes dubitationes submoveantur, ac cupiens pro animarum bono hoc privilegium extendere, haec statuere dignatus est:

In quocumque Ordine, vel quavis Congregatione aut Societate religiosa, vel monasterio sive virorum sive mulierum, vel etiam in Institutis in quibus, quamvis vota non emittantur, in communi tamen

[a] *Bull. Praed.* V, 249; BR VII, 849.

http://www.obrascatolicas.com/

vita agitur, more Religiosorum, liceat exinde Novitios, seu Probandos, qui medici iudicio graviter aegrotent, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias Regulas seu Constitutiones admittere, quamvis tempus novitiatus vel probationis nondum expleverint.

Attamen, ut novitii seu probandi ad supradictam professionem aut consecrationem aut promissionem admitti queant, oportet:

1. Ut novitiatum seu probationem canonice inceperint.

2. Superior, qui Novitium seu Probandum ad professionem vel consecrationem aut promissionem admittit, sit ille qui monasterium vel novitiatus aut probandatus domum actu regat.

3. Formula professionis vel consecrationis aut promissionis sit eadem quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est; et vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur.

4. Qui huiusmodi professionem, consecrationem vel promissionem emiserit, particeps erit omnium omnino indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quae Religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur; eidem tamen plenaria peccatorum suorum indulgentia et remissio in forma Iubilaei misericorditer in Domino conceditur.

5. Haec professio vel consecratio aut promissio, praeter gratias in praecedenti articulo enuntiatas, nullum omnino alium producit effectum. Proinde:

*A*) si Novitius seu Probandus post huiusmodi professionem vel consecrationem aut promissionem intestatus decedat, Institutum nulla bona vel iura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit;

*B*) si convalescat antequam tempus novitiatus seu probandatus exspiret, in eadem omnino conditione versetur ac si nullam professionem emisisset; ideoque: *a*) libere, si velit, ad saeculum redire poterit; et *b*) Superiores illum dimittere valent; *c*) totum novitiatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet sit ultra annum, explere debet; *d*) hoc tempore expleto, si perseveret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.[a]

*AAS* IV (1912), 589-590.

---

[a] N. 344



## PIUS X

### 279

### De cooptandis sodalibus deque scientiarum magistris deputandis

(Ex Epist. ap. *Cum primum*, diei 4 augusti 1913, ad Generalem Ordinis Praedicatorum Magistrum)

I. Cum, defervescente in christiano populo fidei caritatisque ardore, magis decrescat in dies eorum numerus qui, ad evangelicam perfectionem assequendam, religiosis sodalitatibus adscribi cupiant, Praelati Ordinis omnia consulto experiantur ut eiusmodi deprecentur incommodum; sed caveant omnino ne festinanter neve gregatim adulescentes adsciscant, de quibus in incerto sit afflatune divino sanctissimam istam vitae rationem deligant. Quos vero, re diligenter perpensa, in tironum numerum cooptarint, sedulo curent ut ii proprium Dominici Patris legiferi effingant ingenium constanterque retineant; et in primis animi demissionem praebeant et obediendi virtute fulgeant, nulla rei obedienter faciendae ratione quaesita, nulla mora tergiversando interposita. Plerumque enim fieri cernimus, ut nonnulli non idcirco claustra turpiter deserant quod in Ordinem ausi sint invito Deo se iniicere, sed potius quod apta in tirocinio institutione caruerint, nec formam induerint, absoluto tirocinio, quae virum Deo sacrum deceat.

II. Iis unice munus disciplinas sacras tradendi Praelati committant, quos certo norint, non modo ad eum diem nullam dedisse suspicionem de suae integritate doctrinae, sed etiam ea mente esse ut prorsus sequantur, tum in catholica veritate explananda, tum in erroribus refellendis, normas ac regulas quas Apostolica Sedes nostra aetate praescripsit aut posthac praescriptura sit.

*AAS* V (1913), 388-389.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 280

### De absolutione sacramentali religiosis sodalibus impertienda

(Decretum *In audientia*, diei 5 augusti 1913)

In audientia habita ab infrascripto Cardinali Pro-Praefecto Sacrae Congregationis de Religiosis, die 5 augusti 1913, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, ob peculiares conscientiae ra-

http://www.obrascatolicas.com/

tiones, facultatem, quam mense februarii huius anni omnibus Confessariis ab Ordinario Urbis approbatis concesserat quoad absolutionem Religiosis impertiendam, extendere dignatus est ad omnes totius Orbis Confessarios a locorum Ordinariis approbatos. Hi proinde Confessarii, auctoritate Sanctissimi Domini nostri Pii Papae X, omnium Sodalium cuiuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere, quin de licentia a Superiore obtenta inquirere vel petere teneantur, atque valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis, impertire queant.

Omnibus igitur cuiusque Ordinis, Congregationis aut Instituti superioribus et praesidibus, huius decreti praescripta fideliter Sanctitas Sua in virtute sanctae obedientiae observare mandavit, constitutionibus, ordinationibus apostolicis, privilegiis qualibet efficaciori forma concessis, aliisque contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, minime obstantibus. [a]

*AAS* V (1913), 431; *Fontes* VI, 4418; *Sylloge*, 47.

## 281

### De novitiatus termino et interruptione

(Decretum *Cum propositae*, diei 3 maii 1914)

Cum propositae sint quaestiones sive circa tempus seu momentum, quo annus novitiatus compleri dicendus sit, sive circa modum, praesertim si novitius extra domum de licentia Superiorum per aliquot tempus moratus fuerit, quo interruptus haberi possit, S. Congregatio Religiosis Sodalibus praeposita, ad anxietates praecavendas, praecipue quoad professionis validitatem, statuit et decrevit ut sequitur:

1. Annus integer novitiatus, qui solus ad validitatem professionis requiritur, in posterum non stricte de hora ad horam, sed de die in diem intelligi debet. Idem dicendum de tribus integris annis votorum simplicium, quae emissionem votorum solemnium praecedere debent.

2. Novitiatus interrumpitur ita ut denuo incipiendus et perficiendus sit: *a*) si novitius a Superiore dimissus e domo exierit; *b*) si

[a] N. 283.



absque Superioris licentia domum deseruerit; *c*) si ultra triginta dies etiam cum licentia Superioris extra novitiatus septa permanserit.

3. Si novitius infra triginta dies, etiam non continuos, cum Superiorum licentia, extra domus septa permanserit, licet sub Superioris obedientia, requiritur ad validitatem, et satis est, dies hoc modo transactos supplere: at Superiores hanc licentiam nisi iusta et gravi de causa ne impertiant.

Quibus omnibus sanctissimo Domino nostro Pio Papae X relatis ab infrascripto sacrae Congregationis Secretario, Sanctitas Sua ea rata habere et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque non obstantibus.

*AAS* VI (1914), 229; *Fontes* VI, 4419.

## 282

### De novitiis militiae addictis

(Resolutio *Parisien.*, diei 3 maii 1914)

Procurator Generalis Congregationis Sacerdotum Missionis harum quaestionum solutionem a S. Congregatione de Religiosis expostulavit, nempe:

I. Utrum novitiatus illorum qui coguntur e domo probationis exire causa militiae aut ad eandem militiam denuo vocati, censendus sit *interruptus*, ita ut ab initio sit repetendus, nulla ratione habita temporis novitiatus iam expleti; an vero sit aestimandus tantummodo *suspensus*, ita ut debeat solum compleri.

II. Utrum computari possit veluti tempus novitiatus servitium militare quod expletur in loco ubi exstat domus probationis si novitii maneant sub disciplina et vigilantia moderatorum et horis subsecivis consistant in eadem probationis domo, eaque omnia peragant quae cum militia concilientur.

Emi et Revmi Patres Cardinales sacrae huius Congregationis de Religiosis, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt:

Ad I. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam, si novitius ultra triginta dies completos servitio militari reapse addictus fuerit. Si infra triginta dies, hi supplendi erunt. Et in quocumque casu ad professionem votorum admitti nequit nisi saltem per triginta dies probetur.

Ad II. Negative.

Has autem responsiones relatas sanctissimo Domino nostro Pio

Papae X ab infrascripto S. Congregationis Secretario, Sanctitas sua approbare et confirmare dignata est. Contrariis quibuscumque non obstantibus. [a]

*AAS* VI (1914), 230; *Fontes* VI, 4420.

## 283

### De confessione apud orientales sacerdotes instituta, et de confessione novitiorum

(Resolutio *Romana et aliarum,* diei 3 maii 1914)

Edito Decreto *de absolutione sacramentali religiosis sodalibus impertienda,* diei 5 augusti 1913, [b] exorta sunt dubia, quorum solutio expetita fuit a S. Congregatione de Religiosis, nempe:

1. An Decretum sacrae Congregationis de Religiosis, die 5 augusti 1913, comprehendat etiam confessiones quas Religiosi ritus Latini faciunt apud Confessarios ritus Orientalis, et vicissim?

2. An idem Decretum comprehendat etiam novitios cuiuscumque Ordinis vel Congregationis?

Emi ac Revmi Patres Cardinales, in plenario coetu habito in aedibus Vaticanis die 21 martii 1914, reposuerunt:

Ad 1. et ad 2. Affirmative.

Et sanctissimus Dominus noster Pius Pipa X in audientia diei 23 eiusdem mensis et anni habita ab infrascripto sacrae Congregationis Secretario, responsiones Emorum Patrum approbare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*AAS* VI (1914), 232; *Fontes* VI, 4421.

## PIUS X

## 284

### De studio doctrinae S. Thomae Aquinatis in scholis catholicis promovendo

(Motu proprio *Doctoris Angelici,* diei 29 iunii 1914, pro Italia et Insulis adiacentibus)

Doctoris Angelici nemo sincere catholicus eam ausit in dubium vocare sententiam: *Ordinare de studio pertinet praecipue ad auctoritatem Apostolicae Sedis qua universalis Ecclesia gubernatur, cui*

[a] N. 276.
[b] N. 280.



*per generale studium providetur.* [1] Quo Nos magno quidem officii munere cum alias functi sumus, tum praesertim die 1 septembris a. 1910, quum datis litteris *Sacrorum antistitum* [a] ad omnes Episcopos summosque Religiosorum Ordinum magistros, quibus cura rite instituendae sacrae iuventutis incumberet, haec in primis eos admonebamus: « Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, philosophiam scholasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a Sancto Thoma Aquinate est tradita: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, idem vigere volumus et, qua opus sit, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta fuerint, ea ut in posterum custodiantur, urgere atque exigere. Eadem Religiosorum Ordinum Moderatoribus praecipimus ».

Iam vero, cum dictum hoc loco a Nobis esset *praecipue* Aquinatis sequendam philosophiam, non *unice*, nonnulli sibi persuaserunt, Nostrae sese obsequi aut certe non refragari voluntati, si quae unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset, quamvis principiis S. Thomae repugnantia, illa haberent promiscua ad sequendum. At eos multum animus fefellit. Planum est, cum praecipuum nostris scholasticae philosophiae ducem daremus Thomam, Nos de eius principiis maxime hoc intelligi voluisse, quibus, tamquam fundamentis, ipsa nititur. Ut enim illa reiicienda est quorumdam veterum opinio, nihil interesse ad Fidei veritatem quid quisque de rebus creatis sentiat, dummodo de Deo recte sentiatur, siquidem error de natura rerum falsam Dei cognitionem parit; ita sancte inviolateque servanda sunt posita ab Aquinate principia philosophiae, quibus et talis rerum creaturam scientia comparatur quae cum Fide aptissime congruat; [2] et omnes omnium aetatum errores refutantur, et certo dignosci licet quae Deo soli sunt neque ulli praeter ipsum attribuenda; [3] et mirifice illustratur tum diversitas tum analogia quae est inter Deum eiusque opera; quam quidem et diversitatem et analogiam Concilium Lateranense IV sic expresserat: « Inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos

[1] Opusc. *Contra impugnantes Dei cultum et religionem,* c. III.
[2] *Contra Gentiles,* lib. II, c. III et II.
[3] Ib. c. III; et I, q. XII, a. 4; et q. LIV, a. I.

[a] N. 268.

http://www.obrascatolicas.com/

maior sit dissimilitudo notanda ».[1] Ceterum, his Thomae principiis, si generatim atque universe de iis loquamur, non alia continentur, quam quae nobilissimi philosophorum ac principes Doctorum Ecclesiae meditando et argumentando invenerant de propriis cognitionis humanae rationibus, de Dei natura rerumque ceterarum, de ordine morali et ultimo vitae fine assequendo. Tam praeclaram autem sapientiae copiam, quam hic a maioribus acceptam sua prope angelica facultate ingenii perpolivit et auxit et ad sacram doctrinam in mentibus humanis praeparandam, illustrandam tuendamque[2] adhibuit, nec sana ratio vult negligi nec Religio patitur ulla ex parte minui. Eo vel magis quod si catholica veritas valido hoc praesidio semel destituta fuerit, frustra ad eam defendendam quis adminiculum petat ab ea philosophia, cuius principia cum *Materialismi, Monismi, Pantheismi, Socialismi* variique *Modernismi* erroribus aut communia sunt aut certe non repugnant. Nam quae in philosophia sancti Thomae sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit: quibus submotis aut quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur, ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur.

Itaque omnes qui philosophiae et sacrae theologiae tradendae dant operam, illud admonitos iam voluimus, si ullum vestigium, praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore. Nunc vero hoc praeterea edicimus, non modo non sequi Thomam, sed longissime a sancto Doctore aberrare eos, qui, quae in ipsius philosophia principia et pronuntiata maiora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant. Quod si alicuius auctoris vel Sancti doctrina a Nobis Nostrisve Decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus atque ita etiam, ut ad laudes suasio iussioque adderetur eius vulgandae et defendendae, facile intelligitur eatenus comprobata, qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret.

Haec declarare et praecipere Apostolici officii duximus, ut in re maximi momenti, quotquot sunt ex utroque Clero, saeculari et regulari, mentem voluntatemque Nostram et penitus perspectam ha-

[1] Decretalis II *Damnamus ergo etc.*, in MANSI XXII, 982-986. Cfr. S. THOM. Quaest. Disp. *De Scientia Dei*, art. 11.
[2] In Librum Boethii *De Trinitate*, quaest. II, art. 3.



beant, et ea, qua par est, alacritate diligentiaque efficiant. Id autem peculiari quodam studio praestabunt christianae philosophiae sacraeque theologiae magistri, qui quidem probe meminisse debent non idcirco sibi factam esse potestatem docendi, ut sua opinionum placita cum alumnis disciplinae suae communicent, sed ut iis doctrinas Ecclesiae probatissimas impertiant.

Iam, quod proprie attinet ad sacram theologiam, huius quidem disciplinae studium semper eius luce philosophiae, quam diximus, illustratum esse volumus, sed in communibus Seminariis clericorum, modo idonei praeceptores adsint, adhibere liceat eorum libros auctorum, qui, derivatas de Aquinatis fonte doctrinas, compendio exponunt; cuius generis libri suppetunt, valde probabiles.

At vero ad colendam altius hanc disciplinam, quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque Athenaeis atque etiam in iis omnibus Seminariis et Institutis, quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, omnino oportet, veteri more, qui numquam excidere debuerat, revocato, de ipsa *Summa Theologica* habeantur scholae: eo etiam, quia, hoc libro commentando, facilius erit intelligere atque illustrare solemnia Ecclesiae docentis decreta et acta, quae deinceps edita sunt. Nam post beatum exitum sancti Doctoris, nullum habitum est ab Ecclesia Concilium, in quo non ipse cum doctrinae suae opibus interfuerit. Etenim tot saeculorum experimentis cognitum est in diesque magis apparet, quam vere Decessor Noster Ioannes XXII affirmarit: « Ipse (Thomas) plus illuminavit Ecclesiam, quam omnes alii Doctores: in cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae ».[1] Quam sententiam S. Pius V, cum sancti Thomae festum, ut Doctoris, toti Ecclesiae celebrandum indiceret, ita confirmavit: « Sed quoniam omnipotentis Dei providentia factum est, ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinae ex eo tempore quo caelitibus civibus adscriptus fuit, multae, quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et convictae dissiparentur, quod et antea saepe et liquido nuper in sacris Concilii Tridentini decretis apparuit, eiusdem memoriam, cuius meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie erroribus liberatur, maiore etiam quam antea grati et pii animi affectu colendam statuimus ».[2] Atque, ut alia praeconia Decessorum, plurima quidem et praeclara, mittamus, libet his verbis Bene-

[1] Alloc. hab. in Consistorio an. 1318.
[2] Const. ap. *Mirabilis Deus*, diei 11 aprilis 1567, in BR VII, 564.



http://www.obrascatolicas.com/

dicti XIV omnes scriptorum Thomae, praesertim Summae Theologicae, laudes complecti: « Cuius doctrinae complures Romani Pontifices, praedecessores Nostri, perhonorifica dederunt testimonia, quemadmodum Nos ipsi in libris, quos de variis argumentis conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, admirabundi semper atque lubentes eidem adhaesimus atque subscripsimus; candide profitentes si quid boni in iisdem libris reperitur, id minime Nobis, sed tanto Praeceptori totum esse adscribendum ». [1]

Itaque « ut genuina et integra S. Thomae doctrina in scholis floreat, quod Nobis maxime cordi est » ac tollatur iam « illa docendi ratio, quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur » ob eamque rem « mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur... non sine magno scientiae christianae detrimento ». [2] Nos volumus, iubemus, praecipimus, ut qui magisterium sacrae theologiae obtinent in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habeant ex apostolico indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, *Summam Theologicam* S. Thomae tamquam praelectionum suarum *textum* habeant, et latino sermone explicent: in eoque sedulam ponant operam ut erga illam auditores optime afficiantur. Hoc in pluribus Institutis laudabiliter iam est usitatum; hoc ipsum Ordinum Religiosorum Conditores sapientissimi in suis studiorum domiciliis fieri voluerunt, Nostris quidem Decessoribus valde probantibus: nec, qui post Aquinatis tempora fuerunt, Sancti homines alium sibi summum doctrinae magistrum habuerunt, nisi Thomam. Sic autem, et non aliter, fiet ut non modo in pristinum decus revocetur theologia, sed et sacris omnibus disciplinis suus ordo suumque pondus restituatur, et quicquid intelligentia et ratione tenetur, quodammodo revirescat.

Quare nulla in posterum tribuetur cuiquam Instituto potestas conferendi academicos in sacra theologia gradus, nisi quod hic a Nobis praescriptum est, sancte apud ipsum servetur. Instituta vero seu *Facultates*, Ordinum quoque et Congregationum Regularium, quae legitime iam huiusmodi potestatem habeant academicos in theologia gradus aut similia documenta conferendi vel tantum intra

---

[1] *Acta Cap. Gen. O. P.*, tomo IX, p. 196.
[2] Leonis XIII Epist. *Qui te*, diei 19 iunii 1886, in *Acta Leonis XIII*, vol. VI, 102-103.



domesticos fines, eadem privabuntur privataeque habendae erunt, si post tres annos, quavis de causa etiamsi minime voluntaria, huic praescriptioni Nostrae religiose non obtemperarint.

Atque haec statuimus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

*AAS* VI (1914), 336-341; *Fontes* III, 701; *Enchir. cler.* 888-893.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 285

### Circa interruptionem studiorum

(Responsa diei 1 martii 1915)

Huic sacrae Congregationi de Religiosis propositae fuerunt quaestiones:

I. Cum haud raro contingat, ut Religiosi studentes, absque ulla ipsorum aut superiorum culpa, per plures menses studia interrumpere cogantur (ex. gr. infirmitatis, aut servitii militaris causa), quaeritur utrum huiusmodi studentes totum annum scholarem sic interruptum seu abbreviatum repetere teneantur; an a Superiore generali, accedente voto deliberativo suorum Consiliariorum, dispensari possint.

II. Utrum examen seu periculum de quo in Responso ad n. VI Declarationum sacrae Congregationis diei 7 septembris 1909 sermo est, [a] subiri debeat ab alumnis, qui aliquam disciplinam accessoriam Theologiae in scholis non excoluerint; et si affirmative, utrum hoc examen tam ab istis alumnis quam ab aliis subeundum, coincidere possit cum examine in fine anni scholaris subiri solito.

Quibus quaestionibus, in Congregatione generali diei 8 ianuarii 1915, Emi Patres responderunt:

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, dummodo 1) interruptio seu compendium studiorum complexive non duraverit ultra tres menses; 2) studia omissa scholis privatis suppleta fuerint; 3) et in examine constiterit, ex testimonio examinatorum seu doctrinae iudicum, alumnos disciplinas, de quibus in eorum absentia in scholis actum est, prorsus didicisse.

Ad II. Examen, de quibus in Responso ad n. VI Declarationum sacrae Congregationis diei 7 septembris 1909 agitur, requiri pro

---

[a] N. 260.

http://www.obrascatolicas.com/

qualibet disciplina omissa, sufficere tamen examen ordinarium etiam in fine anni praestitum, quod ex testimonio examinatorum seu doctrinae iudicum constare debet.

Et sanctissimus Dominus noster Benedictus XV in audientia diei 8 ianuarii 1915, infrascripto Secretario benigne concessa, has responsiones approbare et confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*AAS* VII (1915), 123-124; *Fontes* VI, 4423.

## 286

## De qualitatibus recipiendorum

(Instructio *Illud saepius*, diei 18 augusti 1915, ad Moderatores Ordinum atque Institutorum religiosorum)

Illud saepius evenire solet, ut Sodales Religiosi, votis etiam sollemnibus adstricti, ad vitam extra claustra, ut sua cuiusque fert condicio degendam, eorumdem votorum solutionem ab hac Sacra Congregatione efflagitent. Id vero quanta Beatissimi Patris animum aegritudine conficiat, dicere vix attinet. Ab huiusmodi, enim, e sinu religiosarum Familiarum intempestivis egressionibus, et ipsorum Ordinum grave dedecus, et disciplinae regularis magna perturbatio, et Ecclesiae Dei ingens detrimentum, et fidelium perniciosum offendiculum saepenumero proficiscuntur. Qua de re Sanctitas Sua, Cui nihil antiquius est quam ut res tam miseranda finem habeat, vel saltem minus crebro in posterum eveniat, per hanc Sacram Congregationem iis omnibus qui religiosis Sodalitatibus praesunt duo haec animadvertenda proponit, quibus casuum rectorumque tam deplorandorum praecipua causa et origo continentur, scilicet divini afflatus, seu vocationis, tum defectum tum amissionem.

Hic vero praetereundum minime videtur Sacrum Concilium Tridentinum Romanosque Pontifices summa sapientia et sanctitate normas atque praecepta edidisse, quibus Sodalium disciplina ab ea perfectionis dignitate, quae Conditoribus fuerat proposita, nunquam deflecteret, quin etiam novas in dies progressiones faceret. Quod si eiusmodi praeceptis institutisque non minus quam Sodalitatum normis ac regulis obtemperaretur, id, quod paulo ante deploratum est, vix aut ne vix quidem accidere posset. Neque enim tyrones admitterentur divino afflatu carentes, neque vota ii nuncuparent qui religioso statu minime viderentur digni, nec monasticam vitam, ut suae



ipsorum aeternae saluti consulerent, relinquere illi cogerentur, qui vota emiserint.

Quum igitur aliquis Religiosus vir ex Ordine suo egreditur, eiusdem Ordinis Moderator, si diligenter omnia coram Domino consideravit, semetipsum a culpa non abesse suoque muneri defuisse saepe saepius facile percipiet. Quae quidem officii praetermissio fieri solet in alumnis vel admittendis, vel ad religiosae vitae rationem informandis, vel, postquam vota emiserint, pervigilandis. Etenim cum admodum exiguus, nostris hisce temporibus, factus sit eorum numerus qui, divino instinctu permoti, Religionem amplecti studeant, haud raro accidit ut in tyrocinium iuvenes recipiantur, ingenii dotibus illi quidem exornati laudibusque praediti quae in honore sunt apud homines, occulto autem Iudici minime probantur. Quum vero de tyronibus agitur ad monasticam vitam recte firmiterque instituendis, evenit interdum ut Sodalitatum Superiores, peculiaribus de causis impulsi, velut generis claritate et amplitudine capti, aut praesidiorum commodo atque utilitate allecti, aut multis propinquitatibus validisque necessitudinibus adducti, omnino prohibere negligant quominus saeculi studia ac propensiones coenobii ianuas ingrediantur ibique perniciose dominentur. Postremo in advigilandis Religiosis iam votorum vinculo adstrictis, nonnunquam fit ut Ordinum Moderatores, aut indole imbecilles, aut pavidi natura, aut animo ignavi, graviter peccent, exempli gratia quum, ne quem ingenio vehementem ac litigiosum lacessant, ne oratorem praestantem, aut eximium praeceptorem offendant, munera multae prudentiae multique consilii, eademque non omni periculo immunia, iis committant qui, quamvis et scientia et rerum usu ad ea explenda idonei videantur, illis tamen animi laudibus careant quae omnium sunt maxime necessariae. Itemque religiosarum Familiarum Superiores peccant ac suo desunt muneri, quum eius generis privilegia concedere non dubitant, quibus paupertati, castitati, obedientiae ceterisque virtutibus gravia vulnera infliguntur, ac propterea ad eam vitae et disciplinae rationem fit aditus, quae a constituta Ordinum perfectione quam longissime abest.

Haec autem omnia quis inficiabitur eorum vitio esse tribuenda qui religiosis Sodalitatibus moderandis regendisque sunt praepositi? Quid autem isti, in die illa tremenda, aeterno Iudici respondebunt, sciscitanti quidnam pro fratribus suis ad caelestia pascua adducendis ipsi fecerint?

Sunt, itaque, haec religiosis Ordinibus prorsus necessaria: in

http://www.obrascatolicas.com/

numerum Sodalium illos tantummodo admitti qui, divino impulsi afflatu, Religionem digne ingredi cogitant: adscitos, ad monasticam vitam firmiter solideque institui: professos, in vocatione perseverare, Sodalitatis suae normis obtemperando ac praesertim a pontificiis institutis nunquam decedendo.

Mentio est hic opportune facienda de Litteris Apostolicis sic incipientibus *Ubi primum* a Summo Pontifice Pio IX, felicis recordationis, omnibus religiosarum Familiarum Moderatoribus, die 17 iunii 1847 datis,[a] in quibus clarissimus Ille fidei catholicae Princeps et Magister, praecepta omnium saluberrima suppeditavit et normas ad rem maxime accommodatas tradidit, quae, labentibus annis ac praeterea hominum negligentia misere oblivione obruta sunt. Sic, igitur, Ipse ait de alumnis in tyrocinium admittendis: « Cum ex diligenti tyronum admissione, atque optima illorum institutione latius cuiusque sacrae familiae status decorque plane pendeat, vos summopere hortamur, ut eorum, qui religiosae vestrae familiae nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores antea accurate exploretis, ac sedulo investigetis quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur ».

De tyronibus autem ad religiosam vitam informandis, ita scribit: « Postquam noveritis, illos in religiosa vita amplectenda nihil spectare nisi Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, ac propriam et aliorum salutem, in id potissimum omni diligentia incumbite ut tyrocinii tempore ex proprii Ordinis legibus pie sancteque ab optimis Magistris educentur et ad omnem virtutem, atque ad initum regularis vitae institutum quam optime informentur ».

Denique de professis pervigilandis excolendisque haec habet: « Pro loco quem tenetis, pro munere quo insigniti estis, nihil intentatum relinquite, ut religiosi viri vobis subiecti, serio meditantes vocationem qua vocati sunt, digne ambulent in ea, et vota, quae Deo semel voverunt, religiosissime semper reddere studeant. Omni vero vigilantia prospicite, ut ipsi insignia maiorum suorum vestigia sectantes, sanctamque disciplinam custodientes, mundique illecebris, spectaculis, negotiis, quibus se abdicarunt, omnino adversantes sine intermissione precationi, rerum caelestium commentationi, doctrinae, lectioni instent, in animarum salutem ex proprii Ordinis instituto incumbant, et mortificati carne, vivificati autem spiritu, seipsos populo Dei exhibeant modestos, humiles, sobrios, benignos, patientes,

[a] N. 187.



iustos, integritate, castitate irreprehensibiles, caritate ferventes, sapientia honorabiles, ne cuipiam sint offensioni, sed omnibus praebeant exemplum bonorum operum, ut qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de ipsis ».

Has itaque normas, haec praecepta, utilitatis commodique plena, Sanctissimus Pater Benedictus XV Sibi Ipse vindicat, eademque ut diligenter, constanter, recte observentur ab omnibus Ordinum Superioribus, non solum desiderat commendatque, verum etiam, eorum graviter onerata conscientia, Apostolica qua pollet auctoritate imperat ac iubet.

Meminerint autem, quotquot Religiosorum coetibus praesunt, neminem posse suo munere fungi, nisi caritas Christi urgeat eum. Quod si omnium illorum qui sub Moderatorum regimine ac potestate sunt constituti, id officii est, ut praepositis suis oboediant in eisque personam ipsius Christi Iesu quodammodo agnoscant atque vereantur, difficillimum tamen est, propter humanae naturae infirmitatem, eiusmodi oboedientiam a subiectis praestari, quum Superioris persona, quod praesertim ad caritatem pertinet, Iesu Christi, qui caritas est, personam minime exprimat. Una enim eademque lex subiectis oboedientiam, Superioribus caritatem praecipit; ob eamque rem cum oboedientia desideratur, si quis attente omnia perspexit, caritatem quoque, ut plurimum, deesse facile intelliget. Qua de re cum Religiosus aliquis vir vocationis suae iacturam facit, coenobiumque derelinquit, Superior, qui in Monasterio manet, Dei miseratione magis egere videtur quam qui e claustris egreditur.

Itaque ad observantiam disciplinae regularis obtinendam, quae potissimum efficit ut divinus perduret afflatus, illud in primis opus est, ut nempe religiosorum Institutorum Moderatores sint « caritate et morum suavitate praediti, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant ».[a]

Quae cum ita se habeant, haec Sacra Congregatio, ex mandato Summi Pontificis, omnia quae supra sunt exposita, Religiosis viris praecipueque eorum Superioribus, ut diligenter perpendant ac iugiter ante oculos habeant enixe commendat, itemque omnes normas omniaque praecepta eos observare iubet, ex altera parte praestando oboedientiam, ex altera caritatem semper adhibendo. Quod ubi factum fuerit, nullum esse potest dubium quin Religiosorum Coetus sanctitatem, quae ipsorum naturae eorumque Conditorum voluntati

[a] N. 162.

http://www.obrascatolicas.com/

est maxime consentanea, facile servare possint, ideoque magis magisque in dies florescere ac prosperare. Id autem quam maxime Beatissimus Pater exoptat, qui bonam in spem adducitur fore ut nunquam claustrorum ianuas in posterum ingrediantur qui vocatione careant; qui vero, divino instinctu impulsi, Religionem amplexi fuerint, germanam vitae monasticae rationem usque ad extremum obitum prosequantur. Ita sanctimoniae, poenitentiae, virtutum omnium meritis onusti, tum Moderatores tum eorum fratres, qui omnes pariter omnia reliquerunt et Iesum Christum sunt secuti, ad caelestem Ierusalem migrabunt, ibique centuplum recipient et vitam aeternam possidebunt.

In *AAS* non promulgata.

## SACRA CONGREGATIO SANCTI OFFICII

### 287

### Sodalitates ad provehendas iuvandasque religiosas vocationes indulgentiis ditantur

(Decretum *Sanctissimus,* diei 11 octobris 1916)

Sanctissimus D. N. D. Benedictus divina Providentia Papa XV, in audientia Revmo P. Commissorio Generali S. Officii, feria V, die 7 septembris 1916, impertita, benigne concedere dignatus est, ut omnes et singulae Indulgentiae ac privilegium Missarum, quae per decretum huius Supraemae S. Congregationis sub die 29 maii 1913,[a] s. m. Pius Pp. X elargitus est Sodalitatibus promovendis iuvandisque ecclesiasticis vocationibus erectis vel erigendis, extendantur ad consimiles Sodalitates, provehendis iuvandisque, pro quolibet Ordine, Congregatione, Instituto, ex utroque sexu, religiosis vocationibus atque admissionibus ad novitiatus, canonice iam constitutas vel in posterum constituendas. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*AAS* VIII (1916), 399.

---

[a] *AAS* V (1913), 236-237; *Enchir. Cler.* 1518.



## CODEX IURIS CANONICI (17 maii 1917)

### 288

### Definitio status religiosi

Can. 487. - Status religiosus seu stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt, ab omnibus in honore habendus est.[a]

### 289

### De obedientia Romano Pontifici praestanda

Can. 499. - § 1. Religiosi omnes, tamquam supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici cui obedire tenentur etiam vi voti obedientiae.

### 290

### De potestate Superiorum

Can. 501. - § 1. Superiores et Capitula, ad normam costitutionum et iuris communis, potestatem habent dominativam in subditos; in religione autem clericali exempta, habent iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno, quam pro externo.

### 291

### De obligatione Superiorum

Can. 509. - § 1. Omnis Superior debet notitiam et exsecutionem decretorum Sanctae Sedis, quae religiosos respiciunt, suos inter subditos promovere.

§ 2. Curent Superiores locales:

1° Ut saltem semel in anno, statis diebus, publice legantur propriae constitutiones, itemque decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribet;

---

[a] N. 13.

http://www.obrascatolicas.com/

2° Ut saltem bis in mense, firmo praescripto can. 565, § 2, christianae catechesis habeatur instructio pro conversis et familiaribus, audientium conditioni accommodata, et, praesertim in religionibus laicalibus, pia ad omnes de familia exhortatio.

### 292

### De iure superiorum administrandi sacramenta

Can. 514. - § 1. In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi. [a]

### 293

### Admonitio ad superiores quoad confessiones sacramentales

Can. 518. - § 1. In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis.

§ 2. Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant. [b]

§ 3. Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur.

### 294

### De manifestatione conscientiae superioribus facienda

Can. 530. - § 1. Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.

---

[a] N. 361. Vide etiam S. C. Ep. et Reg. Resolutionem *Parmen.*, diei 21 iulii 1848, in *Fontes* IV, 1954.
[b] N. 325.



§ 2. Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes.

### 295

### De admissione in religionem

Can. 538. - In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad religionis onera ferenda sit idoneus.

### 296

### De postulatu

Can. 539. - § 1. In religionibus a votis perpetuis mulieres omnes et, si agatur de religione virorum, conversi, antequam ad novitiatum admittantur, postulatum ad sex saltem integros menses peragant; in religionibus vero a votis temporariis, ad necessitatem et tempus postulatus quod attinet, standum constitutionibus.

§ 2. Superior maior praescriptum postulatus tempus potest prorogare, non tamen ultra aliud semestre.

Can. 540. - § 1. Postulatus peragi debet vel in domo novitiatus vel in alia religionis domo in qua disciplina secundum constitutiones accurate servetur sub speciali cura probati religiosi.

§ 2. Postulantes vestem induant modestam ac diversam a veste novitiorum.

Can. 541. - Postulantes, antequam novitiatum incipiant, exercitiis spiritualibus vacent per octo saltem integros dies; et, iuxta prudens confessarii iudicium, praemittant generalem anteactae vitae confessionem.

### 297

### De requisitis ut quis in novitiatum admittatur

Can. 542. - Firmo praescripto cann. 539-541, aliisque in propriis cuiusque religionis constitutionibus,

1° Invalide ad novitiatum admittuntur:

Qui sectae acatholicae adhaeserunt; [a]

Qui aetatem ad novitiatum requisitam non habent;

---

[a] Nn. 330, 365.

http://www.obrascatolicas.com/

Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit;

Coniux, durante matrimonio;

Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae;

Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt;

Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;

Clerici qui ex instituto Santae Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat.

2° Illicite, sed valide admittuntur:

Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit;

Aere alieno gravati qui solvendo pares non sint;

Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit;

Filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;

Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento;

Orientales in latinis religionibus sine venia scripto data Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali. [a]

Can. 543. - Ius admittendi ad novitiatum et subsequentem professionem religiosam tam temporariam quam perpetuam pertinet ad Superiores maiores cum suffragio Consilii seu Capituli, secundum peculiares cuiusque religionis constitutiones.

Can. 544. - § 1. In quavis religione omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis.

§ 2. Adspirantes viri debent praeterea testimoniales litteras exhibere Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio. [b]

[a] N. 351.
[b] N. 333.



§ 3. Si agatur de admittendis illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt, requiruntur praeterea litterae testimoniales, datae pro diversis casibus a rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiore religionis Superiore. [a]

§ 4. Pro clericis admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati, salvo praescripto § 3.

§ 5. Religioso professo, ad aliam religionem ex apostolico indulto transeunti, satis est testimonium Superioris maioris prioris religionis.

§ 6. Praeter haec testimonia a iure requisita, possunt Superiores, quibus ius est adspirantes in religionem cooptandi, alia quoque exigere, quae ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur.

Can. 545. - § 1. Qui litteras testimoniales ex praescripto iuris dare debent, eas non ipsis adspirantibus, sed Superioribus religiosis dent gratuito intra trimestre spatium ab earum requisitione, sigillo clausas et, si agatur de illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, a Superiore iuramento firmatas. [b]

§ 2. Si ob graves rationes iudicaverint se eis respondere non posse, causas Apostolicae Sedi intra idem tempus exponant.

§ 3. Si reposuerint adspirantem satis non esse sibi cognitum, per aliam accuratam investigationem ac fide dignam relationem Superior religiosus suppleat; si vero nil reposuerint, Superior requirens de non recepta responsione Sanctam Sedem certiorem reddat.

§ 4. In suis litteris testimonialibus, postquam diligentem investigationem, etiam per secretas notitias, instituerint, referre debent, graviter eorum conscientia onerata super veritate expositorum, de adspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, conditione, scientia, sitne inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia eius auxilio indigeat, et tandem, si agatur de illis qui in Seminario, collegio, aut alius religionis postulatu aut novitiatu fuerint, quanam de causa dimissi sint vel sponte discesserint.

[a] N. 324.
[b] N. 333.

http://www.obrascatolicas.com/

Can. 546. - Omnes qui praedictas informationes receperint, stricta obligatione tenentur secreti servandi circa notitias habitas et personas quae illas tradiderunt.

## 298

## De novitiorum institutione

Can. 553. - Novitiatus incipit susceptione habitus, vel alio modo in constitutionibus praescripto.

Can. 554. - § 1. Erigatur domus novitiatus ad normam constitutionum; si vero agatur de religione iuris pontifii, ad eam erigendam necessaria est licentia Sedis Apostolicae.

§ 2. Plures in eadem provincia novitiatus domus, si religio in provincias divisa sit, designari nequeunt, nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto.

§ 3. - Superiores in novitiatus ac studiorum domo ne collecent, nisi religiosos qui sint ad exemplum regularis observantiae studio.

Can. 555. - § 1. Praeter alia quae in can. 542 ad novitiatus validitatem enumerantur, novitiatus ut valeat, peragi debet:

1° Post completum decimum quintum saltem aetatis annum;

2° Per annum integrum et continuum;

3° In domo novitiatus.

§ 2. Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eiusdem constitutionibus aliud expresse dicatur. [a]

Can. 556. - § 1. Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius, a Superiore dimissus, e domo exierit, aut domum sine illius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quacumque ex causa, [b] etiam de Superiorum licentia.

§ 2. Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel si coactus extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium.

---

[a] Nn. 342, 366.
[b] N. 357.



§ 3. Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant.

§ 4. Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum eiusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur. [a]

Can. 557. - Integer novitiatus peragatur in habitu quem constitutiones pro novitiis praescribunt, nisi speciales locorum circumstantiae aliud exigant.

Can. 558. - In religionibus in quibus duae sunt sodalium classes, novitiatus pro altera classe peractus, pro altera non valet.

Can. 559. - § 1. Novitiorum institutioni praeficiendus est Magister, qui sit annos natus quinque saltem ac triginta, decem saltem ab annis a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus et, si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus.

§ 2. Si ob novitiorum numerum vel aliam iustam causam expedire visum fuerit, Magistro novitiorum adiungatur socius, eidem immediate subiectus in iis quae ad novitiatus regimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis.

§ 3. Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet, quae novitiorum curam et regimen impedire valeant.

Can. 560. - Magister novitiorum eiusque socius eligantur ad normam constitutionum, et si quod in his tempus ad durationem muneris praescriptum sit, eo durante, ne removenatur sine iusta gravique causa; sed iidem rursus eligi possunt.

Can. 561. - § 1. Uni Magistro ius est et officium consulendi novitiorum institutioni, ad ipsumque unum novitiatus regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se, quovis colore, immiscere, exceptis Superioribus quibus id a constitutionibus permittitur ac Visitatoribus; ad disciplinam vero universae domus quod attinet, Magister, perinde ac novitii, Superiori est obnoxius.

§ 2. Novitius potestati Magistri ac Superiorum religionis subest eisque obedire tenetur.

Can. 562. - Gravi obligatione tenetur Magister novitiorum omnem adhibendi diligentiam ut sui alumni in religiosa disciplina, secundum constitutiones, sedulo exerceantur, ad normam can. 565.

Can. 563. - Intra annum novitiatus Magister, ad normam consti-

---

[a] Ibidem.

http://www.obrascatolicas.com/

tutionum, de agendi ratione singulorum alumnorum relationem Capitulo vel Superiori maiori exhibeat.

Can. 564. - § 1. Novitiatus ab ea parte domus, in qua degunt professi, sit, quantum fieri potest, segregatus ita ut, sine speciali causa ac Superioris vel Magistri licentia, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis.

§ 2. Conversis autem novitiis locus separatus adsignetur.

Can. 565. - § 1. Annus novitiatus debet sub disciplina Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus extirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas.

§ 2. Conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada.

§ 3. Anno novitiatus ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium; conversi autem in ipsa religiosa domo eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum (non tamen uti primarii officiales), quatenus ab exercitiis novitiatus pro ipsis constitutis non praepediantur.

Can. 566. - § 2. In religionibus virorum, salvo praescripto can. 519:

1° Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praescripto can. 891;

2° Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur; si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri;

3° Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret;

4° Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi.

Can. 567. - § 1. Novitii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent, quae pro professis praescripta sunt. [a]

§ 2. Ad ordines, durante novitiatu, ne promoveantur.

[a] N. 331.



Can. 568. - In novitiatus decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit eademve obligaverit, renuntiatio non solum illicita, sed ipso iure irrita est.

Can. 569. - § 1. Ante professionem votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum novitius debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere. [a]

§ 2. Ea cessio ac dispositio, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas § 1 statutas, non obstante simplici professione emissa.

§ 3. Novitius in Congregatione religiosa ante professionem votorum temporariorum testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condat. [b]

Can. 570. - § 1. Nisi pro alimentis et habitu religioso in constitutionibus vel expressa conventione aliquid in postulatu vel novitiatu ineundo solvendum caveatur, nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest.

§ 2. Quae adspirans attulerit et usu consumpta non fuerint, si e religione, non emissa professione, egrediatur, ei restituantur.

Can. 571. - § 1. Novitius potest religionem libere deserere, aut a Superioribus vel a Capitulo, secundum constitutiones, quavis iusta de causa dimitti, quin Superior vel Capitulum teneantur dimissionis causam dimisso patefacere.

§ 2. Exacto novitiatu, si iudicetur idoneus, novitius ad professionem admittatur, secus dimittatur; si dubium supersit sitne idoneus, potest a Superioribus maioribus probationis tempus, non tamen ultra sex menses, prorogari.

§ 3. Votis nuncupandis spiritualia exercitia novitius praemittat per octo saltem solidos dies.

299

## De professione religiosa

Can. 572. - § 1. Ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requiritur ut:

1° Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam can. 573;

[a] N. 332.
[b] N. 335.



http://www.obrascatolicas.com/

2° Eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones;

3° Novitiatus validus ad normam can. 555 praecesserit;

4° Professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur;

5° Sit expressa;

6° A legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur.

§ 2. Ad validitatem vero professionis perpetuae sive solemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574.

Can. 573. - Quilibet professionem religiosam emissurus oportet ut decimum sextum aetatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur; vicesimum primum, si de perpetua sive sollemni, sive simplici.

Can. 574. - § 1. In quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet Congregatione quae vota perpetua habeat, novitius post expletum novitiatum, in ipsa novitiatus domo debet votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, praemittere, salvo praescripto can. 634, votorum simplicium professionem ad triennium valituram, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet, nisi constitutiones exigant annuales professiones.

§ 2. Hoc tempus legitimus Superior potest, renovata a religioso temporaria professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium. [a]

Can. 575. - § 1. Exacto professionis temporariae tempore, religiosus, ad normam can. 637, vel emittat perpetuam professionem, sollemnem vel simplicem secundum constitutiones, vel ad saeculum redeat; sed etiam, durante tempore professionis temporariae, potest, si dignus non habeatur qui vota perpetua nuncupet, dimitti a legitimo Superiore ad normam can. 647.

§ 2. Suffragium Consilii seu Capituli pro prima professione temporaria est deliberativum; pro subsequente professione perpetua, solemni vel simplici, est consultivum tantum.

Can. 576. - § 1. In emittenda professione religiosa servetur praescriptus in constitutionibus ritus.

§ 2. Documentum emissae professionis, ab ipso professo et saltem ab eo coram quo professio emissa est, subscriptum, servetur in

[a] Nn. 272, 337, 369, 370, 372, 375.



tabulario [a] religionis; et insuper, si agatur de professione solemni, Superior eam excipiens debet profitentis parochum baptismi de eadem certiorem reddere, ad normam can. 470, § 2.

Can. 577. - § 1. Elapso tempore ad quod vota sunt nuncupata, renovationi votorum nulla est interponenda mora.

§ 2. Superioribus tamen facultas est ex iusta causa permittendi ut renovatio votorum temporariorum per aliquod tempus, non tamen ultra mensem, anticipetur.

Can. 578. - Professi a votis temporariis, de quibus in can. 574:

1° Fruuntur iisdem indulgentiis, privilegiis et spiritualibus gratiis, quibus gaudent professi a votis solemnibus aut professi a votis simplicibus perpetuis; et si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent; [b]

2° Eadem obligatione tenentur observandi regulas et constitutiones, sed, ubi viget chori obligatio, divini officii privatim recitandi lege non obstringuntur, nisi sint in sacris constituti aut aliud constitutiones expresse praescribant;

3° Voce activa et passiva carent, nisi aliud in constitutionibus expresse caveatur; tempus autem praescriptum ad fruendum voce activa et passiva, silentibus constitutionibus, computetur a prima professione.

Can. 579. - Simplex professio, temporaria sit vel perpetua, actus votis contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit; professio autem sollemnis, si sint irritabiles, etiam invalidos.

Can. 580. - § 1. Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis, nisi aliud in constitutionibus cautum sit,

[a] De obligatione, utilitate et methodo efformandi et conservandi *Archiva*, vide sequentia documenta: *Concilium prov. Mediolanense I* (1565), pars II, c. 62, in Mansi XXXIV, 66-68; *Acta Eccl. Mediolanen.* II, 112. Pius V, Const. ap. *Muneris nostri*, diei 1 martii 1571, in *BR* VII, 893-894. *Concilium prov. Beneventanum* I (1693), tit. XV, in Mansi XXXVI-ter, 560-561; *Coll. Lacen.* I, 38-40. Benedictus XIII, Const. ap. *Maxima vigilantia*, diei 14 iunii 1727, in *BR* XXII, 560-567; *Fontes* I, 293; *Enchir. Cler.* 200-215. Leo XIII, Motu proprio *Quanto grandi*, diei 9 septembris 1878, in *Acta Leonis XIII*, vol. I, 112-138. Leo XIII, Motu proprio *Augustum*, diei 1 octobris 1888, cum adnexis *Ordinationibus*, in *Acta Leonis XIII*, vol. VIII, 326-366. Secretaria Status, Litt. circ. *Le cure*, diei 30 septembris 1902, ad Italiae Episcopos, cum adnexis *Ordinationibus*, in *Enchir. Cler.* 619-691. Secretaria Status, Litt. circ. *L'urgente necessità*, diei 12 decembris 1907, in *Enchir. Cler.* 1161. Secretaria Status, Epist. Cardinalis Gasparri *La Chiesa Cattolica*, diei 5 aprilis 1923, ad Italiae Episcopos, in *Enchir. Cler*, 1160-1172. *Cod. Iur. Can.*, canones 375 sqq.

[b] N. 331.

http://www.obrascatolicas.com/

conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, salvis quae in can. 569 praescripta sunt.

§ 2. Quidquid autem industria sua vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit.

§ 3. Cessionem vel dispositionem de qua in can. 569, § 2, professus mutare potest non quidem proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de supremi Moderatoris licentia, aut, si de monialibus agatur, de licentia Ordinarii loci et, si monasterium regularibus obnoxium sit, Superioris regularis, dummodo mutatio, saltem de notabili bonorum parte, non fiat in favorem religionis; per discessum autem a religione eiusmodi cessio ac dispositio habere vim desinit.

Can. 581. - § 1. Professus a votis simplicibus antea nequit valide, sed intra sexaginta dies ante professionem sollemnem, salvis peculiaribus indultis a Sancta Sede concessis, debet omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturae professionis, renuntiare.

§ 2. Secuta professione, ea omnia statim fiant, quae necessaria sunt ut renuntiatio etiam iure civili effectum consequatur.

Can. 582. - Post sollemnem professionem, salvis pariter peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia bona quae quovis modo obveniunt regulari:

1° In Ordine capaci possidendi, cedunt Ordini vel provinciae vel domui secundum constitutiones;

2° In Ordine incapaci, acquiruntur Sanctae Sedi in proprietatem.

Can. 583. - Professis a votis simplicibus in Congregationibus religiosis non licet:

1° Per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso abdicare;

2° Testamentum conditum ad normam can. 569, § 3, mutare sine licentia Sanctae Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superioris maioris aut, si nec ille adiri possit, localis.

Can. 585. - Professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim. [a]

---

[a] Cfr. can. 115; 188, 1°; 584 quoad beneficia.



Can. 586. - § 1. Professio religiosa irrita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur.

§ 2. Si autem irrita fuerit ob consensus defectum mere internum, hoc praestito, convalescit, dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus.

§ 3. Si contra validitatem professionis religiosae gravia sint argumenta et religiosus renuat ad cautelam sive professionem renovare sive eiusdem sanationem petere, res ad Sedem Apostolicam deferatur.

## 300

## De ratione studiorum in religionibus clericalibus

Can. 587. - § 1. Quaelibet clericalis religio habeat studiorum sedes a Capitulo generali vel a Superioribus approbatas, firmo praescripto can. 554, § 3.

§ 2. In studiorum domo vigeat perfecta vita communis, secus studentes ad ordines promoveri nequeunt.

§ 3. Si religio aut provincia studiorum domos rite instructas habere nequeat, aut si quas habet, adire, Superiorum iudicio, difficile sit, religiosi alumni mittantur vel ad recte ordinatam studiorum sedem alius provinciae aut religionis, vel ad scholas Seminarii episcopalis, vel ad publicum catholicum athenaeum.

§ 4. Religiosis, qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur, non licet in privatis domibus habitare, sed opus est ut in aliquam suae religionis domum se recipiant, vel, si id fieri non possit, apud religiosum aliquod istitutum virorum, vel Seminarium aliamve piam domum, cui sacri ordinis viri praesint, quaeque ab ecclesiastica auctoritate approbata sit.

Can. 588. - § 1. Toto studiorum curriculo religiosi committantur speciali curae Praefecti seu Magistri spiritus qui eorum animos ad vitam religiosam informet opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus.

§ 2. Praefectus vel Magister spiritus iis qualitatibus praeditus sit oportet, quae in Magistro novitiorum requiruntur ad normam can. 559, §§ 2, 3.

§ 3. Superiores vero sedulo invigilent ut ea quae can. 595 pro omnibus religiosis praescribuntur, in studiorum domo perfectissime observentur.

http://www.obrascatolicas.com/

Can. 589. - § 1. Religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi, in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium, doctrinae D. Thomae inhaerentes ad normam can. 1366, § 2, diligenter incumbant, secundum instructiones Apostolicae Sedis.

§ 2. Studiorum tempore magistris et alumnis officia ne imponantur quae a studio eos avocent vel scholam quoquo modo impediant; supremus autem Moderator et in casibus particularibus alii quoque Superiores possunt pro sua prudentia eos a nonnullis communitatis actibus, etiam a choro, praesertim nocturnis horis, eximere, quoties id studiis excolendis necessarium videatur.

## 301

### De examinibus quinquennalibus

Can. 590. - Religiosi sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Superioribus maioribus gravem ob causam fuerint exempti, aut qui vel sacram theologiam, vel ius canonicum vel philosophiam scholasticam doceant, post absolutum studiorum curriculum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis.

## 302

### De solutione casuum

Can. 591. - In qualibet saltem formata domo, minimum semel in mense, habeatur solutio casus moralis et liturgici, cui, si Superior opportunum existimaverit, addi potest sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis; et omnes clerici professi qui studio sacrae theologiae operam navant aut illud expleverunt et in domo degunt, assistere tenentur, nisi aliud in constitutionibus caveatur.

## 303

### De obligationibus religiosorum

Can. 592. - Obligationibus communibus clericorum, de quibus in cann. 124-142, etiam religiosi omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

Can. 593. - Omnes et singuli religiosi, Superiores aeque ac subditi, debent, non solum quae nuncuparunt vota fideliter inte-



greque servare, sed etiam secundum regulas et constitutiones propriae religionis vitam componere atque ita ad perfectionem sui status contendere.

Can. 595. - § 1. Curent Superiores ut omnes religiosi:

1° Quotannis spiritualibus exercitiis vacent;[a]

2° Legitime non impediti quotidie Sacro intersint, orationi mentali vacent, et in alia pietatis officia, quae a regulis et constitutionibus praescripta sint, sedulo incumbant;

3° Ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant.

§ 2. Superiores suos inter subditos promoveant frequentem, etiam quotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem; frequens autem, imo etiam quotidianus accessus ad sanctissimam Eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat.

§ 3. Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religiosus communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere.

§ 4. Si quae sint religiones votorum sive sollemnium sive simplicium, quarum in regulis aut constitutionibus vel etiam calendariis communiones aliquibus diebus affixae aut iussae reperiantur, hae normae vim dumtaxat directivam habent.

Can. 596. - Religiosi omnes proprium suae religionis habitum deferant tum intra tum extra domum, nisi gravis causa excuset, iudicio Superioris maioris aut, urgente necessitate, etiam localis.

Can. 599. - § 1. Si domus regularium virorum adnexum habeat convictum pro alumnis internis vel alia opera religionis propria, separata saltem aedis pars, si fieri possit, religiosorum habitationi reservetur, clausurae legi subiecta.

§ 2. Etiam in loca extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus religionis propriis reservata, personae alterius sexus, nisi aequa de causa et de Superioris licentia, ne admittantur.

Can. 606. - § 1. Curent Superiores religiosi ut accurate observentur quae sive circa egressum subditorum e claustris, sive circa excipiendos vel adeundos extraneos, in propriis constitutionibus praescripta sunt.

---

[a] N. 355.

http://www.obrascatolicas.com/

§ 2. Superioribus fas non est, salvis praescriptis in can. 621-624, permittere ut subditi extra domum propriae religionis degant, nisi gravi et iusta de causa atque ad tempus quo fieri potest brevius secundum constitutiones; pro absentia vero quae sex menses excedat, nisi causa studiorum intercedat, semper Apostolicae Sedis venia requiritur.

Can. 610. - § 1. In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio, in singulis domibus ubi quatuor saltem sint religiosi choro obligati et actu legitime non impediti, et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum quotidie divinum officium communiter persolvi.

§ 2. Missa quoque officio diei respondens secundum rubricas quotidie celebrari debet in religionibus virorum et etiam, quoad fieri possit, in religionibus mulierum.

§ 3. In eisdem religionibus sive virorum sive mulierum, sollemniter professi qui a choro abfuerunt, debent, exceptis conversis, horas canonicas privatim recitare.

Can. 611. - Omnes religiosi sive viri sive mulieres, libere possunt mittere litteras, nulli obnoxias inspectioni, ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad Cardinalem Protectorem, ad proprios Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem, ad Ordinarium loci cui subiecti sint et, si agatur de monialibus quae sub regularium iurisdictione sunt, etiam ad Superiores maiores Ordinis; et ab istis omnibus praedicti religiosi, viri aut mulieres, litteras item nemini inspiciendas recipere. [a]

## 304

### De privilegiis religiosorum

Can. 614. - Religiosi, etiam laici ac novitii, fruuntur clericorum privilegiis de quibus in can. 119-123.

## 305

### De studentibus ad stipem colligendam non mittendis

Can. 623. - Non licet Superioribus stipem colligendam committere, nisi professis aetate animoque maturis, maxime si de mulieribus agatur, nunquam autem iis qui in studia adhuc incumbunt.

[a] N. 390[a].



## 306

### De transitu ad aliam religionem

Can. 632. - Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel e monasterio sui iuris ad aliud transire sine auctoritate Apostolicae Sedis.

Can. 633. - § 1. Transiens ad aliam religionem novitiatum peragere debet; quo durante, manentibus votis, iura et obligationes particulares, quas in religione derelicta habuit, suspensa manent, et ipse obligatione tenetur Superioribus novae religionis et ipsi novitiorum Magistro parendi etiam ratione voti obedientiae.

§ 2. Si in religione ad quam transiit, professionem non edat, ad pristinam religionem redire debet, nisi interim votorum tempus exspiraverit.

§ 3. Transiens ad aliud monasterium eiusdem Ordinis nec novitiatum peragit nec novam emittit professionem. [a]

Can. 634. - Sollemniter professus aut professus a vobis simplicibus perpetuis, si transierit ad aliam religionem cum votis sollemnibus vel simplicibus perpetuis, post novitiatum, praetermissa professione temporaria, de qua in can. 574, vel admittatur ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam vel ad pristinam redeat religionem; ius tamen est Superiori eum probandi diutius, sed non ultra annum ab expleto novitiatu. [b]

Can. 635. - Transeuntes ad aliud monasterium eiusdem religionis a die transitus, ad aliam vero religionem ab edita nova professione:

1° Amittunt omnia iura et obligationes prioris religionis vel monasterii et alterius iura et officia suscipiunt;

2° Religio vel monasterium *a quo* bona servat, quae ipsius religiosi ratione iam ei quaesita fuerunt; quod spectat ad dotem eiusve fructus et alia bona personalia, si qua habeat religiosus, servandum praescriptum can. 551, § 2; demum nova religio ius habet pro novitiatus tempore ad iustam retributionem, si eidem locus sit ad normam can. 570, § 1.

Can. 636. - Sollemnitas votorum in eo qui legitime secundum superiores canones vota simplicia in Congregatione religiosa nuncupat, eo ipso exstinguitur, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur.

[a] N. 345.
[b] N. 341.

http://www.obrascatolicas.com/

## 307

### De egressu e religione

Can. 637. - Professus a votis temporariis, expleto votorum tempore, libere potest religionem deserere; pariter religio ob iustas ac rationabiles causas eundem potest a renovandis votis temporariis vel ab emittenda professione perpetua excludere, non tamen ratione infirmatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.

Can. 641. - § 1. Si religiosus in sacris constitutus propriam dioecesim ad normam can. 585 non amiserit, debet, non renovatis votis, vel obtento saecularizationis indulto, ad propriam redire dioecesim et a proprio Ordinario recipi; si amiserit, nequit extra religionem sacros ordines exercere, donec Episcopum benevolum receptorem invenerit, aut Sedes Apostolica aliter providerit.

§ 2. Episcopus religiosum recipere potest sive pure et simpliciter, sive pro experimento ad triennium; in priore casu religiosus eo ipso est dioecesi incardinatus; in altero, Episcopus potest probationis tempus prorogare, non ultra tamen aliud triennium; quo etiam transacto, religiosus, nisi antea dimissus fuerit, ipso facto dioecesi incardinatus manet.

Can. 642. - § 1. Quilibet professus, ad saeculum regressus, licet valeat, ad normam can. 641, sacros ordines exercere, prohibetur tamen sine novo et speciali Sanctae Sedis indulto:

1° Quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus;

2° Quolibet magisterio et officio in Seminariis maioribus et minoribus seu collegiis, in quibus clerici educantur, itemque in Universitatibus et Institutis, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus academicos;

3° Quocumque officio vel munere in Curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiamsi agatur de Congregationibus dioecesanis.

§ 2. Haec valent quoque de iis qui vota temporaria, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt et ab eisdem dispensati fuerunt, si per sex integros annos eisdem ligati fuerint. [a]

[a] N. 336.



## 308

### De dimissione religiosorum

Can. 648. - Religiosus dimissus ad normam can. 647 ipso facto solvitur ab omnibus votis religiosis, salvis oneribus ordini maiori adnexis, si sit in sacris, et firmo praescripto can. 641, § 1, 642; clericus autem in minoribus ordinibus constitutus eo ipso redactus est in statum laicalem. [a]

Can. 653. - In casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, religiosus statim potest a Superiore maiore cum consensu sui Consilii vel etiam, si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorem maiorem, a Superiore locali cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci, ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito, ita tamen ut res per ipsum Ordinarium aut per Superiorem maiorem, si adsit, Sanctae Sedis iudicio sine mora subiiciatur.

Can. 669. - § 1. Professus qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis religiosis manet adstrictus, salvis constitutionibus aut Sedis Apostolicae indultis quae aliud ferant.

§ 2. Si clericus est in minoribus ordinibus constitutus, eo ipso reducitur ad statum laicalem.

## 309

### De magistri novitiorum et seminarii collegiive superioris audiendi confessiones suorum alumnorum prohibitione

Can. 891. - Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte in petant.

## 310

### Religiosi a quonam ordines recipere possint

Can. 964. - Quod attinet ad ordinationem religiosorum:

1° Abbas regularis de regimine, etsi sine territorio *nullius*, potest conferre primam tonsuram et ordines minores, dummodo promo-

[a] N. 337.

http://www.obrascatolicas.com/

vendus sit ipsi subditus vi professionis saltem simplicis, ipse vero sit presbyter et benedictionem abbatialem legitime acceperit. Extra hos fines, ordinatio, ab eodem collata, revocato quolibet contrario privilegio, est irrita, nisi ordinans charactere episcopali polleat;

2° Religiosi exempti a nullo Episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris;

3° Superiores professis votorum simplicium, de quibus in can. 574, litteras dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores;

4° Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis regitur iure saecularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines maiores.

Can. 965. - Episcopus ad quem Superior religiosus litteras dimissorias mittere debet, est Episcopus dioecesis, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus.

Can. 966. - § 1. Tunc tantum Superior religiosus ad alium Episcopum litteras dimissorias mittere potest, cum Episcopus dioecesanus licentiam dederit, aut sit diversi ritus, aut sit absens, aut non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore ad normam can. 1006, § 2, vel denique cum dioecesis vacet nec eam regat qui charectere episcopali polleat.

§ 2. Necesse est ut singulis in casibus id Episcopo ordinaturo constet ex authentico Curiae episcopalis testimonio.

Can. 967. - Caveant Superiores religiosi ne in fraudem Episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus sit ordinationes.

## 311

### De subiecto sacrae ordinationis

Can. 970. - Proprius Episcopus vel Superior religiosus maior potest suis clericis ex quavis canonica causa, occulta quoque, etiam extraiudicialiter, ascensum ad ordines interdicere, salvo iure recursus ad Sanctam Sedem, vel etiam ad Moderatorem generalem, si agatur de religiosis quibus ascensum interdixerit Superior provincialis.

Can. 971. - Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere.



## 312

### De titulo ordinationis

Can. 982. - § 1. Pro regularibus titulus canonicus est sollemnis religiosa professio seu titulus, ut dicitur, paupertatis.

§ 2. Pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus *mensae communis, Congregationis* aliusve similis, ad normam constitutionum.

§ 3. Ceteri religiosi, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, iure saecularium reguntur.

## 313

### De irregularitate ex defectu relate ad sacros ordines

Can. 984. - Sunt irregulares ex defectu: 1° Illegitimi, sive illegitimas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi. [a]

## 314

### De proposito recipiendi ordines superiori maiori aperiendo

Can. 992. - Omnes tum saeculares tum religiosi ad ordines promovendi per se ipsi vel per alios Episcopo alliive qui Episcopi hac in re vices gerat, suum propositum ante ordinationem opportuno tempore aperiant.

## 315

### De litteris dimissoriis

Can. 995. - § 1. Etiam Superior religiosus suis litteris dimissoriis non solum testari debet promovendum professionem religiosam emisisse et esse de familia domus religiosae sibi subditae, sed etiam de studiis peractis, deque aliis iure requisitis.

§ 2. Episcopus, acceptis iis litteris dimissoriis, aliis testimonialibus litteris non indiget.

## 316

### De examine ordinandorum

Can. 996. - § 1. Quilibet promovendus sive saecularis sive religiosus debet praevium ac diligens examen subire circa ipsum ordinem suscipiendum.

---

[a] Cfr. can. 991, § 3.

http://www.obrascatolicas.com/

§ 2. Promovendi vero ad sacros ordines in aliis quoque de sacra theologia tractationibus periculum faciant.

§ 3. Episcoporum est statuere qua methodo, coram quibus examinatoribus et quibus in tractationibus sacrae theologiae promovendi periculum facere debeant.

Can. 997. - § 1. Hoc examen sive pro clericis saecularibus sive pro religiosis recipit loci Ordinarius qui iure proprio ordinat, aut dat dimissorias litteras; qui tamen potest quoque, ex iusta causa, illud Episcopo ordinaturo committere, qui id oneris suscipere velit.

§ 2. Episcopus alienum subditum sive saecularem sive religiosum ordinans cum legitimis dimissoriis, quibus asseritur candidatum examinatum fuisse ad normam § 1, et idoneum repertum, potest huic attestationi acquiescere, sed non tenetur; et si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat.

## 317

### De potestate superioris erga privata subditorum suorum vota

Can. 1312. - § 1. Qui potestatem dominativam [a] in voluntatem voventis legitime exercet, potest eius vota valide et, ex iusta causa, etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat.

§ 2. Qui potestatem non quidem in voluntatem voventis, sed in voti materiam habet, potest voti obligationem tandiu suspendere, quandiu voti adimplementum sibi praeiudicium afferat.

## 318

### De votis ante professionem religiosam emissis

Can. 1315. - Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit.

## 319

### De poena ipso facto incurrenda ab iis qui aliquem quocumque modo cogant ad religionem ingrediendam vel ad emittendam professionem

Can. 2352. - Excommunicatione nemini reservata ipso facto plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo

[a] Cfr. can. 501, § 1.



modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam.

## 320

### De poena illius cuius professio ab dolum ab ipso admissum nulla declarata fuerit

Can. 2387. - Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiiciatur; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit.

## 321

### Contra superiores ad novitiatum, professionem, ordines illegitime admittentes

Can. 2411. - Superiores religiosi qui candidatum non idoneum contra praescriptum can. 542, aut sine requisitis litteris testimonialibus contra praescriptum can. 544, ad novitiatum receperint, vel ad professionem contra praescriptum can. 571, § 2 admiserint, pro gravitate culpae puniantur, non exclusa officii privatione.

# SACRA CONGREGATIO SANCTI OFFICII

## 322

### Circa Consilia a vigilantia et Iuramentum antimodernisticum

(Decr. *Cum in Codice*, diei 22 martii 1918)

Cum in Codice Iuris Canonici, a proximo die festo Pentecostes obligandi vim habituri, nulla fiat mentio *Consiliorum a vigilantia* et *Iuramenti antimodernistici*, de quibus respective agitur in Constitutione *Pascendi Dominici gregis* [a] et Motu-proprio *Sacrorum Antistitum* [b] s. m. Pii Pp. X, inspecto Codicis ipsius can. 6, n. 6, pro-

[a] N. 256.
[b] N. 268.

http://www.obrascatolicas.com/

positum est dubium: *An praescriptiones ad duo supra memorata capita spectantes, post dictum diem festum Pentecostes, in vigore manere pergant an non?*

Re, iussu Ssmi D. N. Benedicti Pp. XV, feliciter regnantis, ad Supremam hanc Sacram Congregationem Sancti Officii delata, Emi ac Revmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, in plenario conventu habito feria IV, die 20 martii 1918, expresse declarandum decreverunt: « Praescriptiones praedictas, ob serpentes in praesenti modernisticos errores latas, natura quidem sua, temporarias esse ac transitorias, ideoque in Codicem Iuris Canonici referri non potuisse; aliunde tamen, cum virus *Modernismi* diffundi minime cessaverit, eas in pleno suo robore manere debere usquedum hac super re Apostolica Sedes aliter statuerit ».

Et sequenti feria V eiusdem mensis et anni idem Ssmus D. N., in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem plane adprobare ac suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*AAS* X (1918), 136; *Enchir Cler.* 1064.

## SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

### 323

### Circa Clericorum frequentiam in laicis Universitatibus

(Decretum *Nemo de sacro*, diei 30 aprilis 1918)

Nemo de sacro clero laicas Universitatum facultates frequentare potest ibique profana quaevis studia peragere, nisi de Episcopi sui voluntate vel beneplacito. Id ex praescriptis Codicis canonici aperte deducitur. Neve haec dispositio nova est aut primum inducta. Etenim tum Leo XIII, tum Pius X, f. ambo r., id aperte sanxerunt; alter per Instructionem sub die 21 iulii 1896 a S. Congregatione EE. et RR. ad Ipsius mentem impertitam, quaeque incipit *Perspectum est Romanos Pontifices,*[a] alter vero in Encyclica *Pascendi* sub die 7 septembris 1907,[b] necnon Motu Proprio diei 1 septembris 1910, qui incipit: *Sacrorum Antistitum.*[c]

[a] N. 235.
[b] N. 256.
[c] N. 268.



Hinc patet totam hanc de frequentandis Universitatibus laicis materiam in Episcoporum iure ac potestate esse positam nec deesse regulas quibus ipsi in re dirigantur.

Quoniam tamen nonnulli locorum Ordinarii pressiores exquisierint normas, quibus ipsi ex iure procedant, ac maxima caveantur discrimina quae ex diuturna tristique experientia tam vitae sanctitati quam catholicae doctrinae puritati sacerdotibus laicas Universitates celebrantibus impendunt; SS. D. N. Benedictus Pp. XV, causa prius rite discussa penes S. C. Consistorialem, de consulto Emorum eiusdem S. Congregationis Patrum, Decessorum Suorum Leonis XIII et Pii X supra memoratas ordinationes confirmans easque in suo pleno robore permanere declarans, haec insuper edicenda ac statuenda suoque nomine promulganda constituit:

1. Nullus ad laicas Universitatum facultates destinetur nisi sacerdotio iam auctus, quique spem bonam ingerat fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem tam ingenii vi ac perspicacia, quam sanctitate morum adiiciat.

2. Episcopus in destinando sacerdotes suos ad laicas studiorum Universitates frequentandas nihil aliud prae oculis habeat, nisi quod dioecesis suae necessitas vel utilitas exigat, ut nempe in institutis ad iuventutem erudiendam destinatis idonei comparentur magistri.

3. Qui, pro hac norma, ad Universitates laicas frequentandas destinabuntur sacerdotes, si novensiles sunt, ab examinibus quae in can. 103 et 590 praescripta sunt, minime eximantur, quin potius eadem subire vel strictius iubeantur, ne, profanarum scientiarum studio abrepti, ecclesiastica studia praetereant, contra praescriptum can. 129.

4. Expletis demum in laica quavis Universitate praescriptis studiorum cursibus, sciant Sacerdotes ac meminerint se Ordinario suo pari omnino ratione ac antea subiectos ac dioecesis servitio manere emancipatos. Quamobrem nemini fas erit magisteria saecularia aliave officia pro suo lubitu, maximeve contra Ordinarii sui voluntatem, suscipere; quod si quis fecerit, congruis poenis, non exclusa suspensione a divinis, plectatur.

5. Haec omnia quae de clero saeculari sunt dicta, ad religiosos etiam regulares, congrua congruis referendo, sunt applicanda.[a]

*AAS* X (1918), 237-238; *Sylloge* 63; *Enchir. Cler.* 1065-1070.

[a] Nn. 362, 379.



http://www.obrascatolicas.com/

## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

### 324
### De litteris testimonialibus
(Responsum diei 28 iulii 1918)

Quoad Fratres Scholarum Christianarum, pro alumnis sui « minoris novitiatus » litterae testimoniales ab ordinario loci non sunt exquirendae, pro tempore quod in ista domo vixerint. [a]

In *AAS* non promulgatum. [b]

### 325
### De confessionibus a magistro spiritus non recipiendis
(Responsum diei 27 septembris 1918)

Magistri spiritus religiosorum studentium subiiciuntur praescriptioni canonis 518 § 2, si studentes partem a communitate aliquo modo seiunctam efformant.

In *AAS* non promulgatum. [c]

## SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

### 326
### De clericis et religiosis e militia redeuntibus
(Decretum *Redeuntibus*, diei 25 octobris 1918)

Redeuntibus e militari servitio clericis, oportet ut Ordinarii omnes maximo cum studio nitantur eos omnes a mundano pulvere detergere, quo inter armorum strepitus et quotidiana pericula pronum est etiam religiosa corda sordescere, eosque ab irregularitatibus et ab impedimentis quae dimicando contraxerint liberare. Hoc sane exigit ipsorum clericorum bonum, fidelium animarum salus et Ecclesiae utilitas.

Itaque Beatissimus Pater Benedictus Pp. XV, dum cum Episcopis universis impense dolet grave vulnus ecclesiasticae disciplinae

[a] Can. 544, § 2.
[b] SARTORI, *Enchiridion Canonicum*, ed. VII, sub can. 544, § 2.
[c] MATTH. C. A CORONATA, *Interpretatio authentica*, sub can. 518, § 2.



illatum clericos adigendo ad militare stipendium faciendum, quod, praeter reliqua, tot paroecias spiritualibus subsidiis et Seminaria suis alumnis magno cum christianae plebis detrimento privavit; in praesenti cum pax diu desiderata in eo iam sit ut lucescere videatur, ad sanctum finem assequendum renovandi in sacerdotibus a militia reversis ecclesiasticum spiritum et diluendi noxas quas forte contraxerint, auditis haud paucis Archiepiscopis nationum omnium quae inter se praesenti bello dimicarunt, de consulto peculiaris coetus Eminentissimorum Cardinalium, haec quae sequuntur, statuit ac decrevit:

#### CAPUT I
#### *De irregularitatibus*

1. Omnibus Ordinariis locorum et religiosorum facultas conceditur dispensandi ab irregularitate ex defectu corporis cum suis sacerdotibus e militari servitio revertentibus, quoties ex testimonio scripto magistri caeremoniarum, qui sacerdotem examini subiecerit, plane constiterit ipse posse sine alieno auxilio servare cum decore omnes ritus necessarios in Missae celebratione praescriptos; onerata super hoc ipsorum Ordinariorum conscientia.

In casibus vero gravioribus vel dubiis, et quoties agatur de non promotis ad sacerdotium, recurrendum erit ad S. Sedem.

2. Pariter omnibus Ordinariis facultas conceditur dispensandi, saltem ad cautelam, ex irregularitate, quae a canonistis olim dicebatur *ex defectu lenitatis*, quoties sacerdotes, clerici et seminariorum seu religionum alumni in eam incurrerint non ex facto proprio, sed ex necessitate, coacti nempe ad arma capessenda et mortem vel mutilitationem forte inferendam. Quoties vero agatur de clericis in sacris qui, non legum necessitate coacti, sponte sua se obtulerunt ad arma suscipienda, aut ea susceperunt, pro dispensatione ad Sanctam Sedem erit recurrendum, firmo tamen praescripto can. 188, n. 6.

Quapropter Ordinarii, praevio examine in singulis casibus, decernant cum revertentibus e militia quos ab irregularitate absolvere possint, quos ad S. Sedem remittere debeant.

Ipsi autem sacerdotes qui e militia revertuntur et sciunt se irretitos esse irregularitate S. Sedi reservata, ne audeant sacris ministrare ante obtentam dispensationem.

http://www.obrascatolicas.com/

## Caput II

*De dandis et assumendis informationibus*

3. Singuli locorum Ordinarii de clericis et Seminariorum alumnis alterius iurisdictionis, qui in sua dioecesi militare servitium obeuntes per notabile tempus commorati sunt, vel adhuc commorentur, notitias, quantum fieri potest plenas, propriis illorum Ordinariis quam cito praebere accuratissime satagant: idque gravissimum conscientiae officium esse reputent, quo neglecto, haud modica christianae rei oriri poterunt detrimenta.

Notitias autem, quas Ordinarii de suis clericis et alumnis receperint, complere studeant per informationes ab aliis fontibus ac personis, ad rem quam diligentissime assumptis, ac demum per examen etiam personale de quo infra.

## Caput III

*De sacerdotibus saecularibus et regularibus*

4. Sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, redeuntes e militia, intra decem dies a reditu tenentur se sistere coram Ordinario suo eique exhibere litteras Ordinarii Castrensis vel saltem militaris cappellani sui, aliaque documenta quae testimonium reddant de eorum vita et moribus; quae omnia proinde secum afferre curabunt. Ordinario autem eos percontanti de iis quae pertinent ad externam seu publicam vitae rationem quam in militia duxerunt, de operibus ibi actis, de locis ubi commorati sint, respondere ex conscientia secundum veritatem iubentur.

Qui intra tempus superius praefixum Ordinarium suum non adibunt, suspensi manent ipso facto a divinis: a qua censura non relevabuntur, nisi quum quae supra mandata sunt impleverint.

5. Omnes sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, intra tempus ab Ordinario suo designandum (quod sine iusta et necessaria causa nimium protrahere non licebit), secedere debebunt in aliquam piam domum ab Ordinario designatam ad spiritualia exercitia peragenda, iuxta ipsius Ordinarii praescriptiones.

Qui huic praecepto non satisfecerint, manebunt pariter ipso facto suspensi a divinis, a qua censura non liberabuntur, nisi quum exertitiorum domum ingredientur.

6. Quum spiritualia exercitia, ut fructuose fiant, peragi debeant in aliqua pia domo a mundanis rumoribus remota, in silentio, sub



ductu prudentis ac pii directoris et cum subsidio praedicatorum et confessariorum, qui cum doctrina et prudentia vitae sanctitatem coniungant, necesse est ut Ordinarii multo cum studio haec omnia comparent.

Sed quum vix possibile sit ut singulae dioeceses et religionum provinciae domum pro spiritualibus exercitiis plene instructam habeant; Episcopi curent cum aliis eiusdem provinciae aut regionis Presulibus convenire ad communem aliquam domum designandam et instruendam. Idem ut Ordinarii religiosorum peragant praecipitur.

7. Quum sacerdotum reversorum a militia non eadem sit conditio, neque par necessitas abluendi conscientiam et renovandi ecclesiasticum spiritum, Ordinariorum prudentiae relinquitur breviorem vel longiorem spiritualium exercitiorum cursum pro singulis statuere; ita tamen ut nemo minus quam octo integros dies spiritualis recessus impleat.

8. Ob eamdem causam in singulis casibus Ordinarii definient, utrum, post spiritualia exercitia peracta, sacerdotes ad pristina officia sive curae animarum, sive magisterii aut regiminis in Seminariis aut similia sint statim restituendi, vel secus.

Ad hunc finem tribuitur facultas Episcopis removendi ad tempus ab animarum cura, ab officio confessarii, a regimine et magisterio alumnorum in Seminario, qui durante militia non bene se gesserint, sive iidem suspensi fuerint a divinis, sive non; eosque adigere poterunt ad vivendum ad tempus vel in aliqua religiosa domo, vel sub ductu pii et prudentis sacerdotis cum obligatione pia aliqua exercitia ex praescripto faciendi.

Idem in paribus casibus statuant Ordinarii religiosorum pro suis subditis, quos etiam voce activa et passiva ad tempus privare poterunt et ad vivendum in aliquo strictioris observantiae conventu adstringere. Superioribus autem generalibus facultas insuper tribuitur removendi superiores provinciales et locales, quoties ex eorum agendi ratione in militia id necessarium esse ducant.

Caveant tamen Ordinarii, quantum fieri potest, ne sacerdotes sive saeculares sive regulares sedem figant in locis ubi, militare servitium obeuntes, diu commorati sint.

In casibus vero dubiis vel gravioribus, Ordinarii ad S. Sedem recurrant.

9. Denique, attentis peculiaribus nostri temporis conditionibus, conceditur Ordinarii dioecesanis facultas ad quinquennium valitu-

http://www.obrascatolicas.com/

ra, qua, exigente animarum necessitate, si desint sacerdotes unicuique paroeciae proprii, committere possint uni eidemque sacerdoti curam duarum vel etiam trium paroeciarum, et transferre parochos a paroecia sua ad aliam magis centralem ex qua facilius succurrere possint fidelibus ipsorum curae commissis.

## Caput IV

*De alumnis Seminariorum*

10. Omnes Seminariorum alumni, qui post militare servitium ad pium locum redire volent:

*a*) Ordinario suo se sistent, eodem prorsus modo ac de sacerdotibus superius est dictum.

*b*) Ordinarius circa examen et notitias assumendas eadem ratione se geret ac cum sacerdotibus.

*c*) Si ex hoc examine aliisque argumentis et documentis constiterit aliquem haud bene se gessisse in militia, Episcopus, habito cum deputatis super disciplina et cum rectore Seminarii consilio, eum a regressu in Seminarium repellat.

*d*) Si aliter constiterit, Episcopus, habita cum iisdem deputatis et rectore Seminarii consilio, petitionem admittat; sed sub modo et conditionibus quae in sequentibus indicantur.

*e*) In primis alumnum iubeat spiritualia exercitia peragere et quoad locum, tempus et modum spiritualis recessus Episcopus statuat ac decernat quod magis in Domino expedire in singulis casibus censeat, servatis, quantum fieri poterit, iisdem regulis ac cum sacerdotibus.

*f*) Post spiritualia exercitia, videat pariter, pro sua prudentia et cum consilio ut supra, utrum expediat alumnum a militia reversum cum ceteris statim admittere, an per aliquod tempus seorsim sub speciali vigilantia eum cum aliis a militia reversis detinere.

11. Alumni in Seminarium reversi studia prosequentur inde adamussim incipiendo ubi ea abruperunt, et integrum cursum perficiant.

12. Quoad ordinationem, Episcopi, memores plus quam alias apostolici illius praecepti: [1] « Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis », caveant a promovendis suis alumnis, praesertim ad maiores Ordines, antequam per aliquot menses eos rite comprobaverint, onerata super hoc gravissime eorum conscientia.

[1] *I Tim.* V, 22.



## Caput V

*De novitiis clericisque religiosis*

13. Quoad novitios et clericos diversarum religionum, qui post militare servitium ad religionem suam revertuntur, eaedem cum proportione serventur regulae ac de Seminariorum alumnis praescriptae sunt.

14. Transitus religiosorum, post militare servitium, ad clerum saecularem eorumque admissio in Seminarium prohibita manent iuxta communis iuris praescriptum.

## Caput VI

*De laicis aut conversis variarum religionum*

15. Qui fratres conversi vel laici in variis religionibus nuncupantur et post militare servitium ad conventum redeunt, consueto ut supra examini Superiores subiiciant; et si bene in militia eos se gessisse constet, praeviis spiritualibus exercitiis, cum cautelis et regulis in superioribus articulis nuntiatis, eos denuo in communitatem admittant.

Si vero constet eos se male gessisse et votis solemnibus ligati non fuerint, dimittant et hoc ipso a votis omnibus, etiam castitatis perpetuae absoluti erunt.

Quod si votis solemnibus obstricti fuerint, Superiores casum deferant ad S. Congregationem de Religiosis, et interim eos iubeant penes consanguineos suos, vel in monasterio, sed seorsim, vivere.

## Caput VII

*De clericis in sacris, saecularibus vel regularibus, qui in graviora crimina prolapsi fuerint*

16. Cum clericis in sacris, qui forte in aliquod ex maioribus delictis, durante militari servitio, misere lapsi forent, quum redeunt, Ordinarii paterne quidem se gerant, sed ad eorum emendationem et salutem et in publicum Ecclesiae bonum, non omittent in singulis casibus iuxta criminum naturam procedere, prout in lib. V Codicis praescribitur, praesertim si in infamiam iuris vel facti incurrerint.

Cum iis vero qui per lugendum nefas a suis votis vel etiam a religione apostatae ad saecularem statum transiverint, iidem Ordi-

http://www.obrascatolicas.com/

narii boni pastoris officium, quantum in ipsis est, agere non omittant, errantes oves opportune quaerendo. Curent insuper pro viribus ut, saltem in aliorum fidelium scandalum et perniciem, eorum prava exempla ne cedant.

Meminerint praeterea officii sui esse in relatione de dioecesis vel religionis statu aperte innuere an et quot apostatae deplorari apud ipsos debuerint.

Haec omnia Sanctitas Sua districte ab omnibus Ordinariis servari mandat, nec plane dubitat, attenta singulari rei gravitate, quominus omnes et singuli peculiarissimum impensuri sint studium, ut quae praescribuntur plene et ad unguem impleantur. [a]

*AAS* X (1918), 481-486; *Enchir. Cler.* 1071-1074.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 327

### De religiosis e militia redeuntibus

(Rescriptum diei 23 decembris 1918)

Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papae XV humillimae porrectae sunt preces ut consulere dignaretur iis Religiosis, qui, bello perdurante, militiae nomen dare coacti, impares forte se sentiant ad regularem vitam instaurandam.

Porro Sanctitas Sua preces remisit ad H. S. Congregationem, ut, habito respectu ad peculiares horum Religiosorum circumstantias, paterna sollicitudine provideat in casibus particularibus. Hoc autem Eadem Sanctitas Sua publici iuris fieri voluit. [b]

*AAS* XI (1919), 18.

### 328

### De religiosis servitio militari adstrictis

(Declarationes circa decretum *Inter reliquas*, diei 15 iulii 1919)

Cum in Codice Iuris Canonici nihil habeatur circa ea quae continentur in Decreto de Religiosis servitio militari adstrictis, a S. Congregatione de Religiosis, sub die 1 ianuarii 1911 dato, [c] dubium

[a] Nn. 327, 328.
[b] N. 326.
[c] N. 273.



nonnullis exortum est utrum adhuc praedictum Decretum vigeat post Codicis promulgationem.

Haec autem S. Congregatio, attenta negotii gravitate, animadvertendum censet in Codice Iuris Canonici nullam haberi potuisse rationem praefati Decreti *Inter reliquas*, [a] nec eiusdem praescripta Canonibus inserta fuisse, cum idem Decretum, natura sua, ad circumstantias temporum et locorum habeat relationem, nec generalis legis ecclesiasticae rationem induere possit. Etenim iuxta can. 614: « Religiosi, etiam laici ac novitii, fruuntur privilegiis clericorum de quibus in can. 119-123 »; quae inter canon 121 absolute edicit: « Clerici omnes a servitio militari... immunes sunt ».

Cum autem causae ob quas datum fuerit Decretum *Inter reliquas*, difficultate temporum perseverent, et viri religiosi, etiam professi, ad servitium militare, pluribus in regionibus, cogantur, nullo habito respectu ad eorum statum, quo Dei servitio iam fuerint mancipati, consequens est praescripta eiusdem Decreti in suo robore esse servanda.

Propositis igitur dubiis:

1) utrum Decretum *Inter reliquas* S. Congregationis Religiosorum, diei 1 ianuarii 1911, de Religiosis servitio militari adstrictis adhuc vigeat; et quatenus affirmative:

2) utrum Novitii servitio militari adstricti, absoluto Novitiatu, vota religiosa temporanea emittere debeant ad triennium iuxta modum in can. 574 expressum;

haec Sacra Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit prout respondet: ad primum *affirmative;* ad secundum *negative; et vota temporanea emittantur valitura usque ad servitium militare.*

Quapropter statuit S. Congregatio, ut:

1) vota praedicta cessent eo die quo Religiosus militiae effective adscriptus et disciplinae militari subiectus evadit, vel inhabilis ad militiam absolute et in perpetuum declaratur;

2) perdurante militari servitio, alumnus, quamvis votis religiosis non sit ligatus, tamen membrum religionis esse perseverat, sub auctoritate suorum Superiorum, qui de eo curam habere debent forma praescripta in Decreto *Inter reliquas*, nn. IV et V. Attamen, ad normam can. 637, alumnus potest libere religionem deserere,

[a] N. 323.

praemonitis Superioribus per declarationem in scriptis vel coram testibus, quae declaratio caute in Archivo Ordinis vel Instituti servetur; Religio pariter potest eum, ob iustas et rationabiles causas, dimissum declarare;

3) ad praecavendam autem dubitationem omnem circa professiones, quae forte post promulgationem Codicis bona fide emissae sunt contra praescriptum Decreti *Inter reliquas,* S. Congregatio facultates tribuit Superioribus eas sanandi, dummodo accedat consensus Religiosi, in scriptis declarandus ac in Archivis servandus.

Facta autem de his relatione Ssmo D. N. Benedicto Pp. XV in audientia diei 15 iulii 1919 ab infrascripto Card. Praefecto, Sanctitas Sua praedicta omnia approbavit et publici iuris fieri mandavit.[a]

*AAS* XI (1919), 321-323.

### 329

### Circa professionem religiosorum laicorum in Ordinibus regularium

(Responsum diei 6 octobris 1919)

Huic S. Congregationi de Religiosis propositum fuit dubium: « An Religiosi laici seu conversi in Ordinibus Regularibus, qui iam emiserunt vota simplicia ante diem 19 maii 1918, ad normam Decreti *Sacrosancta Dei Ecclesia* diei 1 ianuarii 1911,[b] debeant emittere vota sollemnia iuxta praescripta dicti Decreti, scilicet absoluto sexennio votorum simplicium et expleto trigesimo aetatis anno, vel potius ad normam Canonum 573 et 574 Codicis Iuris Canonici, idest expleto triennio votorum simplicium et vigesimo primo aetatis anno completo ».

Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit prout respondet:

*Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Et Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Pp. XV, in audientia diei 6 octobris 1919, infrascripto Secretario benigne concessa, praefatam responsionem adprobare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*AAS* XI (1919), 420.

---

[a] N. 334.
[b] N. 272.



## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

### 330

### De iis qui sectae acatholicae adhaeserunt in novitiatum non admittendis

(Interpret. auth., diei 16 octobris 1919)

*Dubium:* Utrum verba *qui sectae acatholicae adhaeserunt* canonis 542 sint intelligenda de iis, qui Dei gratia moti ex haeresi vel schismate, in quibus nati sunt, ad Ecclesiam pervenerint; an potius de iis qui a fide defecerunt et sectae acatholicae adhaeserunt.

*Resp.:* Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

*AAS* XI (1919), 477.

### 331

### De iure novitiorum ad suffragia

(Interpret. auth., diei 16 octobris 1919)

*Dubium:* Utrum, ad normam canonis 567, § 1, et canonis 578, n. 1, novitii et professi a votis temporaneis, si morte praeveniantur, ad eadem ac professi a votis solemnibus, aut professi a votis simplicibus perpetuis, suffragia ius habeant, etiamsi aliter ferant constitutiones antea approbatae a S. Sede.

*Resp.:* Affirmative et ad mentem. Mens est: Ordines et Congregationes religiosae possunt congrua eademque suffragia pro omnibus novitiis, temporanee professis et professis a votis solemnibus aut professis a votis simplicibus perpetuis, praescribere in suis constitutionibus emendandis et pro approbatione exhibendis ad S. C. Religiosorum, ad normam eiusdem S. Congregationis Decretum diei 26 iunii 1918.[a]

*AAS* XI (1919), 477-478.

### 332

### De novitiorum libera bonorum administrationis cessione

(Interpret. auth., diei 16 octobris 1919)

*Dubium:* Num verba *nisi constitutiones aliud ferant* canonis 569, § 1, ad vocem *libere* referantur, ita ut liceat per constitutiones de-

---

[a] Decr. *Ad normam,* in *AAS* X (1918), 290.

http://www.obrascatolicas.com/

terminare in quem finem de usu et usufructu a novitiis sit statuendum.

*Resp.:* Constitutiones ante promulgationem Codicis approbatae servandae sunt sive novitiis adimant ius disponendi de usu et usufructu suorum bonorum, sive hoc ius limitent, seu praefiniant.

*AAS* XI (1919), 478.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 333
### De testimonialibus iuratis
(Responsum diei 21 novembris 1919)

Sacrae Congregationi de Religiosis propositum fuit sequens dubium: « Quid agendum in casu quo Superior Religiosus vel Rector Collegii aut Seminarii renuerit iuramento firmare, ad normam can. 545, § 1, litteras testimoniales a Superiore alterius Instituti requisitas pro admittendo postulante ad normam can. 544, § 3 »?

Sacra Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit prout respondet: « Praescriptum canonum esse servandum, et Ordinarius, si agatur de Institutis iuris dioecesani aut laicalibus, sive Collegiis aut Seminariis; vel Supremus Moderator in Institutis clericalibus aut in Ordinibus Regularibus, contra tales Superiores renuentes procedant, eos cogendo etiam per poenas, usque ad privationem officii. Quodsi nihilominus litterae iuratae haberi non possint, res deferatur ad S. Congregationem ».

*AAS* XII (1920), 17.

### 334
### De religiosis ad servitium militare vocatis
(Responsum diei 30 novembris 1919)

Sacrae Congregationi de Religiosis propositum fuit sequens dubium circa declarationem quoad Decretum *Inter reliquas*, datam sub die 15 iulii 1919,[a] videlicet:

« Utrum in Congregationibus seu Institutis Religiosis, in quibus ex Constitutionum praescripto post Novitiatum vota annualia emit-

[a] N. 328.



tuntur, Alumni servitio militari adstricti, absoluto Novitiatu, admitti valeant ad professiones annuales ».

S. Congregatio, re mature perpensa, respondendum censuit:

*Affirmative:* ita tamen ut vota annualia cessent si Religiosi ad servitium militare vocentur, et eo die quo militiae effective adscripti et disciplinae militari subiecti evadant ».

Facta autem de his relatione Ssmo D. N. Benedicto Pp. XV, in audientia diei 30 novembris 1919, ab infrascripto Secretario, Sanctitas Sua eamdem resolutionem approbare dignata est et publici iuris fieri mandavit.

*AAS* XII (1920), 73.

## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

### 335
### De testamentis a novitiis conficiendis
(Responsum... ad Superiorem Generalem Congregationis Ssmi Redemptoris)

Testamentum conficiendum est, etiamsi ex lege civili invalidum sit. Sed curandum est, ut, cum primum fieri poterit, testamentum etiam ex lege civili vim habeat nulla tamen in eo mutata dispositione, nisi secundum can. 583, n. 2.[a]

In *AAS* non promulgatum.[b]

### 336
### De religiosis ad saeculum regressis
(Interpret. auth., diei 24 novembris 1920)

*Dubium:* Utrum prohibitiones, de quibus in can. 642, obstent quominus religiosi officia vel beneficia adipiscantur, tantum si ad saeculum post promulgationem codicis sint regressi; an etiam eos complectantur qui iam ante promulgationem codicis extra religionem, venia pontificia, versabantur, non obstante canone 10.

*Resp.: Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

*AAS* XII (1920), 575.

[a] Can. 569.
[b] SCHÄFER, *De Religiosis*, ed. 3, n. 256.

http://www.obrascatolicas.com/

## 337

### De votis temporaneis

(Interpret. auth., diei 1 martii 1921)

*Dubium:* In quibusdam Institutis votorum simplicium vota emittuntur sub hac vel simili conditione apposita: « Donec in Congregatione vivam », ita ut alumnus, sive sponte discedat sive a Superioribus dimittatur, ipso facto a votis liber evadat. Hinc quaeritur:

1) In hisce Institutis debetne tali professioni praemitti triennium votorum temporaneorum, ad normam can. 574?

2) In dimissione alumnorum, qui similem professionem emiserunt, debentne servari cann. 647-648 de dimissione religiosorum qui vota temporanea emiserunt, vel can. 649 et sequentes de dimissione eorum, qui vota perpetua emiserunt?

*Resp.:* Ad 1. Negative.

Ad 2. Pro iis qui vota iam emiserunt sub hac conditione, serventur canones 646, 647 et 648.

*AAS* XIII (1921), 177.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

## 338

### De secundo novitiatus anno

(Instructio *Plures exstant,* diei 3 novembris 1921)

Plures exstant religiones in quarum constitutionibus praescribitur alter novitiatus annus et facultas fit Superioribus adhibendi tyrones, eo perdurante, in operibus Instituti exercendis. Ne vero exinde aliquid detrimenti capiat tyronum religiosa informatio et abusus qui irrepere possent arceantur, haec Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, occasionem nacta revisionis constitutionum singularum religionum ad Codicem conformatarum, rem diligenti studio subiecit et Eminentissimi Patres, in plenario coetu diei 17 iunii 1921, omnibus perpensis, sententiam suam aperuerunt, quae in audientia diei 25 eiusdem mensis Ssm̃o D. N. Benedicto Pp. XV relata fuit.

Sanctitas porro Sua sententiam probavit simulque mandavit, ut hac de re instructio ederetur, cui omnes et singulae congregationes religiosae, in quibus secundus novitiatus annus ex constitutionum praescripto peragitur, integre se conformare teneantur.



I. Quoties igitur constitutiones praescribant secundum novitiatus annum in eoque sinant novitios in operibus propriis Instituti se exercere, hoc liceat, salvis fundamentalibus novitiatus legibus. Ideoque prae oculis habendum est novitiatum esse institutum ad novitiorum animos informandos, in iis quae ad vitia extirpanda, motus animi compescendos, virtutes acquirendas necnon vitam regularem addiscendam per constitutionum studium, pertinent; ut novitii ad christianam perfectionem per evangelicorum consiliorum ac votorum professionem, in quo praecise cuiusque religiosi finis consistit, tendere discant. Et iure merito novitiatus ultra annum praescribitur in aliquibus Institutis, ex eis praecipue quorum religiosi operibus exterioribus dant operam, quippe qui variis distracti curis, saeculi periculis magis obnoxii, solidiore atque firmiore spiritus fundamento egent. Quamobrem mandat haec Sacra Congregatio ut, etiam secundo novitiatus anno perdurante, ante omnia quaelibet munia disciplina spiritualis vitae apprime curetur.

II. Fas tamen esto, secundo novitiatus anno, novitio vel novitiae Instituti operibus vacare si id ferant constitutiones; verum prudenter et moderate id fiat, tantummodo ad novitiorum instructionem; nec unquam in iisdem operibus tyrones adeo occupentur, ut per se soli officia exerceant (v. gr.: supplendo in scholis magistris aut quasi-magistris absentibus, vel in nosocomiis infirmis ministrando), sed operibus ipsis vacent sub directione et vigilantia gravis religiosi, vel religiosae, qui verbo doceat exemploque praecurrat.

III. Si quando a constitutionibus permittatur ut novitius vel novitia, secundo novitiatus anno, ad opera Instituti extra domum novitiatus mittatur, hoc nonnisi per modum exceptionis agatur et dummodo gravis adsit causa, quae id suadeat: haec autem causa ex parte novitii vel novitiae se habere debet, quatenus in domo novitiatus aut sufficienter institui nequeant, aut ibidem aliter permanere non valeant; numquam vero, sub quocumque praetextu, sufficiens esse causa possit necessitas aut utilitas religionis, si, exempli gratia, ex deficientia religiosorum novitii in operibus Instituti illis substituerentur.

IV. Sive autem in domo novitiatus, sive extra, tyrones permanserint, duobus ante professionem mensibus ab omni opere externo abstineant, si extra novitiatum fuerint, ad illum revocentur, ut per integrum bimestre ad professionem emittendam, in spiritu suae vocationis firmati, se praeparent.

http://www.obrascatolicas.com/

V. Ssmus Dominus Noster Benedictus Pp. XV in audientia habita a R. D. P. Ab. Secretario die 3 novembris 1921 tenorem huius Instructionis approbavit eamque ab omnibus servari mandavit.

*AAS* XIII (1921), 539-540.

## 339

### De quinquennali relatione a religionibus facienda

(Decretum *Sancitum est*, diei 8 martii 1922)

Sancitum est in Codice Iuris Canonici, ut quilibet supremus Moderator sive monasticae Congregationis sive cuiusvis Religionis iuris pontificii quolibet quinquennio, aut saepius si ita ferant Constitutiones, relationem de statu religionis ad Sanctam Sedem mittat.

Ut autem hoc canonum praescriptum ordinate et utiliter ad effectum detur, haec Sacra Congregatio, re mature perpensa, ea quae sequuntur decernenda statuit:

I. Quinquennia sint fixa et communia omnibus Religionibus, incipiantque a die prima mensis ianuarii 1923.

Relationem itaque exhibebunt:

*A*) Ex Religionibus virorum:

*a*) in primo quinquennii anno: Canonici Regulares, Monachi, Ordines militares;

*b*) in altero: Mendicantes;

*c*) in tertio: Clerici Regulares;

*d*) in quarto: Congregationes votorum simplicium tam clericales quam laicales;

*e*) in quinto: Societates virorum more religiosorum viventium, sine votis aut cum votis privatis.

*B*) Ex Religionibus mulierum relationem mittent Congregationes habito respectu ad regionem in qua exstat domus princeps Instituti, seu ubi sedem ex officio habet Moderatrix Generalis, sequenti ratione:

I anno quinquennii: ex Italia, Hispania et Lusitania;

II anno: ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia et Hibernia;

III anno: ex reliquis Europae regionibus;

IV anno: ex utriusque Americae partibus;

V anno: ex aliis orbis partibus, et insuper Societates mulierum sine votis more religiosarum viventium vel cum votis privatis.



II. Congregationes quae relationem iam forte exhibuerint intra quinque annos praecedentes eum, in quo, ad normam supra descriptam eam mittere deberent intra quinquennium 1923-1927, eximuntur ab ea rursum mittenda pro hac prima vice.

III. In exaranda relatione pro Institutis votorum simplicium prae oculis habeantur quaestiones propositae in Instructione data a S. C. EE. et RR., nunc vero ab H. S. C. reformatae ad Codicis conformitatem, eisque fideliter respondeatur. [a]

IV. Moderatores vero supremi Ordinum Regularium et earum Congregationum etiam votorum simplicium aut Societatum more religiosorum viventium, quae ad relationem mittendam ante Codicis promulgationem non tenebantur, quoadusque aliter a Sacra Congregatione provideatur, relationem de statu suae Religionis integram et veritati respondentem — super quo eorum conscientia oneratur — diligenter exarare curent ea ratione et forma, quae Instituti naturae aptior videatur: ita tamen, ut ex ea Apostolica Sedes de statu tam materiali quam morali et disciplinari Religionis plenam notitiam comparare queat.

Prima autem relatio, ante alia de actuali statu religionis, contineat notitias historicas de Ordinis aut Congregationis fundatione; et praecipue ea quae spectant ad eiusdem approbationem per Apostolicam Sedem et ad Constitutiones quibus in praesenti regitur. Interna quoque regiminis forma et natura votorum exponatur, et si qua mutatio in hisce facta fuerit decursu temporum aut si qua in Regulae observantia relaxatio, et quanam auctoritate inducta fuerit, declaretur.

Si qua Congregatio peculiare praescriptum habeat de relatione frequentius mittenda in Constitutionibus a Sancta Sede *post Codicis promulgationem revisis aut approbatis*, hoc servandum erit, nullo habito respectu ad ea quae de quinquennio praesens decretum praescribit.

Ssmus D. N. Pius Pp. XI in audientia concessa infrascripto P. Abbati Secretario die 25 februarii 1922, praesentis decreti tenorem adprobavit, ab omnibus servari et publici iuris fieri mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. [b]

*AAS* XIV (1922), 161-163.

---

[a] Elenchus quaestionum praebetur infra n. 340.
[b] Nn. 389, 394.



http://www.obrascatolicas.com/

## 340

**Elenchus quaestionum ad quas respondendum est a Moderatoribus seu Moderatricibus Generalibus Institutorum vota simplicia profitentium in relatione ad S. Sedem quinto quoque anno transmittenda** [a]

(Instructio *Doceatur,* diei 25 martii 1922 [b])

### Praemittenda

1. Doceatur quae decreta approbationis seu commendationis, et quando, Institutum a S. Sede obtinuerit.

2. Quinam sit finis sive scopus peculiaris Instituti.

3. Num titulus Instituti ab initio assumptus aut scopus vel habitus sodalium aliquatenus postmodum immutati fuerint et quanam auctoritate.

4. Quot sint sodalium classes. Quaenam vota emittantur.

5. * Quot sodales ab initio usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, habitum Instituti induerint.

6. * Quot sodales a fundatione Instituti usque in praesens, aut saltem ultimo vicennio, et quomodo, ab eo recesserint, sive tempore novitiatus, sive post emissa vota temporanea, sive post emissa vota perpetua. Num et quot fuerint *fugitivi* vel *apostatae*.

7. Quandonam ultima relatio ad S. Sedem missa fuerit.

### I - De personis

A) *De admissis*

8. Quot postulantes ab ultima relatione admissi fuerint.

9. Num pro singulis habita sint testimonia a iure requisita; speciatim vero litterae testimoniales:

*a*) pro viris in genere;

*b*) pro clericis;

*c*) pro illis (viris aut respective mulieribus) qui in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut novitiatu fuerunt; et quidem iureiurando firmatae.

[a] Vide praecedens decretum sub n. 339.

[b] Instructio haec a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium primum edita est, nunc vero ad tramitem Codicis iuris canonici a Sacra Congregatione de Religiosis revisa et emendata.

* Ad interrogationes aut interrogationum partes asterisco notatas nonnisi in prima, post promulgatam hanc instructionem, relatione respondendum erit.



10. Num speciali aliquo modo seu industria ad nomen Instituto dandum quis allectus fuerit; et praesertim num ephemeridum ope moderatores hunc in finem usi sint.

11. Num praeterea exquisita fuerit sufficiens notitia circa eorum indolem et mores quoties id necessarium erat vel opportunum.

12. Quoties et super quibus impedimentis seu defectibus dispensatio necessaria fuerit et a quonam Superiore ecclesiastico concessa.

13. Num postulatum omnes ii quibus praescriptus est peregerint per tempus statutum in domo in qua regularis disciplina servetur.

B) *De Novitiis*

14. Quot et quaenam sint domus novitiatus et num unaquaeque auctoritate S. Sedis instituta sit.

15. Quot novitii post ultimam relationem habitum Instituti susceperint.

16. Quot nunc in novitiatu degant.

17. Num novitii a professis rite separati existant.

18. Num omnes habeant integrum exemplar constitutionum.

19. Num omnes ante professionem per annum integrum et continuum in domo novitiatus sub cura magistri degerint.

20. Num magister novitiorum ab omnibus officiis oneribusque vacet, quae novitiorum curam et regimen impedire possint.

21. Num, quantum et qua auctoritate, tempus novitiatus, ultra terminum in constitutionibus praefinitum, prorogatum vel imminutum fuerit.

22. Utrum novitii primo novitiatus anno vacaverint tantummodo exercitiis pietatis, an aliis etiam et quibus operibus addicti fuerint.

23. Num durante secundo anno novitiatus (ubi peragitur) novitii in alias domus missi fuerint, et num servata fuerit instructio S. C. de Religiosis diei 3 novembris 1921. [a]

24. (*In Institutis Sororum*). Num ante admissionem ad habitum, ad primam professionem temporariam et ad professionem perpetuam, Episcopus vel eius delegatus praescriptam voluntatem adspirantis, et gratuito, exploraverit.

25. Num professioni, quoties locus erat, praemissa fuerit vel alias opportune peracta cessio administrationis propriorum bonorum ac dispositio de eorumdem usu et usufructu.

[a] N. 338.

http://www.obrascatolicas.com/

26. Num a novitiis ante professionem votorum temporariorum testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere conditum fuerit.

C) *De Professis*

27. Quot nunc sint in Instituto sodales:
*a*) votorum temporariorum;
*b*) votorum perpetuorum.

28. Num vota temporaria semper tempore debito fuerint renovata.

29. Num sodales tempore debito ad vota perpetua admissi fuerint post elapsum tempus votorum temporariorum.

30. Quot sodales sive professi sive novitii post ultimam relationem obierint.

D) *De egressis et dimissis*

31. Quot post ultimam relationem ab Instituto recesserint:
*a*) ex novitiis;
*b*) ex professis expleto tempore votorum temporariorum;
*c*) perdurantibus votis temporariis;
*d*) post emissa vota perpetua.

32. Num in dimittendis sodalibus semper observatae fuerint, pro casuum diversitate, normae in sacris canonibus et in propriis constitutionibus praescriptae.

33. Num (excepto casu urgenti de quo in cann. 653 et 668) aliquis dimissus aut egressus fuerit:

*a*) ante acceptam sententiae vel decreti confirmationem ab Apostolica Sede, si agatur de viris professis a votis perpetuis; vel ante acceptam ab eadem S. Sede decisionem, si de Sororibus a votis perpetuis professis agatur;

*b*) pendente recursu ad S. Sedem, si de professis a votis temporariis;

*c*) absque praevia dispensatione, ab ipso religioso expostulata, super votis emissis.

34. (*In Institutis sororum*). Num egressis quacumque de causa dos, quomodolibet constituta, integre tradita fuerit, una cum supellectili quam ad Institutum attulerunt, in eo statu in quo tempore egressus reperiebatur.



35. Num iis quae, sine dote receptae, ex propriis bonis sibimet providere non valebant, in casu egressus ex Instituto, necessaria ex caritate suppeditata fuerint, quibus modo tuto ac convenienti domum redire et per aliquod tempus honeste vivere potuerint.

## II - De rebus

A) *De domibus*

36. Quot domos Institutum habeat, et in quibusnam dioecesibus: an et quot habeat provincias.

37. An et quot novae domus post ultimam relationem apertae fuerint: et an in omnibus intercesserit legitima auctoritas et servata fuerit ratio in constitutionibus praescripta.

38. Quot sodales diversarum classium in singulis domibus commorentur, et (si diversa opera ab Instituto exerceantur) quibusnam operibus addicti sint.

39. Num post ultimam relationem domus aliqua suppressa fuerit et cuiusnam auctoritate.

40. Utrum singuli sodales proprias cellas habeant, an saltem in communi dormitorio suum quisque cubile convenienter ab omnibus aliis separatum.

41. Num infirmis curandis separatus locus undequaque aptus addictus sit.

42. Num pro recipiendis hospitibus adsint in domo cubicula sufficienter, ut decet, a communitate religiosa separata.

43. (*In Institutis Sororum*). Num habitatio capellani sive confessarii ingressum separatum et nullam cum Sororum habitatione communicationem habeat.

B) *De bonis*

44. Quinam fuerint ab ultima relatione annui reditus et expensae:
*a*) tum Instituti in communi;
*b*) tum uniuscuiusque domus.

45. Num ab ultima relatione sive Institutum in communi, sive certae domus in particulari, nova bona mobilia vel immobilia et cuius valoris obtinuerint.

46. Num pecuniam semper utili foenori et honesto ac tuto collocaverint.

http://www.obrascatolicas.com/

47. Utrum et quam iacturam bonorum suorum, post ultimam relationem, fecerint, vel damna subierint, et qua de causa.

48. Num et quae bona, sive immobilia siva mobilia pretiosa abalienaverint, et qua facultate.

49. Num illorum bonorum, quae *capitalia* vocantur, partem aliquam consumpserint.

50. Num arca communis vel domus aliqua particularis aere alieno gravetur, et quanto.

51. Num ab ultima relatione nova debita contraxerint; quaenam, et qua auctoritate.

52. Num bona temporalia, tum religionis universae, tum singularum provinciarum et domorum, per oeconomos rite deputatos administrentur ad normam sacrorum canonum et constitutionum.

53. Num oeconomi, sive generalis sive locales, rationem suarum administrationum praescriptis temporibus reddiderint; et num huiusmodi rationes modo praescripto examinatae et approbatae fuerint.

54. Num lites de bonis habeant.

55. Num pecuniae aliaeque res pretiosae caute custodiantur iuxta normas hac de re traditas et praescriptum constitutionum.

56. Num et quo pacto pecuniam sive res pretiosas, a saecularibus depositas, custodiendas acceptaverint.

57. (*In Institutis Sororum*). Utrum dotes Sororum iuxta leges canonicas in tuto ac fructifero investimento de consensu Ordinarii loci collocatae fuerint; an et quae earum pars, quo modo et cuius permissu in expensas faciendas insumpta fuerit.

58. Num et quaenam legata pia seu fundationes in Instituto, sive pro Missis celebrandis, sive pro operibus caritatis exercendis, existant.

59. Num huiusmodi onera fideliter adimpleta fuerint.

60. Num pecunia, qua huiusmodi fundationes constitutae fuerunt, rite collocata et seorsim ab aliis quibuslibet administrata fuerit.

61. Num Episcopo iuxta sacrorum canonum praescriptum de huiusmodi fundationibus ratio reddita fuerit.

62. Quantum superfluae pecuniae in fine cuiuslibet anni a singulis domibus in arcam communem collatum fuerit.

63. Utrum sponte an invite huiusmodi pecuniae collatio ab omnibus facta fuerit.

64. Num superiorissa vel oeconoma habeat pecunias, de quibus libere, etsi pro bono Instituti, disponat, quin ullam rationem reddat.



## III - De disciplina

### A) *De vita religiosa*

65. Num in unaquaque domo exercitia spiritualia pro singulis diebus, mensibus, annis vel aliis certis temporibus statuta accurate peragantur.

66. Num omnes sodales quotidie Missae sacrificio assistant.

67. Utrum omnes sodales exercitiis communibus interesse possint, et an illis qui quandoque pro negotiis domesticis ab aliquo exercitio communi eximuntur, saltem concedatur tempus privatim illud peragendi.

68. Num serventur canonica statuta:

*a*) quantum ad conscientiae manifestationem non exigendam;

*b*) quoad sacramentalem confessionem;

*c*) circa eucharisticae communionis frequentationem.

69. Num adsint confessarii ad iuris normam designati; num et qui abusus irrepserint, sive ex parte Superiorum libertatem a lege concessam coarctantium, sive ex parte subditorum permissa libertate abutentium.

70. Num in Institutis Sororum ubique quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, vel debita auctoritate confirmetur.

71. Num praescriptiones de clausura servanda in parte domus Religiosis reservata fideliter observentur.

72. Num Religiosis frequenter permittatur locutorium adire et an Constitutiones in hac re serventur.

73. Num Religiosis e domo egredientibus, extra casum necessitatis, a Superioribus socius addatur.

74. Num, qua ratione et quibus temporibus habeantur institutiones catecheticae et piae exhortationes ad conversos aliosque alumnos nec non ad famulos seu convictores.

75. Num et quaenam scripta periodica sodales edant aut illis conscribendis operam conferant: num in iis, sicut etiam in libris edendis, statutae leges servatae fuerint.

76. Num et quibus libris, sive antiquis sive recentioribus, etiam manu scriptis, sola moderatorum Instituti licentia editis sodales utantur.

http://www.obrascatolicas.com/

B) *De observantia quarumdam specialium legum*

77. Num omnia circa Capitulum generale praescripta diligenter observata fuerint:

*a*) quoad litteras convocatorias;
*b*) quoad electionem delegatorum;
*c*) quoad electionem scrutatorum et secretarii;
*d*) quoad electionem Moderatoris generalis;
*e*) quoad electionem Consiliariorum, Oeconomi et Secretarii generalium.

78. Num omnino liberum fuerit sodalibus litteras, quae ab inspectione Superiorum exemptae sunt, sive scribere sive recipere.

79. Num lex de mutandis Superioribus post statutum tempus fideliter observetur. Num, quot dispensationes et a quo super hac lege impetratae fuerint.

80. Num Moderator generalis et Superiores provinciales praescriptam domorum visitationem rite peregerint.

81. Num Moderator generalis et Superiores sive provinciales sive locales praefinitis temporibus consiliarios suos convocent, ut cum eis agant de negotiis sive Instituti sive provinciae sive domus.

82. Num in deliberationibus debita libertas consiliariis servata fuerit.

83. Num in Consilio generali electiones libere et iuxta normas praescriptas factae fuerint.

84. Utrum ubique vigeat vita communis; num omnibus sodalibus necessaria, praecipue quoad victum et vestitum, a Superioribus ea qua decet paterna caritate suppeditentur, et an forte sint qui haec sibi ab extraneis procurent.

85. Num alicubi sodales sint numero insufficientes ita ut nimis onerentur laboribus cum gravi valetudinis discrimine.

86. Num provideatur ne quid desit infirmis ex iis, quibus iuxta propriam cuiusque conditionem indigent, atque ut in corporalibus et spiritualibus necessitatibus qua par est caritate subleventur.

87. (*In Institutis Clericorum*). Quot annis clerici vacent studiis:

*a*) litterarum humaniorum;
*b*) philosophiae, et
*c*) theologiae.

Quatenus autem studia domi peragantur, quot professores singulis disciplinis tradendis sint addicti.



88. Num alumnis aut etiam magistris alia officia committantur quae a studiis eos avocent.

89. Num omnes studentes:

*a*) integrum cursum studiorum perfecerint antequam e domo studiis destinata exierint;
*b*) ante promotionem ad sacros Ordines studia per leges canonicas respective praescripta rite perfecerint;
*c*) cetera omnia a sacris canonibus pro admissione ad Ordines requisita (circa titulum ordinationis, litteras dimissorias, etc.) religiose observaverint.

90. Num servata fuerit lex de examine a sacerdotibus quotannis, saltem per quinquennium, peragendo.

91. Num aliquando exerceatur negotiatio per sacros canones interdicta: item an ars aliqua vel industria quae frequentiorem afferat consuetudinem cum extraneis; quibus cautelis, tum pro salute illorum sodalium qui his incumbunt, tum pro externorum aedificatione.

92. An Superiores curent inter suos subditos promovere notitiam et executionem decretorum S. Sedis, quae religiosos respiciunt: item an publice legantur, praeter proprias constitutiones, decreta quae Apostolica Sedes legenda praescripserit.

C) *De operibus Instituti*

93. Quot personis (vel classibus personarum) beneficia contulerint sodales iis operibus quibus iuxta scopum sui Instituti sese devovent.

94. Si numerus istarum personarum post ultimam relationem alicubi imminutus fuerit, indicentur rationes.

95. (*Pro Institutis quae stipem ostiatim colligunt*):

*a*) an ex constitutionibus clare et certo constet de iure seu officio stipem ostiatim colligendi;
*b*) an sacrorum canonum praescripta et S. Sedis decreta hac de re edita in omnibus religiose observentur.

96. Num ab Institutis Sororum habeantur in suis domibus diversoria aut valetudinaria pro personis quibuscumque, etiam diversi sexus; et quatenus affirmative, cuius licentia et quibus cautelis.

97. Num et quomodo Sorores in seminariis vel collegiis vel quibuscumque ecclesiasticorum virorum domibus rem domesticam gerendam assumpserint.

http://www.obrascatolicas.com/

98. Num Sorores opera quaedam caritatis exerceant (v. g. erga infantes aut parturientes aut chirurgi cultro incisos) quae virgines Deo dicatas et habitu religioso indutas dedecere videantur.

99. Num Sorores, quae infirmis in privatorum domiciliis inserviunt, praescriptas a Constitutionibus cautelas semper adhibeant.

100. Num Superiores permiserint commorationem sodalium in domibus saecularium, et quanto tempore.

101. (*Pro Institutis virorum*). Num aliquod Institutum Sororum quasi ab ipsis dependens, sibique aggregatum, directe vel indirecte, retineant vel dirigant et quanam auctoritate.

102. Num post ultimam relationem aliquod novum opus, vel potius nova species operum, aliis iam existentibus adiuncta fuerit, et quanam auctoritate.

103. Num in Instituto vel in aliquibus domibus irrepserint abusus et qui.

104. Num querelae vel difficultates exsistant:

*a*) cum Ordinariis locorum;

*b*) cum confessariis;

*c*) cum capellanis.

105. (*Pro Institutis laicalibus utriusque sexus*). An domos habeant in quibus suscipiantur ad commorandum adolescentes respectivi sexus qui publicas scholas laicas frequentant, quibus in locis, quasve scholas adeant, quomodo et per quos eorum religiosae exponere praesumpserit. [a]

***

Responsa autem ad suprascriptas quaestiones non solum a Moderatore seu Moderatrice generali, sed etiam a singulis Consiliariis seu Assistentibus generalibus, praevio maturo examine, signanda erunt. Si agatur de Congregatione mulierum, signanda pariter erunt ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet.

Quod si quis ex iisdem Consiliariis seu Assistentibus aliquid magni momenti praeterea S. Sedi significandum esse putaverit, id etiam per privatas atque secretas litteras praestare poterit. Verumtamen memor ipse sit conditionis suae et sciat conscientiam suam graviter oneratum iri, si quid a veritate alienum secretis eiusmodi litteris exponere praesumpserit.

*AAS* XIV (1922), 278-286.

---

[a] Nn. 389, 394.



## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

### 341

### De transitu ad aliam religionem

(Interpret. auth., diei 14 iulii 1922)

*Dubium:* Utrum suffragium Capituli in admittendo religioso, de quo in can. 634, ad professionem sollemnem aut simplicem perpetuam, habeat vim deliberativam; an tantum consultivam.

*Resp.:* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

*AAS* XIV (1922), 528.

### 342

### De anno integro novitiatus

(Interpret. auth., diei 12 novembris 1922)

*Dubium* I: Utrum annus integer novitiatus, praescriptus in can. 555, § 1, 2 computandus sit iuxta normam statutam in can. 34, § 3, 3. Et quatenus affirmative:

II. Utrum eiusmodi norma computandi annum in ordine ad novitiatum servanda sit ad validitatem, an tantum ad liceitatem.

*Resp.:* Ad I. affirmative, seu servandum esse praescriptum canonis 34, § 3, 3.

Ad II. affirmative ad primam partem, negative ad secundam, seu canonem servandum esse ad validitatem novitiatus.

*AAS* XIV (1922), 661.

## PIUS XI (1922-1939)

### 343

### Laudes Cleri regularis

(Ex Litt. encycl. *Ubi arcano*, diei 23 decembris 1922)

Quantum vero, venerabiles fratres, pro nostris propositis cogitatisque ad rem deducendis in Clero regulari spem reponamus non est cur longo exsequamur sermone, cum compertum vobis sit quantum is quidem conferat ad Christi regnum et domi confirmandum et foris dilatandum. Etenim cum hoc suum habeant religiosarum familiarum alumni, ut Christi non modo praecepta sed etiam consilia servent exerceantque, iidem vel in sacrorum septorum umbratili palaestra rebus caelestibus operam dantes vel in apertum campum progredientes, dum perfectae christianae vitae speciem ad vivum

http://www.obrascatolicas.com/

sua vita exprimunt et sese totos bono communi devoventes, quo uberius spiritualibus bonis potiantur, a rebus omnibus terrenis suisque commodis abdicant, christifideles, veluti exemplo continenter ob eorum oculos proposito, ad altiora appetenda provocant; idque feliciter assequuntur, adiectis etiam praeclaris christianae beneficentiae officiis qua omnibus corporum animorumque languoribus medentur. Qua in re, ut ecclesiasticae historiae monumenta testantur, eo usque, divina urgente caritate, saepe sunt progressi, ut in Evangelii praedicatione pro animarum salute vitam profunderent et sua ipsorum morte Christi regni fines, fidei unitate christianaeque fraternitatis propagata, amplificarent.

*AAS* XIV (1922), 694-695.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 344

### De professione religiosa in mortis articulo novitiis vel postulantibus permissa

(Declarationes in Decretum *Spirituali consolationi,* diei 30 decembris 1922)

Iam inde a Codicis promulgatione dubium exortum est: « An decretum quod incipit *Spirituali consolationi,* a Sacra Congregatione de Religiosis editum sub die 10 septembris 1912,[a] adhuc vigeat », praecipue cum in Codice Iuris Canonici nulla mentio de professione in articulo mortis fiat. Cumque instantissime ab hac Sacra Congregatione peteretur, tam in particularibus casibus, quam in novis Constitutionibus condendis, ut facultas per supradictum decretum concessa renovaretur, res definienda visa est.

Quapropter, plurium Consultorum praerequisito voto, Emi Patres Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in Plenariis comitiis ad Vaticanum habitis die 29 decembris 1922, re mature perpensa, ad propositum dubium respondendum censuerunt: « *Affirmative,* at declarandum, si ita Ssmo placuerit, quod facultas recipiendi professionem, de qua in n. 2 decreti, praeter Superiorem monasterii aut domus novitiatus vel probandatus, intelligatur competere etiam ad respectivos Superiores maiores iuxta Constiutiones, et ad praedictorum omnium delegatos ». Quam sententiam Ssmus D. N. Papa div. Prov. Pius XI, in audientia ha-

[a] N. 278.



bita ab infrascripto P. Abbate Secretario die 30 decembris eiusdem anni, in omnibus approbavit et publici iuris fieri mandavit.

Opportunum autem visum est praedicti decreti dispositiones ad sensum resolutionis Emorum Patrum accommodatas, in memoriam revocare eum in finem ut tam benigna Sedis Apostolicae concessio omnibus interesse habentibus prodesse valeat.

Illae autem sunt tenoris sequentis: In quocumque Ordine, etc.[a]

Declarat denique haec Sacra Congregatio, nihil obstare quominus praedictae dispositiones etiam in Constitutiones Ordinum et Congregationum inseri valeant, si hoc Instituta ipsa postulent.

*AAS* XV (1923), 156-158.

### 345

### De habitu novitiorum a transeunte ad aliam religionem gestando

(Responsum diei 14 maii 1923)

Sacrae Congregationi de Religiosis propositum fuit sequens dubium pro opportuna solutione:

« Religiosus, qui in quadam religione professus, obtento indulto Apostolico, ad aliam religionem transit, teneturne ad habitum novitiorum religionis *ad quam* suscipiendum et gestandum perdurante novitiatu in nova religione »?

Sacra autem Congregatio re mature perpensa respondendum censuit, prout respondet: *Affirmative.*[b]

*AAS* XV (1923), 289.

## PIUS XI

### 346

### De Angelici doctoris exemplo sectando

(Ex Litt. encycl. *Studiorum ducem,* diei 29 iunii 1923)

Intueantur oportet sanctum Thomam nostri praesertim adolescentes, magnarumque virtutum decora quae in eo elucent, diligenter imitando consecrentur; ante omnia humilitatem quod est spiritualis vitae fundamentum et castimoniam. Discant ab homine summi ingenii summaeque doctrinae, cum omnem tumorem animi horrere, tum submissione supplici divini luminis copiam suis conciliare studiis; discant, eodem magistro, nihil tam vigilanter quam voluptatis

[a] Ibidem.
[b] Can. 633.

http://www.obrascatolicas.com/

blandimenta refugere, ne scilicet ad sapientiam contemplandam caligantes mentis oculos adiiciant. Nam quod ipse vivendo praestitit, ut diximus, sic confirmat praecipiendo: « Si quis abstineat a delectationibus corporalibus ut liberius vacet contemplationi veritatis, pertinet hoc ad rectitudinem rationis ». [1]

*AAS* XV (1923), 320-321; *Enchir. Cler.* 1175.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 346 [a]

### De recursu contra decretum dimissionis religiosi professi a votis temporaneis

(Declaratio diei 20 iulii 1923)

Sacrae Congregationi de Religiosis propositum fuit sequens dubium pro opportuna solutione.

« Cum in canone 647, § 2 sancitum sit, ut Religioso professo votorum temporariorum qui a Superioribus dimissionis decretum recipit, sit facultas recurrendi ad Apostolicam Sedem, et, pendente recursu, dimissio nullum iuridicum habeat effectum », quaeritur:

« Quale spatium temporis concedatur ad recursum interponendum, quoad effectum suspensivum? ».

Eñi Patres Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in plenario coetu ad Vaticanum habito die 13 iulii 1923, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

« Tempus utile ad interponendum recursum quoad effectum suspensivum, de quo in canone 647, § 2, esse decem dierum ab intimatione decreti religioso dimisso facta, iuxta normam traditam in similibus casibus, ut canone 1465, § 1 et 2153, § 1 ».

Facta autem relatione Ssmõ D. N. Pio Pp. XI in audientia habita ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario, die 17 iulii 1923, Ssmus dubii resolutionem approbavit.

Ut autem omnis ambigendi locus tollatur, tam circa terminum huiuscemodi, quam circa ea quae exinde sequuntur, haec Sacra Congregatio sequentia prae oculis habenda et servanda animadvertit:

1. Recursum contra dimissionis decretum Religiosus interponere potest vel immediate per epistolam ad S. C. de Religiosis mittendam, vel mediate, vdl. per eum qui dimissionis decretum sibi communicavit.

[1] II-II, q. 157, a. 2.



2. Ad interpositi recursus probationem requiritur et sufficit vel authenticum documentum vel saltem duorum fide dignorum hominum testimonium.

3. Tempus utile decem dierum ab intimatione decreti Religioso facta supputandum erit ad normam can. 34, § 3, 3°, et ita ut non currat si dimissus recurrendi ius ignoret, aut agere non valeat iuxta dispositiones can. 35; quapropter expedit ut Superior de praedicto iure et de limite temporis dimissum edoceat in actu ipso intimationis.

4. Recursus utili tempore interpositus effectum habet suspensivum; ideoque, donec decretum dimissionis a Sacra Congregatione de Religiosis confirmetur, ac de facta confirmatione Superior dimittens, authentico Sacrae Congregationis documento edoceatur, dimissionis decretum nullum sortitur effectum, et exsecutioni demandari nequit.

5. Pendente recursu, dimissus adhuc est Religiosus, ideoque eisdem ac ceteri tenetur obligationibus et potitur iuribus, et eodem prorsus modo ac ante dimissionem. Quapropter in domo religiosa commorandi ius et obligationem habet, et sub Superiorum obedientia manere debet, firmo praescripto can. 2243, § 2.

*AAS* XV (1923), 457-458.

### 347

### De dispensationibus super curriculo studiorum

(Declaratio diei 27 octobris 1923)

S. C. de Religiosis, in concedendis dispensationibus super curriculo studiorum, ad praescriptum can. 976 § 2 ad sacros Ordines suscipiendos praemittendo, de mandato Ssmi D. N. Pii div. Prov. Pp. XI sequentes conditiones rescriptis apponere consuevit: « S. Theologiae operam sedulo dare pergant, saltem usque dum praescriptum quadriennium rite compleatur, vetito interim quocumque animarum ministerio, idest ne destinentur concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus Religionis muniis; super quibus Superiorum conscientia graviter onerata remaneat; servatis ceteris... ».

Cum vero tales facultates seu dispensationes ab aliquo Ordine aut Congregatione religiosa, sive generales pro omnibus suis alumnis sive particulares pro aliquibus, in praeteritum impetratae iam fuerint, Sanctitas Sua, in audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa die 23 octobris 1923, declaravit et statuit: omnes et singulas facultates seu dispensationes hac super re post Codicis promulgationem quomodocumque obtentas, etiam immediate a Summo

http://www.obrascatolicas.com/

Pontifice vel vivae vocis oraculo vel per Rescriptum Eiusdem manu signatum, conditionibus supra enunciatis subesse, easque subintelligendas esse, nisi expresse eis derogatum fuerit. Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

*AAS* XV (1923), 549-550.

## PIUS XI

## 348

### De alumnis exquisitiore quadam cultura pariter formandis

(Epist. ap. *Unigenitus Dei Filius,* diei 19 martii 1924, ad summos Ordinum regularium aliarumque Sodalitatum religiosorum virorum Moderatores)

Unigenitus Dei Filius cum ad redimendum humanum genus in mundum venisset, datis spiritualis vitae praeceptis, quibus homines ad finem sibi praestitutum regerentur universi, docuit praeterea, qui ipsius vestigiis propius insistere vellent, eos evangelica consilia amplecti ac sequi oportere. Eiusmodi autem consilia quicumque, obligata Deo fide, servaturum se spondeat, is non modo omnibus exsolvitur impedimentis quae mortales a sanctitate remorari solent, ut bona fortunae, ut coniugii curae sollicitudinesque, ut immoderata rerum omnium libertas; sed etiam tam recto expeditoque itinere ad perfectionem vitae progreditur, ut iamiam in salutis portu anchoram veluti iecisse videatur. Itaque a remotioribus christianae religionis aetatibus numquam desiderati sunt qui ad Dei nutum, omnia sibi magno excelsoque animo negantes, illud idem perfectionis iter ingrederentur constanterque pergerent; atque ex rerum gestarum monumentis liquido apparet, viros mulieresque perpetuo quodam agmine se Deo consecrasse ac devovisse apud varios Ordines, quos decursu saeculorum Ecclesia adprobavit ratosque habuit. Etenim, quamquam una atque individua est religiosae vitae natura, multiplices tamen ea formas induit, cum ex Sodalitatibus aliae aliter Deo serviant, aliae alia caritatis beneficentiaeque opera, ad maiorem Dei gloriam proximorumque utilitatem, instituto suo persequantur. Ex hac igitur tanta religiosorum Ordinum varietate, quasi ex dissimilibus arboribus in agro dominico consitis, magna oritur et in salutem gentium provenit fructuum varietas; atque nihil sane pulchrius atque adspectu delectabilius quam harum complexus atque universitas Sodalitatum, quae, etsi ad unum atque idem denique spectant, habent tamen suum quaeque industriae et laboris campum, a ceteris aliqua ex parte distinctum. Fieri enim divinae Providentiae consilio



solet, ut, quotiescumque novis est necessitatibus occurrendum, nova item religiosa instituta excitentur ac floreant. Quamobrem Apostolica Sedes, sub cuius signo religiosorum Ordines proxime militant, beneficiorum memor, quae procedente tempore ipsi in Ecclesiam Dei inque rem publicam contulissent, peculiari cura et benevolentia eos perpetuo prosecuta est: nam, praeterquam quod illud sibi sumpsit ut eorum leges ac statuta recognosceret atque adprobaret eorumque causam ab adversariis per temporum rerumque asperitates studiosissime defensitavit, ad pristinam praeterea instituti dignitatem sanctitatemque, si quando oportuit, eosdem revocare non destitit. Quam quidem Ecclesiae curam ac sollicitudinem de provehenda in religiosis viris legum observatione morumque sanctimonia, ipsa ostendunt Concilii Tridentini iussa atque hortamenta: « Omnes regulares, tam viri quam mulieres, ad regulae, quam professi sunt, praescriptum, vitam instituant et componant: atque imprimis, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiae, paupertatis et castitatis, ac, si quae alia sunt alicuius Regulae et Ordinis peculiaria vota et praecepta, ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum et vestitum conservanda, pertinentia, fideliter observent ». [1] In Codice autem iuris canonici, ante quam hoc in genere ad legum lationem gradus fiat, definito et breviter descripto statu religioso, ut sit « stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt... atque ad evangelicam perfectionem tendunt », eundem religiosum statum « ab omnibus in honore » habendum esse praeclare edicitur. [2]

Quorum profecto religiosorum virorum et virtuti et adiutrici operae quantum Nosmet confideremus, iam tum aperte commonstravimus, cum per Encyclicas Litteras *Ubi arcano* [a] primum sacrorum Antistites catholici orbis universos peramanter allocuti sumus: quae enim tot malorum, quibus societas hominum laboraret, remedia proponebamus, haec ipsa ut ad effectum deducerentur diximus Nos non una de causa in clero regulari spem bonam reponere et collocare. Praeterea, cum ante de studiis clericorum ad Cardinalem Praefectum Sacri Consilii Seminariis Studiorumque Universitatibus curandis Epistolam Apostolicam *Officiorum omnium* [b] dedissemus,

[1] Sess. XXV, *De Regul.*, c. 1, in MANSI XXXIII, 172.
[2] Can. 487, 488.
[a] N.343.
[b] Diei 1 augusti 1922, in *AAS* XIV (1922), 449-458; *Enchir. Cler.* 1151-1159.



http://www.obrascatolicas.com/

eadem prorsus cura et cogitatione, quae Nostro insidebat animo, rectae consulendi clericorum institutioni qui ad sacra ministeria advocarentur, utique alumnos religiosorum Ordinum complexi sumus, cum ad hos ipsos, quotquot sacerdotio destinantur, ea quae in rem animadvertimus decrevimusque magnam partem pertinerent. Verumtamen caritatis vigilantiaeque studium, quod Nos habet de utilitatibus vestris, dilecti filii, sollicitos, magnopere suadet propriis vos appellare Litteris ut nonnulla moneamus, quae si quidem alumni vestri in moribus usuque cotidiano retulerint, vita ipsorum atque actio talis profecto exsistet, qualem singulare prorsus atque excelsum divinae vocationis munus ab iis omnino requirit ac postulat.

Ac primum omnium religiosos viros cohortamur, ut suum quisque Conditorem Patremque legiferum in exemplum intueantur, si velint gratiarum, quae e sua ipsorum vocatione proficiscuntur, certo esse copioseque participes. Praestantissimos enim eiusmodi viros, cum sua excitarunt Instituta, quid aliud fecisse constat, nisi divino afflatui paruisse? Quam igitur ii notam in sua cuiusque Sodalitate impressam voluerunt, eam quicumque ex suis in se exhibent, ab incepto sane non aberrant. Quare eo sodales, optimorum instar filiorum, curas cogitationesque convertant, ut Patris legiferi honorem tueantur, eius cum praescriptis et monitis obsequendo, tum imbibendo spiritum; neque enim e statu suo decident usque dum Conditoris sui vestigiis institerint: « Filii eorum propter illos usque in aeternum manent ». [1] Utinam Instituti sui legibus tam modeste pareant et comparatam ab eo initio vitae rationem sic retineant, ut religioso statu se praestent cotidie digniores: sua enim fidelitate facere non poterunt, quin sacris ministeriis, quibus sibi obtingat per omnem aetatem perfungi, caelestium gratiarum adiumenta concilient.

In agendo tamen, *regnum Dei et iustitiam eius* [a] unice quaerant, oportet: quod in iis potissimum attendi volumus, in quibus, dilecti filii, vestrorum plerumque versatur opera, id est in sacris missionibus atque in iuventutis institutione. Ad apostolatum igitur quod attinet, caveant, quemadmodum proximus decessor Noster consultissime monuit, [2] ne Evangelii in externos populos propagationem ad gratiam suae patriae seu nationis potentiamque augendam transferant, sed tantummodo ad infidelium salutem spectent, huius vitae

[1] *Eccli.* XLIV, 13.
[2] Epist. ap. *Maximum illud*, diei 30 novembris 1919, in *AAS* XI (1919), 440-455; *Sylloge* 74; *Enchir. Cler.* 1076.
[a] *Lc* XII, 31.



utilitatibus commodisque inter ipsos eatenus provehendis quoad ad aeternam conducere videantur. Quorum autem religiosorum partes sunt ut iuvenes rite erudiant atque educent, iisdem erit summopere vitandum, ne, nimio abrepti studio discipulos optimarum artium doctrina excolendi, religionis cultu mentes animosque imbuere sic neglegant, ut alumni a copiosa quidem litterarum cognitione instructi dimittantur, at eius prorsus scientiae sacrae expertes, qua qui careant et pulcherrimo omnium pretiosissimoque ornamento carent et in summa inanitate versantur: « Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei ». [1] Ad rem opportune Seraphicus Doctor: « Hic est fructus omnium scientiarum, ut in omnibus aedificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes, quae sunt in unione sponsi et sponsae, quae quidem fit per caritatem ». [2]

Quam quidem rerum sacrarum cognitionem cum necesse sit Ecclesiae administros et maximi facere et penitus percipere, id ipsum est hortationis huius Nostrae caput, ut sodales religiosos, sacerdotio vel iam potitos vel posthac initiandos, ad disciplinas sacras assidue excolendas excitemus, quas nisi calleant, vocationis suae munia perfecte absoluteque implere non poterunt. Cum enim iis, qui se Deo consecraverint, aut unum aut certe praecipuum propositum sit orare Deum et divina contemplari aut meditari, qui igitur gravissimo eiusmodi fungantur officio nisi fidei doctrinam plane cognitam habeant atque perspectam? Quod velimus eos in primis attendere, qui umbratilem in caelestium rerum contemplatione vitam degunt; errant enim, si putant, theologicis studiis aut ante neglectis aut postea depositis, posse se, copiosa illa destitutos, quae e doctrinis sacris hauritur, Dei mysteriorumque fidei cognitione, facile in excelsis versari atque ad interiorem cum Deo coniunctionem afferri atque evehi. Ad ceteros autem quod attinet, sive ii docent, sive contionantur, sive animis expiandis pro tribunali poenitentiae sedent, sive in sacras expeditiones dimittuntur, sive cum populo in cotidiana vitae consuetudine sermocinantur, nonne multiplex ista ministerii sacri exercitatio eo plus habitura est roboris atque efficacitatis, quo maiore eruditionis summa niteant ac polleant? Divinarum ceteroqui scientiam rerum, eandemque interiorem et copiosam, sacerdoti tenendam esse, Paraclitus Spiritus per Prophetam edixit: « Labia sacerdotis

[1] *Sap.* XIII, 1.
[2] *De reductione artium ad Theol.*, n. 26.

http://www.obrascatolicas.com/

custodient scientiam ».[1] Quo enim pacto solida is doctrina careat, e cuius ore, cum sit Domini scientiarum [2] legatus, novi Foederis administer et doctor, sal terrae [3] et lux mundi, [4] verba salutis christianus populus praestolatur? Sibi igitur metuant quotquot ad ministeria sacra rudes imperitique accedunt; neque enim impune eorum feret inscitiam Dominus, illud terribilem in modum minitatus: « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi ».[5] Iam vero, si unquam alias oportuit sacerdotem non esse indoctum, at multo plus per haec tempora oportet, cum ad vitae usum cognitio rerum ac scientia tanti refert tamque arcte pertinet, ut homines, vel qui minus sapiunt — quemadmodum contingere paene in universum solet — quicquid agunt, se scientiae nomine agere dictitent. Quare summa contentione adnitendum, ut catholica fides humanarum omne genus doctrinarum adminiculo praesidioque iuvetur: quarum admotis luminibus et pulchritudo revelatae veritatis ante oculos omnium versetur et captiosa opinionum commenta, quae ementiti nominis scientia adversus fidei dogmata congerere consuevit, opportune diluantur. Etenim, ut Tertullianus praeclare scripsit, fides nostra « unum gestit interdum, ne ignorata damnetur »; [6] quamobrem ne illud Hieronymi oblitteretur: « Sancta rusticitas solum sibi prodest, et quantum ex vitae merito Ecclesiam Christi aedificat, tantum nocet si resistentibus non resistat... In tantum sacerdotis officium est, interrogatum respondere de lege ».[7] Itaque sacerdotis tam saecularis, quam regularis, est, catholicam doctrinam cum pervulgare latius tum uberius inlustrare ac tueri; quae non solum habet unde, quaecumque ex adverso opponuntur, convincat ac refellat, sed etiam, modo dilucide explanetur, non potest animos praeiudicatae opinionis expertes ad se non allicere. Quod ipsum cum Doctores illos mediae, quam vocant, aetatis neutiquam fugisset, iidem, Thoma Aquinate et Bonaventura ducibus, toti in eo fuere, ut divinarum rerum cognitionem perciperent amplissimam cum aliisque communicarent. Huc praeterea accedit, quod vel ipsa animi, ingenii viriumque contentio, quam in eiusmodi studiis, dilecti filii, sodales adhibeant vestri, effectura profecto est ut ii

[1] *Mal.* II, 7.
[2] *I Reg.* II, 3.
[3] *Mt.* V, 13.
[4] *Ibid.*, 14.
[5] *Os.* IV, 6.
[6] *Apol.* I, in ML I, 308.
[7] *Epist. LIII* (al. *CIII*) *ad Paulin.*, in ML XXII, 542.



et spiritus religiosos uberius hauriant et nobilissimi, quem amplexi sunt, status dignitatem decusque sustineant. Quisquis enim in sacras disciplinas incumbit, rem utique adgreditur, quae magno labore et molimento et incommodo constat, pariterque desidiae illi inertiaeque repugnat, quae mater est et magistra multorum malorum; [1] atque idem studiosus hac haud mediocri cogitationum intentione, praeterquam quod assuescit nihil quicquam praepropere deliberare inconsulteve agere, longe facilius coërcet cupiditates ac cohibet, quibus qui imperare neglegat, iam in deteriora flectitur inque vitiorum caenum prolabitur. In quo haec habet Hieronymus: « Ama scientiam Scripturarum et carnis vitia non amabis... », [2] « Eruditio Scripturarum germinat virgines ». [3] Sed religiosus vir ad ea studia exercenda impelli quoque debet conscientia officii, quo ex sua ipsius vocatione obstringitur, perfectae adipiscendae virtutis. Quam quidem ad perfectionem cum nemini liceat efficaciter contendere tutoque pervenire sine vitae interioris usu, num haec quibusvis aliis tam abunde nutrimentis, quam divinarum rerum studio, educatur atque alitur? Scilicet usitata et cotidiana mirabilium illorum naturae gratiaeque donorum contemplatio, quorum tam largam Omnipotens Deus copiam in rerum universitatem atque in singulos homines effudit, cogitationes motusque animorum consecrat et ad caelestia erigit; immo etiam homines spiritu fidei complet efficitque Deo coniunctissimos. Quorum quis Christo Iesu similitudine propior, quam qui doctrinam de fide et moribus divinitus ad nos allatam in sucum et sanguinem converterit? Sapientissimo igitur consilio religiosorum Ordinum Conditores, sanctorum Ecclesiae Patrum et Doctorum secuti vestigia, sacrarum disciplinarum studia filiis suis maiorem in modum commendarunt; cognitum, ceteroqui, experiundo est, dilecti filii, eos e vestris, qui amantius fidei rationes coluere, altiorem plerumque sanctitatis gradum attigisse; quotquot, contra, sacrum eiusmodi officium deseruerunt, eos saepius languere coepisse atque haud raro in deteriorem statum, ad votorum usque violationem, dilapsos esse. Itaque sodales omnes Richardi a S. Victore verba meminerint: « Utinam unusquisque nostrum huiusmodi studiis eousque insistat, donec sol occumbat, et vanitatis amor paulatim deficiat, et carnalis prudentiae ratio, subducto fervore concupiscentiae, tepescat ». [4]

[1] *Eccli.* XXXIII, 29.
[2] *Epist. CXXV* (al. IV) *ad Rust.*, n. 11, in ML XXII, 1078.
[3] *Comm. in Zacch.*, l. II, c. X, in ML XXV, 1489.
[4] *De diff. sacrif. Abr. et Mariae*, 1.

http://www.obrascatolicas.com/

Itemque ii suam faciant, hortamur, Augustini precationem: « Sint castae deliciae meae Scripturae tuae: nec fallar in eis nec fallam ex eis ». [1]

Cum igitur ex constanti attentoque doctrinae sacrae studio tam praeclara religiosis viris emolumenta obveniant, iam manifesto apparet, quantopere vobis, dilecti filii, vigilandum sit, ne alumnis desit vestris facultas eiusdem doctrinae cum pervestigandae tum in omne tempus aetatis colendae. Ad rem autem, mirum quantum proderit adulescentium, qui ad coenobii vitam adspirent, recte inde ab initio mentem animumque instituere atque effingere. Atque principio, cum in domestico convictu, horum pro iniquitate temporum, christianae puerorum educationi minus consulatur, et adulescentes, ad late diffusas expositi corruptelarum illecebras, solida destituantur religiosa institutione, quae ad divina praecepta, immo vel ad honesti et recti rationem una potest conformare animos, sequitur, nihil facere vos posse hoc in genere utilius, quam si parva Seminaria vel conlegia constitueritis — quod fieri passim, iucunde conspicimus — adulescentulis excipiendis, in quibus aliqua divinae vocationis indicia deprehendantur. In quo tamen id ipsum vobis cavendum, quod s. m. decessor Noster Pius X moderatores Dominicianae familiae monuit, idest ne festinanter neve gregatim adulescentes adsciscatis, de quibus in incerto sit afflatune divino sanctissimam istam vitae rationem praeoptent. [2] Mature igitur prudenterque delectis adulescentulis religiosae vitae candidatis, impense curabitis ut, una cum pietatis doctrina, ad aetatem accommodata, inferiores disciplinae tradantur, quae tradi in gymnasiis solent; [3] ita scilicet, ut non ante ad novitiatum accedant, quam humanitatis, ut aiunt, curriculum confecerint, nisi sat gravis interdum causa aliter decernendum suadeat.

In qua quidem puerili institutione nullas a vobis praetermitti navitatis diligentiaeque partes, est non modo caritatis sed etiam iustitiae rationibus consentaneum. Quodsi ob Instituti exiguitatem, ob aliasve causas, aliqua Provincia non habeat, unde, ad canonum praescripta, rectae eiusmodi institutioni prospiciat, iidem adulescentes ad aliam Provinciam vel studiorum sedem mittantur, ubicumque rite, ad praescriptum can. 587, doceri queant. At vero in inferioribus scholis sancte illud ex can. 1364, 1° servetur: « Praecipuum locum

[1] *Conf.*, l. XI, c. II, n. 3, in ML XXXII, 810.
[2] N. 279.
[3] Can. 589.



obtineat religionis disciplina, quae, modo singulorum ingenio et aetati accommodato, diligentissime explicetur ». Atque in hac disciplina libri ne adhibeantur, nisi quos Ordinarii probarint. Quae, ceteroqui, religionis studia, ut obiter dicamus, ipsi philosophiae scholasticae auditores exercere ne desinant; aureo autem illo percommode utantur *Catechismo Romano*, in quo nescias utrum magis mirere, copiamne sanae doctrinae, an latini sermonis elegantiam. Quodsi clerici vestri, inde ab aetatis flore, doctrinam sacram ex fonte isto haurire assueverint, super quam quod ad theologiae studia paratiores exsistent, ex usu absolutissimi operis capient profecto unde sapienter et populum erudiant et commenta refellant quae in doctrinam revelatam effuti solent. Vobis autem, dilecti filii, quae de linguae latinae studio, per Epistolam Apostolicam *Officiorum omnium*, monuimus catholicos Antistites diligenter attenderent, eadem ut in litterariis ludis servetis, suademus ac praecipimus: nam ad vestros quoque ea Codicis lex pertinet quae de sacrorum alumnis edicit: « Linguas praesertim latinam et patriam... accurate ediscant ». [1] Quanti autem momenti sit, iuvenes religiosos latini esse bene gnaros sermonis, id non modo declarat, quod eo ipso Ecclesia utitur veluti ministro et vinculo unitatis, sed etiam quia latine Biblia legimus, latine et psallimus et litamus et sacris ritibus paene omnibus perfungimur. Huc praeterea accedit, quod Romanus Pontifex latine universum alloquitur docetque catholicum orbem, neque alium sane adhibet Romana Curia sermonem cum negotia expedit ac decreta conficit quae fidelium communitatis intersunt. Qui autem linguam latinam non calleant, iis quidem ad copiosa Patrum Doctorumque Ecclesiae volumina difficilior est aditus, quorum plerique non alia usi sunt scribendi ratione ut christianam sapientiam proponerent ac tuerentur. Quare cordi vobis esto, ut clerici vestri, qui in ministeriis Ecclesiae futuri aliquando sunt, eiusdem linguae scientiam atque usum quam accuratissime percipiant.

Emenso inferiore litterarum curriculo, alumni et candidati omnes, quibus se Deo consecrandi mens constet, quique bona animi indole, ingenio haud tardo, pietatis spiritu morumque integritate se moderatoribus suis probaverint, in novitiatum cooptentur, in quo, quasi in quadam palaestra, religiosae vitae principia et virtutes data opera perdiscant. Quantum autem intersit, tironum animos eo temporis spatio diligenter excoli, non tam e magistrorum pietatis testi-

[1] Can. 1364, 2°.

http://www.obrascatolicas.com/

moniis quam ex ipsa experientia coniicitur, cum religiosi status perfectionem nulli assequantur retineantque, nisi iam tum omnium fundamenta virtutum iecerint. Quamobrem, remotis quarumvis disciplinarum studiis atque oblectamentis, huc tantummodo novitii animos intendant, ut, sapienti magistri sui ductu, interioris vitae exercitationibus virtutumque adeptioni vacent, earum praesertim quae cum religionis votis, idest paupertatis, obedientiae et castitatis, cohaerent et coniunguntur. In quo erunt ad perlegendum considerandumque utilissima cum sancti Bernardi et Seraphici Doctoris Bonaventurae, tum Alphonsi Rodriguez, tum etiam eorum qui apud Sodalitatem uniuscuiusque vestram magisterio pietatis floruerunt, scripta, quorum virtus atque efficacia tantum abest ut vetustate defecerit atque elanguerit, ut etiam aucta hodie videatur. Neque tirones unquam obliviscantur, quales in novitiatu fuerint, tales se in reliquum vitae tempus futuros, et supplendi posterius renovato animo tirocinii, si semel modico aut nullo fructu illud egerint, spem esse plerumque inanissimam.

Hoc deinde vobis, dilecti filii, curae erit, ut alumni, qui novitiatum expleverint, in iis domibus collocentur, ubi sanctissimarum observatio legum floreat et cetera sint ita disposita, utilius ut illi accuratiusque possint statum ordinatumque philosophiae et theologiae cursum peragere. Statum ordinatumque diximus: scilicet non modo ne ad superiorem scholae gradum ullus evehatur quin in inferiore satis abunde profecerit, verum etiam ne qua studiorum pars praetereundo neglegatur, neve quid de temporis spatio dematur in eiusmodi disciplinis ad Codicis praescripta insumendo. Incaute igitur — ut nihil dicamus amplius — ii moderatores faciant, qui, forte ut necessitati pareant brevissimi temporis, velint suos compendiaria quasi via ad sacros Ordines pervehi, quo eorundem citius utantur opera. Nonne est usu cognitum, qui propere et praepostere didicerint, eos tali institutionis suae vitio mederi in posterum vix aut ne vix quidem posse, et, quantulamcumque forte utilitatem ex eiusmodi praeceptione Ordinum aliquando capi licuerit, eandem, cum religiosos istos minus ad sacra ministeria aptos exsistere necesse sit, evanescere demum omnem ac dissipari? Videte porro ne iuvenes religiosi, qui in philosophiae et theologiae studia incumbunt, animos a certamine virtutum remittant; quin immo pergere ii debent peritissimis uti pietatis magistris, ut tandem aliquando, quemadmodum religiosos viros decet, solidam doctrinam praeferant cum sanctimonia vitae coniunctam.



At vero huc singulari quadam ratione curas advocamus vestras, ut magistri altioribus disciplinis apud vos tradendis plane idonei deligantur, tales nempe ut suo vitae instituto exempli instar sint eaque eruditissimi doctrina qua discipulorum mentes excolere iubeantur. Itaque ne magister, ne lector esto, nisi qui philosophiae, theologiae copulatarumque disciplinarum cursus laudabiliter confecerit atque satis habeat ad docendum artis et facultatis. Neque illud vobis excidat quod in Codice iuris canonici [1] legitur: « Curandum ut saltem sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae, theologiae moralis et historiae ecclesiasticae totidem habeantur distincti magistri ». Quibus quidem in eo magnopere elaborandum, ut ex discipulis sanctos operososque Christi apostolos faciant iisque instructos scientiae prudentiaeque ornamentis, quorum vi cum simplices imperitosque homines erudiant, tum falsi nominis scientia inflatos coarguant, tum denique omnes ex errorum contagione praemuniant, quae, quo solet occultius serpere atque irrepere, eo maiora animis detrimenta parit atque affert. Quodsi auspicato contigerit, ut alumni vestri in sapientiae christianae regionibus viisque alacri incedant animo maximeque excellant, labores, quos in rem tam salutarem, dilecti filii, insumpseritis, uberrimorum laetitia fructuum, ultra quam credibile est, compensabitis.

Verum enimvero id sanctum vobis inviolatumque esto quod in Epistola Apostolica de Seminariis et de studiis clericorum, iuri canonico congruenter, ediximus: scilicet ut in tradendis philosophiae et theologiae praeceptis magistri fideliter Scholasticam rationem, secundum Aquinatis principia et doctrinas, sequantur. Scholasticam enim disciplinam angelicamque Thomae sapientiam, quam decessores Nostri nullo non tempore amplissimis honestarunt laudibus, num quis ignorat, ut ad revelatas veritates inlustrandas, sic ad errores cuiusvis aetatis mirifice refutandos, natam aptam esse? Etenim Angelicus Doctor — ita immortalis memoriae decessor Noster Leo XIII — « divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus... illud a se impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit ». [2] Et recte idem Pontifex: « Qui vere philosophari volunt — velle autem potissimum debent religiosi viri — primordia ac fundamenta doctrinae in Thoma

---

[1] Can. 1366, 3°.
[2] N. 224.

http://www.obrascatolicas.com/

Aquinate ponant ». [1] Quantopere autem intersit alumnos vestros ab scholastica ratione nullo pacto abscedere, vel ex eo apparet, quod, cum philosophiam inter et revelationem arctissima cognatio intercedat, utrasque Scholastici ipsi tam mira concordia composuerunt et coagmentarunt, ut altera alteri lucem afferret maximumque adiumentum. Neque enim, cum ambae a Deo, summa aeternaque veritate, proficiscantur et rationis illa, haec fidei documenta reddat exhibeatque, inter se pugnare queunt, ut nonnulli delirando contendunt; immo etiam tam amice conspirant, ut altera alteram compleat. Unde sequitur, ex inscio imperitoque philosopho fieri nunquam doctum theologum posse, et qui divinarum rerum sit prosus ieiunus, eidem perfecte philosophari nullo pacto licere. In quo recte S. Thomas: « Ex principiis fidei ita probatur aliquid apud fideles, sicut etiam ex principiis naturaliter notis probatur aliquid apud omnes; unde etiam theologia scientia est ». Ut aliis verbis dicamus, quemadmodum e ratione, quae est divini participatio luminis, philosophia prima naturalis cognitionis principia ducit, eademque enuntiat atque explicat, ita theologia e supernaturalis luce revelationis, quae intellectum splendore suo illuminat et complet, fidei notiones mutuatur, evolvit, explanat, ut sint ambae duo uno ex sole radii, duo uno ex fonte rivuli, bina in fundamento uno aedificia. Magnum quiddam profecto humana scientia est, modo fidei rationibus obsequenter inhaereat; quibus posthabitis, iam in multos eam ipsam errores incidere dementiasque necesse omnino est. Quodsi, dilecti filii, alumni vestri, quam humanarum cognitionum in se summam congesserint, eam doctrinae sacrae famulari ac servire iubeant; si, praeterea, veritatis revelatae amore et cupiditate acriter ardeant, erunt atque habebuntur homines Dei, et verbo exemploque plurimum christiano populo proderunt. Etenim « Omnis Scriptura divinitus inspirata » — vel, ut Angelicus Doctor interpretatur, sacra doctrina, lumine divinae revelationis admoto, percepta — « utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus ». [2]

Sed iuvenibus Sodalibus, ne in hoc tam amplo humanarum divinarumque rerum campo frustra versentur, spiritus fidei est in primis alendus, qui si quidem debilitetur, iam ii nequeant, veluti

[1] N. 237.
[2] *II Tim.* III, 16-17.



obtusa oculorum acie, in supernaturalia vera introspicere; neque minus oportet, recta mentis intentione ad discendum accedant. « Sunt qui scire volunt — animadvertit S. Bernardus — eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est;... et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus, et turpis quaestus est; sed sunt quoque qui scire volunt ut aedificent, et caritas est; et item qui scire volunt ut aedificentur, et prudentia est ». [1] In eiusmodi igitur studiis iuvenes vestri hoc sibi unice proponant ut Deo placeant et sibi proximisque quam plurimum spiritualis afferant emolumenti. Itaque, cum in scientia a virtute seiuncta plus utique insit offensionis et periculi quam verae utilitatis — solent enim qui ex doctrina sibi comparata magnos gerunt spiritus, ad interitum animae, dono fidei amisso, caecos se praecipitesque agere — acriter contendant, ut humilitatis virtus, omnibus sane necessaria at studiosis praecipuo quodam modo colenda, sibi in medullis haereat, memores ut sunt, Deum unice esse ex se sapientissimum, et, quicquid homo didicerit, id omne, quantumcumque est, nullam prorsus habere comparationem cum reliquis iis omnibus quae ignorat. Ad rem venuste Augustinus: « Scientia — ait Apostolus — inflat. Quid ergo? Scientiam fugere debetis, et electuri estis nihil scire potius quam inflari? Ut quid vobis loquimur, si melior est ignorantia quam scientia?... Amate scientiam, sed anteponite caritatem. Scientia si sola sit, inflat. Quia vero caritas aedificat, non permittit scientiam inflari. Ibi ergo inflat scientia, ubi caritas non aedificat: ubi autem aedificat, solidata est ». [2] Vestri igitur, si quidem spiritu caritatis pietatisque, unde ceterae virtutes oriuntur et constant, studia sua foveant, quasi quodam medicato odore qui metum corruptionis avertat, futurum sine ulla dubitatione est, ut ob sua doctrinae ornamenta acceptiores Deo fiant Ecclesiaeque utiliores.

Iam non restat nisi ut cogitationem ad eos convertamus Sodales qui, quamquam ad sacerdotalem dignitatem minime vocantur, cum tamen eadem, ac sacerdotes, vota religionis emiserint, non minus Deo obligantur et officio perfectionis assequendae devinciuntur. Atque posse eos, etsi litterarum atque altiorum disciplinarum inscios, ad celsissimum sanctitatis gradum adscendere, vel inde patet, quod ex iis satis multi, ob vitam pie integerrimeque actam, aut in magna perpetuaque catholicorum hominum admiratione sunt, aut, in san-

[1] *In Cant. sermo XXXVI,* in ML CLXXXIII, 968.
[2] *Sermo CCCLIV ad Cont.,* c. VI, in ML XXXIX, 1566.

http://www.obrascatolicas.com/

ctorum caelitum numerum auctoritate Romanorum Pontificum adscripti, deprecatores apud Deum et patroni habentur atque invocantur. Quos, ceteroqui, Sodales *conversos* seu laicos, cum pro condicione sua a periculis vacent, quae ex ipsa muneris granditate sacerdotibus sodalibus interdum impendent, atque haud dissimilibus privilegiis praesidiisque animorum fruantur, quae religio filiis suis materna providentia promiscue impertire consuevit, aequum est, caeleste vocationis donum et permagni facere et acceptum Deo grata voluntate referre, consilium saepe renovando, quod professionis suae die inierunt, congruenter vocationi usque ad extremum spiritum vivendi. Hoc tamen loco Nos abstinere, dilecti filii, non possumus, quin vos hortemur attendere quam gravi teneamini officio vigilandi, ut fratres conversi, cum probationis tempore, tum in reliqua vita, spiritualibus subsidiis ne careant, quibus ad proficiendum perseverandumque indigent, iisdemque eo fortasse maioribus, quo humiliore ii condicione sunt humilioribusque funguntur ministeriis. Qua de causa moderatores, in decernendo ubi quisque eorum commoretur quidve operis faciat, debent quidem singulorum ingenia respicere et scopulorum, in quos forte offensuri sint, rationem habere; quodsi iidem aliquando ab religione officii discesserint, nihil pro paterno studio inexpertum relinquant ut fortiter eos suaviterque ad vitae revocent sanctimoniam. At praecipue moderatores ne desinant sodales laicos vel erudire ipsimet vel idoneis sacerdotibus in aeternis maximisque fidei veritatibus erudiendos committere; quas qui noverit et frequenter perpendat, sive in saeculo vivat, sive intra religionis septa commoretur, multa inde virtutum incitamenta hauriet. Haec autem, quae proxime diximus, ad Congregationum laicalium Sodales omnes pertinere quoque volumus; immo etiam hos doctrina religionis pleniore, atque eruditione haud vulgari, idcirco imbui opus est, quia plerumque pueris atque adulescentibus instituendis, suo ipsorum officio, vacant.

Habetis, dilecti filii, quae visum Nobis est, paternae instinctu caritatis, de exsequenda apud vos studiorum ratione, deque aliis rebus haud minoris momenti, vobiscum communicare. Ista quidem, ut, pro observantia in Nos vestra ac pro studio, quo flagratis, Sodalitatis cuiusque vestrae provehendae, libenter vos obedienterque accepturos esse pro certo habemus, ita velimus in animis tironum scholasticorumque vestrorum insculpta haereant, atque in futurum, Patribus Legiferis bene precantibus, multa Institutis vestris beneficia et commoda tribuant. Caelestium interea gratiarum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecti filii, atque universis religiosis viris unicuique vestrum commissis, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

*AAS* XVI (1924), 133-148; *Sylloge*, 116; *Enchir. Cler.* 1184-1192.



## 349

### De alumnis ad divinarum litterarum studia mittendis

(Ex motu proprio *Bibliorum scientiam*, diei 27 aprilis 1924)

IV. Summi Ordinum regularium Sodalitatumque religiosarum moderatores id velle Nos sciant, ut quos ex alumnis suis, aut Romae aut alibi sacrarum disciplinarum curriculum agentibus, ad divinarum Litterarum studia aptiores deprehenderint, si non omnes at saltem eorum aliquem, post exactum theologiae cursum, Scholas Instituti Biblici frequentare iubeant.

*AAS* XVI (1924), 181.

## SACRA CONGREGATIO SANCTI OFFICII

## 349ª

### De libris edendis ad rem biblicam pertinentibus deque Sacra Scriptura docenda

(Epistola *Neminem latet*, diei 15 maii 1924, ad Supremos Ordinum Congregationumque Religiosarum Moderatores)

Neminem latet quot errores ac temerariae novitates, quod speciatim ad rem biblicam attinet, postremis hisce temporibus in vulgus prodierint, quaque alacritate ac vigili studio Summi Pontifices iis obsistentes, tum Litteris Encyclicis, tum decretis a Sancto Officio et a Pontificia Commissione Biblica editis, tum multis aliis praeclare gestis, fidem catholicam defendere ac munire numquam destiterint.

Porro, quamvis haec S. Sedis praescripta et documenta, qua par erat reverentia atque obedientia, fere omnes Ordinum Congregationumque religiosarum alumni exceperint, pluresque ex iis, verae scientiae cultores, ei in hoc certamine contra acerrimas inimicorum oppugnationes validissime praesto fuerint; dolendum tamen non defuisse nec deesse viros, etiam per vota religionis Ecclesiae speciatim devinctos, qui nedum ei in hoc luctamine nil operis contulerint, sed immo impedimento, et quidem gravissimo eidem fuerint et sint. Hi

http://www.obrascatolicas.com/

enim falso animo reputantes scientiae progressum inde detrimentum capere et iustam doctorum catholicorum libertatem pessumdari, interventum auctoritatis ecclesiasticae aegre ferunt; immo non pauci, sive verbis sive etiam scriptis non verentur talia innuere quibus sententiae reprobatae foventur, ac nedum disciplina sed et doctrina ecclesiastica in discrimen vocatur.

Ut aliquod remedium tot afferatur malis omnesque religionum sodales per rectam viam incedant, Suprema haec Sacra Congregatio S. Officii ex speciali mandato Sanctissimi Domini Nostri, sequentia decernit:

I. Omnibus supremis religionum Moderatoribus iniungitur ut facultatem concedendi propriis religiosis licentiam de qua in canone 1385 § 3, quoties agitur de edendis libris ac quibuscumque aliis scriptis ad rem biblicam spectantibus, ad se avocent. Nunquam autem huiusmodi licentiam concedant nisi praevia scripti recognitione in Curia Generalitia diligentissime peracta per revisores ad rem designandos.

II. Pariter supremi religionum Moderatores sibimetipsis reservabunt approbationem textuum de materiis biblicis tractantium in scholis suae religionis adhibendorum, necnon delectum magistrorum quibus munus sacram Scripturam praelegendi committendum erit.

III. Ad munus autem revisorum in materia biblica necnon magistrorum sacrae Scripturae ne designent nisi qui non modo in litteris sacris sint bene versati verum etiam doctrinam communem et traditionem Ecclesiae quam diligentissime et ex animo sequantur, eosque serio admoneant ut in scriptis examinandis vel in doctrina, sive ore sive scripto tradenda, ne minimum quidem discendant a normis et declarationibus hac in re a S. Sede promulgatis, quales praesertim continentur in Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus* Leonis XIII,[a] *Pascendi* Pii X,[b] *Spiritus Paraclitus* Benedicti XV,[c] in Decreto *Lamentabili* S. Officii,[d] necnon in decisionibus Pont. Commissionis Biblicae.[e]

[a] N. 232.
[b] N. 256.
[c] Diei 15 septembris 1920, in *AAS* XII (1920), 385-422.
[d] N. 255.
[e] Vide, ex. gr., Decl. diei 17 novembris 1921, in *AAS* XIV (1922), 27; Resp. diei 1 iulii 1933, in *AAS* XXV (1933), 344; Resp. diei 30 aprilis 1934, in *AAS* XXVI (1934), 315; Resp. diei 20 augusti 1941, in *Il Monitore eccl.* LIII (1941), 228-234; Resp. diei 22 augusti 1934, in *AAS* XXXV (1943), 270.



IV. Itidem, Doctores sacrae Scripturae tradendae iidem Generales Superiores specialiter monebunt ne eruditioni undique congestae intemperanter indulgeant; neve pietatem, quae ad omnia utilis est, praesertim ubi agitur de instituendis animarum pastoribus, negligant; nec unquam scientiam a fide, artem criticam a theologia, exegesim historicam ab exegesi pastorali seiunctim doceant. « Nihil profecto, ait Leo XIII in memoratis Litteris Encyclicis, debet esse antiquius magistrorum delectione prudenti: ad hoc enim munus non homines quidem de multis sed tales assumi oportet, quos magnus amor et diuturna consuetudo Bibliorum atque opportunus doctrinae ornatus commendabiles faciat, pares officio ». Oportet speciatim ut sacrae Scripturae magister « omnem theologiam egregie teneat », « ut in commentariis versatus sit sanctorum Patrum Doctorumque et interpretum optimorum » atque, tandem, iuxta monitum eiusdem Pontificis in Litteris ad Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum directis, ut habeat « iudicium sanum ac prudens ».

V. Ad supremos religionum Moderatores etiam pertinet sedulo invigilare circa modum quo magistri rei biblicae tradendae officium suum gravissimum expleant. Et si quos eorum a normis a magisterio Ecclesiae constitutis sive in docendo sive in scribendo aberrantes compererint, absque ulla mora munere deiiciant.

VI. Peculiariter vero qui praesunt evulgandis commentariis periodicis de re religiosa quomodolibet tractantibus per eosdem supremos Moderatores admonebuntur ne ulla alia scripta admittant nisi quae obsequium fidelissimum erga normas ac declarationes a S. Sede editas praeseferat; ac si qui hac etiam in parte officio suo non satisfecerint, statim removeantur.

Meminerint praeterea officio quo obstringuntur, vi praescriptionum generalium iuris, omnes supremi religionum Moderatores etiam in alias disciplinas quae in eorum domibus traduntur intentum animum gerendi; ac summa cum sollicitudine munus hoc sanctissime impleant, ut ea omnia quae ad doctrinam vel studiorum rationem spectant, in proprio cuiusque Instituto recte procedant.

Ita pervigilent, quasi rationem pro animabus sibi commissis reddituri, et ne omittant hanc S. Congregationem, infra sex menses a praesentium litterarum receptione, certiorem reddere de iis quae ab ipsis disposita fuerint in earumdem executionem.

In *AAS* non promulgata.[a]

[a] *Analecta Ord. Praed.* XVI (1924), 459.

http://www.obrascatolicas.com/

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

350

### De religiosis a votis temporariis in amentiam incidentibus

(Responsa diei 5 februarii 1925)

Cum aliquando accidat ut Religiosus, vel Religiosa, perdurante triennio votorum quod ex praescripto can. 574 cuicumque professioni perpetuae aut solemni praemitti debet, in amentiam incidat, ita ut, elapso triennio, cum sui compos non appareat, ad professionem admitti nequeat, quippe qui actus huiuscemodi non sit capax, dubitatum est quid tali occurrente casu agendum sit.

Cum autem res in praxi non levis momenti videretur, Sacra Congregatio, praehabito voto plurium Consultorum, sequentia dubia Eñorum Patrum iudicio subiecit:

I. « Utrum Professus votorum simplicium in Ordine vel in Congregatione, qui durante triennio amens evaserit, iudicio medicorum etiam insanabiliter, possit, finito triennio, ad suos vel ad saeculum remitti, an vero debeat in Religione retineri »; et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam:

II. « Qualis sit praedicti Religiosi conditio iuridica, et ad quid teneatur Religio in casu ».

Porro Eñi Patres Sacrae Congregationis Sodalium Religiosorum Negotiis praepositae, in plenario coetu habito ad Vaticanum die 28 novembris 1924, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Ad I: *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam.

Ad II: Religiosus de quo agitur in dubio I, pertinet ad Religionem in eo statu in quo erat quando mente captus est, et Religio tenetur erga eum ad eadem officia ad quae tunc tenebatur.

Facta autem de omnibus relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. XI, in audientia habita ab infrascripto P. Abbate Secretario die 30 novembris 1924, Sanctitas Sua resolutionem Eñorum Patrum approbare et confirmare dignata est.

*AAS* XVII (1925), 107.



## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

351

### De admissione Orientalium in novitiatum

(Interpret. auth., diei 10 novembris 1925)

*Dubium:* An in Religionibus latini ritus sine venia, de qua canon 542, 2°, licite admitti possint ad novitiatum Orientales, qui, proprio retento ritu, praeparantur ad constituendas domus et provincias religiosas ritus orientalis.

*Resp.:* Affirmative.

*AAS* XVII (1925), 583.

## PIUS XI

352

### De studiis rerum orientalium provehendis

(Ex Litt. encycl. *Rerum Orientalium*, diei 8 septembris 1928)

Atque hoc loco, Ordinarios, sive Episcopos sive familiarum religiosarum Moderatores vehementer dilaudantes, qui, optatis Nostris ultro obsecuti, ex amplissima gentium regionumque diversitate, ex Oriente atque Occidente, sacerdotes aliquot suos orientalibus disciplinis imbuendos in Urbem miserunt; atque hortantes praeterea reliquorum coetuum Antistites, qui per orbem latius propagantur, ut, tantum exemplum secuti, alumnos, quos ad huiusmodi studia noverint aptiores atque propensiores, ad hoc Nostrum Institutum Orientale mittere erudiendos ne negligant... Vehementer vos, Venerabiles Fratres, obsecramus ut singuli unum aliquem saltem e sacerdotibus vestris deligendum curetis, qui, orientalibus disciplinis probe eruditus, easdem Seminarii alumnis opportune tradere sit paratus.

*AAS* XX (1928), 283-284; *Sylloge*, 315.



http://www.obrascatolicas.com/

## 353

### De liturgia deque cantu gregoriano et musica sacra cotidie magis provehendis

(Ex Const. ap. *Divini cultus*, diei 20 decembris 1928)

I. Quicumque sacerdotio initiari cupiunt, non modo in Seminariis sed etiam in religiosorum domibus, iam inde a prima aetate cantu gregoriano et musica sacra imbuantur; propterea quod facilius tum ea perdiscunt, quae ad modulationes sonosque pertinent; et vocis vitia, si fortasse habeant, eradicare vel saltem corrigere queunt, quibus quidem postea, adultiores aetate, mederi prorsus non possent. Ab ipsis primordiorum scholis institutio cantus et musicae incipienda est, ac deinde in gymnasio et lycaeo continuanda; ita enim qui sacros ordines suscepturi sunt, cum iam cantus periti sensim sine sensu facti sint, in theologicorum studiorum curriculo, sine ullo quidem labore ac difficultate, altiore illa disciplina institui poterunt quam verissime *aestheticam* dixeris monodiae gregorianae ac musicae artis, polyphoniae atque organi, quamque clerum pernoscere omnino decet.

II. Esto igitur in Seminariis ceterisque studiorum domiciliis, utrique clero recte conformando, brevis quidem sed frequens ac paene cotidiana cantus gregoriani et musicae sacrae lectio vel exercitatio; quae si liturgico spiritu peragatur, solatium potius quam onus, post severiorum disciplinarum studium, alumnorum animis afferet. Auctior ita pleniorque utriusque cleri in liturgica musica institutio id certe efficiet ut ad dignitatem priscam splendoremque *chorale officium* restituatur, quod pars est divini cultus praecipua; itemque ut *scholae* et *capellae musicorum*, quas vocant, ad veterem gloriam revocentur.

III. Quicumque in *basilicis aedibusque cathedralibus, collegiatis et conventualibus religiosorum* cultum moderantur et exercent, iidem totis viribus contendant ut rite, id est ad Ecclesiae praescripta, *chorale officium* instauretur; neque id solum quod ad commune praeceptum spectat divini officii peragendi *digne* semper, *attente ac devote*, sed etiam quantum ad canendi artem attinet; in psallendo enim, et iusta tonorum ratio curanda est una cum mediis suis numeris clausulisque ad sonum exquisitis, et congruens ad asteriscum mora, et plena denique concordia illa in psalmodicis versiculis hymnorumque strophis conclamandis. Quae si egregie efficiantur, omnes rite psallentes, cum suorum animorum in adorando Deo unitatem mirifice ostendant, tum, in moderata duarum chori partium vice, sempiternam illam Seraphim laudem, qui clamabant alter ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus* aemulari videntur. [a]

*AAS* XXI (1929), 36-37; *Enchir. Cler.* 1267-1268; *Sylloge*, 331.



## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

## 354

### De obligatione subditos in doctrina christiana rite imbuendi

(Instructio *Quantum homini*, diei 25 novembris 1929, ad Supremos Moderatores et Moderatrices religiosarum laicarum Familiarum)

Quantum homini necessaria sit accurata ac seria christianae doctrinae institutio, ex hoc manifeste apparet, quod ex ea recta fides nutritur ac roboratur, sine qua vita christiano more traduci nequit. Quae quidem necessitas hodie praesertim persentitur, cum graves de Deo, de religione, de anima rationali, de societate, atque de aeterna hominis destinatione errores ubique circumferuntur. Munus vero hanc doctrinam penitiore modo addiscendi eos potissimum tangit, qui Deo se in religiosis Congregationibus devoverunt: praetermissa enim illa christianae doctrinae cognitione, nec spiritualem vitam in se, ut debent, fovere possunt, nec in aliorum salutem procurandam, ut eorum munus est, incumbere.

Cum autem, ultimis praesertim temporibus, multae ac variae religiosae familiae virorum ac mulierum exortae sint, ex quarum opera, dummodo rite instituantur, plurimum sibi bonum Ecclesia iure meritoque repromittere potest, hinc ad has Sacra haec Congregatio peculiari modo sollicitudinem suam dirigit, eo scilicet fine, ut praedicti utriusque sexus Sodales ipsimet in sacra doctrina probe erudiantur, et pueros vel puellas, quorum cura eis fuerit demandata, in eadem, omni qua par est diligentia, instruant.

Ad quem finem sequentia decernenda proposuit ac, approbante Summo Pontifice, praesentibus litteris decernit:

1. Probandatus ac novitiatus tempore ita tyrones utriusque sexus christianam doctrinam recolant atque penitius edoceantur, ut unus-

[a] Can. 1264, § 1. - N. 245.

quisque frater et unaquaeque soror eam non solum memoriter teneat, sed etiam rite explicare queat, nec ad vota nuncupanda sine sufficienti eiusdem cognitione admittatur, praevio examine.

2. Anno tyrocinii elapso, omnes religiosi alumni, qui in scholis primariis publicis et privatis doctrinam christianam pueris ac puellis explanaturi sint, tum in ipsa catechesi, tum in ratione eam pueris proponendi ita instituantur, ut examen coram Ordinario vel iudicibus ab eodem delegatis, sustinere valeant.

3. Quoad programma ad huiusmodi examen praeparandum adhiberi potest quod apud Vicariatum Urbis in usu est pro decernenda idoneitate ad catechesim in scholis elementariis edocendam. *

4. Si vero non in scholis, sed in paroecia, religiosis viris vel foeminis munus committatur pueros puellasve doctrinam christianam docendi, hi sibi ab Ordinarii Curia comparare curent idoneitatis documentum. [a]

*AAS* XXII (1930), 28-29.

---

* Praeparantur apud Vicariatum Urbis nova programmata. Interim servire possunt haec ex anno 1931, scilicet:

I - DOGMA

Quale è la vera religione. Quale è l'origine del nome cristiano. Quale è il segno distintivo del cristiano? Quali misteri esprime il segno della croce? Che cosa è un dogma? Quali le condizioni perchè vi sia un dogma? Quali sono le fonti del dogma? Che cosa è la S. Scrittura? Che cosa è l'ispirazione? Che cosa è la Tradizione? Ha il medesimo valore della S. Scrittura? Per quali ragioni? Dove sono compendiati i dogmi della religione cristiana? Che cosa s'intende per articolo del simbolo apostolico? Che s'intende per mistero? Perchè Iddio ha rivelato le verità incomprensibili col lume della ragione?

Qual'è l'oggetto del 1° articolo del Credo? Dio esiste? Si può provare l'esistenza di Dio con la ragione? Su quale principio si basano gli argomenti più comuni addotti per provare l'esistenza di Dio? Esporre la prova tratta dalla contingenza del mondo, dal moto del mondo, dall'ordine delle cose. Vi sono argomenti morali per provare l'esistenza di Dio? Che cosa è la legge morale? Si può trovare l'autore della legge morale in noi stessi o nella società? Che valore ha l'argomento dedotto dal consenso universale? Chi sono gli atei? In quante classi si distinguono?

Che s'intende per natura di Dio? Che cosa sono gli attributi di Dio? Che cosa s'intende per attributi negativi e positivi di Dio? Quali sono? Dio onnisciente impedisce la libertà dell'uomo? Dio onnipotente può fare il male? Non potendo fare il male rimane libero? Che significa che Dio è provvidente? Il male che esiste nel mondo Iddio lo vuole o lo permette? Per quali ragioni?

In che consiste il mistero della Ssma Trinità? Non è una contraddizione?

[a] N. 272.



Come ci fu rivelato? Quali sono le relazioni fra le tre persone divine? I loro attributi sono diversi? Che s'intende per appropriazione delle operazioni?

Che cosa s'intende per creazione? Gli esseri creati da Dio sono tutti della stessa natura? Chi sono gli Angeli? Che cosa significa « puri spiriti »? Chi sono gli Angeli custodi? Quali i nostri doveri verso di loro? Chi sono i demoni? Quale la loro occupazione nel mondo? In che modo e dove Mosè racconta la creazione? Come si deve interpretare il racconto mosaico? Si può accettare l'interpretazione letterale? Quale è l'interpretazione simbolica, quale quella concordista? Iddio ha creato l'uomo? Che cosa si deve pensare dell'evoluzionismo?

Qual'è la natura dell'uomo? Esiste l'anima? Quali sono le prove della spiritualità dell'anima? Di quali facoltà è dotata? Come si prova l'immortalità dell'anima?

Di quali doni Iddio dotò l'uomo creandolo? Che s'intende per doni naturali, preternaturali, soprannaturali? Quale fu la prova a cui Iddio sottopose i nostri progenitori? Essi disobbedendo quali conseguenze subirono? Come mai trassero nella loro caduta la loro posterità? In che consiste il peccato originale? Fu esente alcuno dal peccato originale?

Quale fu il rimedio del peccato originale? Quando Iddio promise il Redentore? Che cosa sono le profezie? Come può dimostrarsi che il Redentore è venuto? Gesù Cristo è il vero Messia promesso?

Fu necessaria l'Incarnazione? In che consiste il mistero dell'Incarnazione? Chi è Gesù Cristo? Quante nature e quante persone sono in Gesù Cristo? Gesù Cristo è vero uomo? Gesù Cristo è anche vero Dio? Quante volontà vi erano in Gesù Cristo? Quali conseguenze pratiche derivano dal dogma dell'unica persona divina in Gesù Cristo?

Da che deriva la dignità di Maria Vergine? Può dirsi vera Madre di Dio? Quali furono le sue prerogative? L'Assunzione è un dogma?

Vita di Gesù Cristo. In quanti periodi principali possiamo dividere la vita di Gesù Cristo? Quali sono i principali episodi della vita nascosta? Quali quelli della vita pubblica? In qual modo proviamo la divinità di Gesù Cristo dalla sua vita? Che cosa è miracolo?

Per qual ragione Gesù Cristo volle patire e morire? Era necessario che Gesù Cristo morisse per redimerci? Morì veramente? Quanto tempo rimase Gesù Cristo nel sepolcro? Risuscitò realmente? Di quali qualità era dotato il corpo glorioso di Gesù Cristo?

Dov'è ora Gesù Cristo? Quando andò in cielo? Che significano le parole « siede alla destra di Dio Padre »? Quando rivedremo Gesù Cristo?

Chi è lo Spirito Santo? Quali ne sono state le principali manifestazioni? Quali opere si attribuiscono allo Spirito Santo? Insieme con la grazia che altro comunica all'anima lo Spirito Santo?

Che cosa è la Chiesa? Chi ne è il fondatore? Quando Gesù Cristo istituì la Chiesa? Quale ordinamento dette Gesù alla sua Chiesa? Qual'è la gerarchia della Chiesa? Che s'intende per Chiesa docente e per Chiesa discente?

Di quali prerogative ha fornito Gesù la sua Chiesa? Che s'intende per infallibilità della Chiesa? In chi risiede l'infallibilità nella Chiesa? Cosa intendiamo dicendo che Gesù ha dato autorità alla sua Chiesa? Con quali poteri esercita la Chiesa la sua autorità?

Quale è il mezzo per riconoscere fra le varie società religiose quale sia la vera Chiesa di Gesù Cristo? Quali sono le note della Chiesa? Che s'intende per unità, santità, cattolicità, apostolicità della Chiesa? La Chiesa greca e il protestantesimo hanno le note della vera Chiesa? Come bisogna intendere il detto « fuori della Chiesa non vi è salvezza »? Che cosa s'intende per corpo della Chiesa? Qual'è la sua anima?

Chi è il Papa? Perchè il Papa è il successore di S. Pietro? Che s'intende per

http://www.obrascatolicas.com/

infallibilità del Papa? Che differenza vi è tra l'infallibilità della Chiesa e quella del Papa? Chi sono i Vescovi? Perchè sono i successori degli Apostoli? Quale distinzione bisogna fare fra essi e gli Apostoli? Che cosa è un concilio? Di quante specie sono i concili?

Che cosa è la Comunione dei Santi? Quali sono i membri della Comunione dei Santi? Che cosa s'intende per Chiesa militante, purgante, trionfante? Quali relazioni reciproche possono esservi tra i membri delle tre parti della Chiesa?

Che cosa significa credere la remissione dei peccati? Chi può rimettere i peccati? Come rimette la Chiesa i peccati? Vi sono peccati che non si possono perdonare?

Che cosa è la risurrezione della carne? Perchè dicesi risurrezione della carne? È conveniente tale risurrezione? In quale stato farà Dio risorgere i corpi? Quali sono le qualità dei corpi gloriosi?

Che cosa è la vita eterna? Quali verità porta con sè il dogma della vita eterna? Che cosa sono i novissimi? Che cosa è la morte? Che cosa è il giudizio? Quanti giudizi vi sono? Quali differenze tra i due giudizi? Che cosa è l'inferno? Quali sono le pene che si soffrono all'inferno? Chi va all'inferno? Che cosa è il paradiso? Chi sono quelli che vanno in paradiso?

Che cosa è il Purgatorio? Perchè il Purgatorio non si numera tra i novissimi? Quale pena si espia in Purgatorio?

Che cosa è il Limbo?

## II - MORALE CRISTIANA

Che s'intende per morale? Come si divide? Che cosa è la morale naturale? e la rivelata? Quale differenza fra la naturale e la rivelata? Fu necessaria la morale rivelata?

Quale è l'oggetto della morale? Che s'intende per atto umano? Quando l'atto umano è buono?

Che s'intende per norma di moralità e in che consiste? Quale è la regola remota e la regola prossima della moralità? In qual modo l'oggetto, le circostanze e il fine influiscono sulla moralità dell'atto umano?

Che s'intende per legge? Come si divide? Quale relazione tra la legge eterna, la legge naturale e la legge positivo-divina?

Che s'intende per coscienza? Come si divide in rapporto all'azione (antecedente e conseguente), all'oggetto (vera e erronea), al soggetto (certa, dubbia, scrupolosa)? Vi è obbligo di obbedire alla coscienza?

Che cosa è il peccato? Differenza fra peccato mortale e peccato veniale. I peccati mortali sono tutti della stessa gravità?

## III - COMANDAMENTI

Come si chiama la legge positivo-divina e perchè? Quando, come e dove Dio diede agli uomini i Comandamenti? Che cosa impone il Decalogo? Fu necessario che Dio desse agli uomini la legge positiva? Non bastava la naturale? Come si possono dividere i Comandamenti quanto all'oggetto? Perchè tutti gli uomini sono tenuti all'osservanza dei Comandamenti? In qual modo Gesù perfezionò il Decalogo?

1° Comandamento. — Che significano le parole: *Io sono il Signore Dio tuo?* Che cosa ordina il primo Comandamento? Che cosa è il culto? Che s'intende per culto interno, esterno, privato, sociale, pubblico, assoluto, relativo? Necessità del culto anche esterno? Che s'intende per culto di latria o di adorazione e per culto di dulia o di venerazione? A chi si deve il primo ed a chi il secondo? Culto che si rende alla B. Vergine, agli Angeli, ai Santi e alle reliquie. Perchè nella religione cristiana è permesso il culto alle immagini e alle statue mentre nel Vecchio Testamento Iddio lo aveva proibito?



Che proibisce il 1° Comandamento? Che s'intende per idolatria? Che s'intende per tentazione di Dio, per sacrilegio e per simonia? Che s'intende per superstizione e perchè è proibita dal 1° Comandamento? Lo spiritismo è proibito dalla Chiesa e perchè?

2° Comandamento. — Quale relazione ha con il primo? Che cosa proibisce? Che cosa è la bestemmia? Come si divide? Quale la malizia della bestemmia? Che dire delle ragioni che si adducono per scusarla? Che cosa è il giuramento? Come si divide? Che s'intende col dire che il giuramento deve esser fatto con verità, con giudizio e con giustizia? Quando cessa il giuramento promissorio?

Che cosa ordina il 2° Comandamento? Che cosa è il voto e come si divide riguardo all'oggetto, alla durata e al modo? Quale obbligo importa il voto? Come cessa l'obbligo di adempiere il voto?

3° Comandamento. — Quale relazione ha con i primi due? Cosa ordina? Quale giorno era festivo nella legge antica? Quali sono i giorni festivi per i cristiani? Per i cristiani nei giorni festivi che cosa è di obbligo e che cosa di consiglio?

Che cosa proibisce il 3° Comandamento? Quali si dicono opere servili? La retribuzione data per un lavoro lo rende servile e perciò proibito? Per quali ragioni possono essere permesse nei giorni festivi le opere servili?

4° Comandamento. — Quali doveri impone? Che cosa comprende la parola *onora?* Col nome di padre e di madre quali altre autorità sono indicate? Quali sono le autorità che l'uomo ha sulla terra? Per quale motivo si devono onorare le autorità? In quale caso non si deve adempiere ciò che viene comandato dall'autorità? Che cosa riguarda indirettamente questo Comandamento? Quali sono i doveri dei genitori verso i figli, dei maestri verso gli alunni, dei superiori verso gl'inferiori?

Che cosa proibisce il 4° Comandamento.

5° Comandamento. — Che cosa proibisce? Che cosa è l'omicidio e quale la sua malizia? Quando può essere permesso togliere la vita al prossimo? Cosa è il suicidio? Perchè è proibito? Quali pene ha stabilito la Chiesa contro il suicida? Quale scopo hanno queste pene? In che consiste il duello? Quale la sua malizia? Quali pene in proposito ha stabilito la Chiesa? Il duello al primo sangue riveste carattere di gravità? Perchè in questo Comandamento si proibisce lo scandalo? Natura e divisioni dello scandalo: sua gravità. Perchè sono proibite le imprecazioni e le ingiurie, che certo non feriscono il corpo?

Che cosa ordina il 5° Comandamento? Quale riparazione si deve dare? Come si ripara nel peccato di scandalo?

6° e 9° Comandamento. — Che cosa ordina e che cosa proibisce il 6° Comandamento? Come regolarsi nell'esporre agli alunni questi due comandamenti? Quali sono i mezzi negativi e positivi per mantenere la purezza? Come regolarsi nelle tentazioni contro questa virtù? Quali spettacoli e quali letture si dicono immorali?

Che cosa proibisce il 9° Comandamento? Quale è l'importanza di questa proibizione nel campo educativo?

7° e 10° Comandamento. — Che cosa proibisce il 7° Comandamento? Che cosa è la proprietà e quale la sua origine? Che cosa è il furto e quando si dice rapina? Che s'intende per guasti, usura, frode? Che s'intende per cooperazione attiva e passiva al furto e al danno del prossimo? Che s'intende per danno ingiusto e per ingiusta detenzione?

Che cosa ordina il 7° Comandamento? Che s'intende per restituzione? Chi deve restituire? A chi? Che cosa? Quando? Che s'intende per possessore di buona fede e di mala fede? A che cosa sono tenuti? Quali cause estinguono il dovere della restituzione?

Che cosa ordina e proibisce il 10° Comandamento?

http://www.obrascatolicas.com/

8° Comandamento. — Che cosa proibisce? In quanti modi si può offendere la verità? Natura, divisioni e malizia della bugia. Che significa falsa testimonianza, adulazione, simulazione, giudizio e sospetto temerario? Che s'intende per buon nome? Che cosa è la calunnia e che obbligo impone? Come si ripara? Che cosa è la mormorazione e come si ripara?

Che cosa ordina l'8° Comandamento? La verità si deve sempre dire? Obbligo del segreto. Che cosa è il segreto e di quante specie?

## IV - PRECETTI DELLA CHIESA

Che cosa sono in relazione ai Comandamenti? Da chi la Chiesa ha avuto l'autorità di fare leggi? In chi risiede nella Chiesa la potestà legislativa? Chi è obbligato ai precetti della Chiesa?

1° Precetto. — Che cosa ordina? Che cosa si richiede per l'assistenza alla Messa? Che s'intende per presenza fisica e per presenza morale? Che significa intenzione ed attenzione? Quale è la parte essenziale della Messa? Quali cause scusano dall'assistere alla Messa?

2° Precetto. — Che cosa impone? In che consiste l'astinenza; in che il digiuno? Chi è obbligato all'una e all'altro? Quali cause scusano dal digiuno?

3° Precetto. — Che cosa impone? Che differenza vi è tra le due parti: *confessarsi e comunicarsi*? Con la confessione e comunione sacrilega si soddisfa al precetto?

4° Precetto. — Che cosa ordina? Come si adempie?

5° Precetto. — Che cosa proibisce? In che consistono le *solennità*? Quali sono i tempi proibiti?

## V - VIRTÙ

Che cosa è la virtù? Come si divide?

Virtù soprannaturali. — Quali sono le principali? Perchè la fede, la speranza e la carità si dicono teologali? Come si ricevono? Rimangono nella vita futura? Quale è la più eccellente?

Che cosa è la fede? Quando e come si perde? Come si riacquista? Perchè non credendo una sola verità rivelata si perde la fede? Come si dà prova della fede?

Che cosa è la speranza? Quando e come si perde? Come si riacquista? Come si dà prova della speranza?

Che cosa è la carità? Quale il suo oggetto? Come si perde e come si riacquista? Come si dà prova della carità verso Dio e verso gli uomini?

Virtù morali. — Che cosa è la virtù morale? Quali sono le principali? Che s'intende per virtù della religione? Che cosa è la prudenza? Che cosa è la giustizia e sua divisione? In che consiste la fortezza? Che cosa è la temperanza? Che cosa sono le passioni e come debbono regolarsi? Che s'intende per Beatitudini evangeliche?

Vizio. — Che cosa è il vizio? Quali i vizi capitali?

## VI - GRAZIA

Dio diede all'uomo solo un fine naturale?

In che consiste il fine soprannaturale dell'uomo?

Quale mezzo ha dato Dio all'uomo per raggiungere questo fine?

Che cosa è la grazia?

Che s'intende per grazia attuale? È necessaria? Dio dà a tutti la grazia sufficiente? Cosa si richiede perchè questa grazia diventi efficace?

Che s'intende per grazia abituale o santificante? Come si acquista? Come si perde? Come si riacquista? Come si aumenta?



## VII - SACRAMENTI

Che cosa sono i Sacramenti?

Chi ha istituiti i Sacramenti? A qual fine?

Come sappiamo che Gesù Cristo ha istituito sette sacramenti?

Quali effetti producono i Sacramenti?

*a*) Grazia santificante. Sacramenti dei morti e Sacramenti dei vivi. Ragione di questa denominazione. Chi riceve un Sacramento dei vivi sapendo di non essere in grazia di Dio che peccato commette?

*b*) Grazia sacramentale. Che s'intende?

*c*) Carattere. Che cosa è? Quali Sacramenti l'imprimono? Quante volte si possono ricevere questi Sacramenti?

Quali sacramenti sono necessari di necessità di mezzo? Quali di necessità di precetto? Quali per la società?

Cose necessarie per fare un Sacramento. Materia, forma e ministro.

Battesimo. — Che cosa è? Quando è stato istituito da Gesù Cristo? Materia, forma, ministro. Quali effetti produce? Necessità di questo sacramento: battesimo di acqua, di sangue, di desiderio. A chi si può amministrare il Battesimo? Come si amministra il Battesimo? Quale è l'ufficio dei padrini nel Battesimo e quali i doveri che ne conseguono?

Cresima. — Che cosa è? Quando è stata istituita da Gesù Cristo. Materia, forma, ministro. Quali effetti produce?

Eucaristia. — Che cosa è? Quando e con quali parole è stata promessa da Gesù Cristo? Quando e con quali parole è stata istituita? Materia, forma, ministro. Che s'intende per presenza reale? Che s'intende per transustanziazione? Che cosa sono le specie sacramentali? Quali effetti produce l'Eucaristia in chi la riceve degnamente? Quando vi è l'obbligo di comunicarsi? Quante cose sono necessarie per fare una buona comunione?

S. Messa. Che cosa è la Messa? Perchè e come la Messa è sacrificio? La Messa perchè è rinnovazione del sacrificio della Croce? In che differisce da questo? A chi si offre la Messa? Per chi si offre la Messa? Per quali fini si offre la Messa? Cosa ha stabilito la Chiesa per la celebrazione della Messa? Luogo dove si deve celebrare: chiesa, altare, vasi sacri e vesti liturgiche. Parti della Messa.

Penitenza. — Che cosa è la Penitenza o Confessione? Quando e con quali parole è stata istituita da Gesù Cristo? Quali sono gli uffici che esercita il sacerdote confessore e perchè è necessaria l'accusa specifica dei peccati?

Materia, forma, ministro. Perchè sacerdote confessore?

Cose necessarie per fare una buona confessione. Esame di coscienza. Dolore: perfetto ed imperfetto: ragione di queste denominazioni. Cosa ci ottiene il dolore perfetto? È sufficiente il dolore imperfetto per ottenere il perdono dei peccati? Il dolore deve essere interno, soprannaturale, sommo. Proposito fermo, universale di non peccare e di fuggire le occasioni? Che cosa sono le occasioni del peccato?

Accusa o confessione. Di quali peccati siamo obbligati a confessarci? Come si devono confessare i peccati mortali? Accusa breve, umile, intera, sincera.

Assoluzione. Con l'assoluzione è rimessa anche la pena meritata? La penitenza sacramentale che cosa è? Basta a rimettere tutta la pena temporanea? Come e dove si può scontare la pena temporanea? Che cosa è l'indulgenza? Chi può concedere le indulgenze e perchè? Indulgenza plenaria e parziale. Cosa significa indulgenza di cento giorni e simili? Come si acquistano le indulgenze? Si possono applicare alle anime del Purgatorio?

Estrema Unzione. — Che cosa è? Come se ne parla nella S. Scrittura? Materia, forma e ministro. A chi si può dare questo sacramento? Quali effetti produce? Quante volte si può ricevere?

http://www.obrascatolicas.com/

Ordine Sacro. — Che cosa è? Perchè si chiama ordine? Quali sono i gradi maggiori? Materia, forma e ministro. Quali poteri conferisce questo sacramento? Necessità di vocazione. Qual fine deve avere chi entra nel sacerdozio? Doveri dei fedeli verso coloro che sono chiamati al sacerdozio.

Matrimonio. — Che cosa è? Perchè Gesù Cristo volle elevare il matrimonio alla dignità di sacramento? Materia, forma e ministro. Quale ufficio ha il sacerdote nella celebrazione del matrimonio? Doti del matrimonio: unità e indissolubilità. Impedimenti. Consenso. Vizi del consenso. Gli effetti del matrimonio. Necessità della vocazione.[a]

VIII - ORAZIONE

Che cosa è? Orazione mentale e vocale. Necessità della preghiera. Efficacia della preghiera. Quali condizioni deve avere la preghiera perchè sia esaudita? Orazione domenicale o *Pater noster:* breve esposizione. Preghiera alla Madonna Ssm̃a ed ai Santi.

## PIUS XI

### 355

### De exercitiis spiritualibus

(Ex Litt. encycl. *Mens nostra,* diei 20 decembris 1929)

Qui vero in religiosae disciplinae septis quovis titulo militant, cum quotannis sacris exercitationibus perfungi lege iubeantur,[1] nullum dubium est quin e sacris hisce secessibus magnam caelestium bonorum abundantiam relaturi sint, unde, prout cuique opus est, amplioris perfectionis haustus excipere, praesidiaque omnia ad consiliorum evangelicorum viam alacrius terendam sibi comparare queant. Annua enim Exercitia mysticum « lignum vitae » sunt,[2] quo tam singuli quam communitates laude illa sanctimoniae vigebunt, qua familia quaevis religiosa floreat oportet.

*AAS* XXI (1929), 700.

### 356

### De ultimo educationis fine

(Ex Litt. encycl. *Divini illius Magistri,* diei 31 decembris 1929)

§ 5. Res igitur maximi momenti est, in iis quae ad educationem attinent non falli, haud aliter quam ab ipso supremo fine non aberrare, ad quem quidem quaelibet educationis opera necessario dirigitur. Etenim, quoniam omnis educandi ratio ad eam spectat hominis

[1] Can. 595, § 1.
[2] *Gen.* II, 9.

[a] Valde opportunum erit adiungere quaedam de origine, essentia, fine, statu, iuribus et obligationibus vitae religiosae, de vocatione religiosa eiusque excellentia.



conformationem, quam is in hac mortali vita adipiscatur oportet, ut destinatum sibi a Creatore finem supremum contingat, liquido patet, ut nulla veri nominis educatio esse potest, quae ad finem ultimum non ordinetur tota.

*AAS* XXII (1930), 51.

## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

### 357

### De novitiatus interruptione

(Interpret. auth., diei 13 iulii 1930)

*Dubium:* An sub verbis *quacumque ex causa* canonis 556 § 1 comprehendatur etiam transitus in aliam novitiatus domum, de quo in § 4 eiusdem canonis.

*Resp.: Affirmative.*

*AAS* XXII (1930), 365.

## PIUS XI

### 358

### Laudes status religiosi

(Ex nuntio radiophonico *Qui arcano,* diei 12 februarii 1931)

Nunc vos alloquimur filii, et filiae praedilectionis Nostrae, qui quaeve charismata meliora aemulantes[1] atque in fide sanctissimorum votorum et in religiosa disciplina totius vitae nedum praeceptis sed et desideriis consiliisque divini Regis et Sponsi obsecundantes, Ecclesiam Dei virgineo odore fragrantem facitis, contemplationibus illustratis, orationibus fulcitis, scientia et doctrina ditatis, ministerio verbi et apostolatus operibus in dies percolitis et augetis. Igitur vere caelestis et angelicae vocationis participes,[2] quanto pretiosiorem thesaurum gestatis tanto diligentiorem adhibeatis custodiam, non solum ut certam vestram vocationem et electionem faciatis,[3] verum etiam ut in vobis, tamquam in servis apprime fidelibus et devotis, cor Regis et Sponsi consolationem et reparationem aliquam inveniat pro infinitis offensionibus et negligentiis quibus homines ineffabilem Eius dilectionem rependunt.

*AAS* XXIII (1931), 67.

[1] *I Cor.* XII, 31.
[2] *Hebr.* III, 1.
[3] *II Petr.* I, 10.

http://www.obrascatolicas.com/

## 359

### De Universitatibus et Facultatibus Studiorum ecclesiasticorum

(Const. ap. *Deus scientiarum Dominus*, diei 24 maii 1931)

Deus scientiarum Dominus, [1] cum Ecclesiae suae divinum commiserit mandatum docendi omnes gentes, [2] eam sine dubio magistram constituit divinae veritatis falli nesciam atque adeo praecipuam totius humanae doctrinae patronam atque altricem. Ecclesiae enim est sacra omnibus hominibus praecepta tradere, quae ipsamet a Dei Revelatione repetit atque deducit; quoniam autem fides et humana ratio non solum « inter se dissidere nunquam possunt », sed, perspecta eorum omnimoda concordia, « opem quoque sibi mutuam ferunt », nullo non tempore Ecclesia Christi sui officii esse duxit humanarum artium et disciplinarum culturam iuvare atque promovere; [3] quod sane bene multa ac luculentissima testantur litterarum monumenta. Etenim, post primam Ecclesiae aetatem, in qua Spiritus Sanctus ipse per se, charismatum suorum abundantia, eam christifidelibus doctrinam suppeditabat, quae in iis forte desideraretur, secundo post Christum natum saeculo praeclarae iam Smyrnae, Romae, Alexandriae, Edessae christianae sapientiae domicilia floruere. Quo saeculo exeunte atque vertente tertio, illustria illa Alexandriae, Caesareae, Antiochiae *didascaleia* exorta sunt, ex quibus suam hauserunt scientiam, ut praestantiores tantummodo nominemus, Clemens Alexandrinus, Origenes, S. Dionysius Magnus, Eusebius Caesariensis, S. Athanasius, Didymus Caecus, S. Basilius Magnus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyssenus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus. Qui Patres et Scriptores Ecclesiastici, una cum S. Ephraem, S. Hilario Pictaviensi, S. Ambrosio, S. Hieronymo, S. Augustino, aliisque illius aetatis fere innumeris Ecclesiae doctoribus et magistris, in civili hominum consortione, veluti scientiarum optimates ab omnibus habebantur. Exacta vero magnorum Patrum aetate, sollerti potissimum monachorum Episcoporumque opera, scholae non paucae conditae sunt, opitulantibus quidem iis qui rem publicam tunc temporis moderabantur. Ac sine dubio civilis omnium cultus et ecclesiastica

[1] *I Sam.* II, 3.
[2] *Mt* XXVIII, 19; *Mc* XVI, 15.
[3] Conc. Vat., Const. *De fide catholica*, cap. 4, in MANSI LIII, 167.



doctrina, hoc saeculorum intervallo, idem veluti unum efficiebant, quod e litterariis ludis, — prope cathedrales aedes atque coenobia constitutis — in commune bonum copiose profluebat.

In ea namque mediae aetatis parte, quae obscurissima dici solet, cum litteras ingenuasque artes novi barbarorum incursus permiscere ac submergere minitarentur, hae, ab omnibus derelictae ac misere pessumdatae, apud Catholicae Religionis templa atque monasteria, in unum scilicet, quod daretur, perfugium atque asylum, tuto se receperunt. Atque Concilia annis 826 et 853 Romae habita eam sanciebant legem, quasi lucem in tenebris, qua « in universis episcopiis, subiectisque plebibus, et aliis locis in quibus necessitas occurrisset, omnis cura et diligentia haberetur, ut magistri et doctores constituerentur, qui studia litterarum liberaliumque artium assidue docerent ».

Quod si Romana Ecclesia, hac procellosa aetate, prisca humani cultus documenta neutiquam tutata esset, haud dubie hominum genus eos in perpetuum litterarum thesauros amisisset, quos antiqua tradiderant tempora.

Studiorum autem Universitas, gloriosum illud mediae aetatis institutum, quod eo tempore « Studium » vel « Generale Studium » vocabatur, Ecclesiam habet iam inde ab initio liberalissimam matrem atque patronam. Etenim, si non omnes ab Ecclesia Catholica suum duxerunt exordium Universitates, nihilo setius exploratum omnino est fere omnia antiquitatis Athenaea Romanos Pontifices aut conditores, aut saltem habuisse fautores atque duces.

Qua de re, id certo omnibus admirationem movet quantum Apostolica haec Sedes ad sacrae profanaeque doctrinae profectum contulerit, etiamsi unum saeculum consideretur. In quinquaginta et duabus Universitatibus ante annum 1400 per litteras conditis, haud minus viginti novem per Romanos tantummodo Pontifices, ac decem praeterea per Imperatoris vel Principum documenta simulque per Apostolicas Constitutiones creatae fuere. Celeberrima autem Athenaea, quae, ut alia praetereamus, Bononiae, Parisiis, Oxoniae, Salmanticae, Tolosae, Romae, Patavii, Cantabrigae, Pisis, Perusii, Florentiae, Papiae, Olisipone, Senis, Gratianopoli, Pragae, Vindobonae, Coloniae, Heidelbergae, Lipsiae, Monte Pessulano, Ferrariae, Lovanii, Basileae, Cracoviae, Vilnae, Graecii, Vallisoleti, Mexici, Compluti, Manilae, Sanctae Fidei, Quiti, Limae, Guatimalae, Calari, Leopoli atque Varsaviae constitutae sunt, ab hac Almae Urbis Ecclesia principium vel certe incrementum ceperunt.

http://www.obrascatolicas.com/

Haud raro quidem rei publicae moderatores Ecclesiae regimini atque tutelae Universitates scholasque non paucas pedetentim subduxerunt, attamen Ecclesia, quamquam sua expers libertate omniumque rerum, quibus affluebat, copia, nihilominus, pro sibi insita natura, eiusmodi sapientiae veluti coenacula docendique instituta condere atque fovere nunquam destitit. Ob huiusmodi nempe munus, quod Ecclesia divinitus obtinet, Catholicae Religionis praecones omni prorsus ope contendunt ut prope ea, quae in barbaris regionibus construunt sacella, scholae etiam aperiantur; atque inibi non modo sacras, sed profanas quoque disciplinas pro viribus tradunt, itemque peculiaria scientiae civilisque cultus adiumenta invehunt, ad rudes illas gentes primis litterarum elementis agrorumque colendorum arte imbuendas. Quod si aliquando commenticiae cuiusdam progressionis iactatores, ad regiones illas penetrantes, quas Iesu Christi legati cruce et aratro nobilitarunt, conditas ibi scholas christianis principiis praeceptisque exuere enitentur, iidem infitiari haud poterunt Ecclesiam violatas a se litterarum sedes primum constituisse.

Neque solum in sacrarum Missionum regionibus hominum cultum promovet Ecclesia, sed etiam, immo impensius, in iis nationibus, in quibus plus semel ipsa beneficentiae suo patrimonio despoliata est. Videre igitur est eius opera prosperas studiorum Universitates nostro quoque tempore exoriri, ut ea quae Mediolani Sacro Iesu Cordi dicata est, ut Parisiensis, Insulensis, Andegavensis, Lugdunensis, Tolosana in Gallia, ut Noviomagensis in Hollandia, Lublinensis in Polonia, Berytensis in Syria, Vashingtoniensis in Foederatis Americae Civitatibus, Quebecensis, Marianopolitana, Octaviensis in Canadensi regione, S. Iacobi in Chilensi Republica, Sciangaiensis et Pekinensis in Sinis, Tokiensis in Iaponia, aliaeque non paucae.

Illud praeterea luculenter ostendit Ecclesiam hominum cultum atque doctrinam impense fovisse, quod magnam semper de bibliothecis condendis asservandisque curam habuit. A Caesariensi enim Bibliotheca ad Ambrosianam usque et Vaticanam quot manu scriptos codices, quot libros typis impressos haec sancta mater Ecclesia summa cum industria collegerit nemo sane enumerare poterit. Atque in comperto est prima iam christiani nominis aetate sacros pastores, ingruente periculo, bonorum suorum iacturam aequo animo passos esse, sed una cum sacrificalibus vasis scientiae volumina diligentissime servasse. Quapropter omni prorsus fundamento destituitur falsa



ea quorundam criminatio, Ecclesiam hominum mentibus ignorantiae caliginem offundere; quandoquidem Catholica Religio non insectatores metuit, qui eam martyrii gloria redimire possint, non haereses, quae suum sacrae doctrinae depositum accuratius illustrari iubeant, sed id unum timet: veritatis ignorationem; cum pro certo habeat adversarios, dummodo eius praeceptis atque rationibus, alieno a praeiudicatis opinionibus animo, diligenter studeant, minime eam esse malevola simultate prosecuturos, quemadmodum secundo iam saeculo de Christiani nominis osoribus Tertullianus asseverabat: « Desinunt odisse qui desinunt ignorare ». [1]

At si Decessores Nostri, vertentibus saeculis, neque curis pepercerunt neque laboribus, ut disciplinarum studia liberalesque artes alerentur quam maxime, utque omne genus magisteria multis locis instituerentur, peculiarem tamen voluntatem studiumque praecipuum in divinae doctrinae incrementum contulerunt quippe quae ad caussam sibi divinitus creditam potissimum conducat. [2] Iamvero Nos, gravissimi a Deo Nobis demandati muneris probe conscii, actuosissime ad sacras praesertim disciplinas animum adiecimus Nostrum, pro viribus contendentes, ut ecclesiasticae Universitates Facultatesque, sicut praecipua dignitate sua, ita etiam studiorum subtilitate scientiarumque splendore inter cetera omnia Athenaea in primis eniteant. Siquidem, vixdum ad supremi Pontificatus cathedram evecti, officii Nostri duximus eam apparere legem, qua altioris huiusmodi disciplinae Institutis, plus centum ubique gentium conditis, finis assequendus clarius proponeretur, docendi methodus accuratius praescriberetur, unius denique formae constitutio definiretur, minime tamen peculiaribus posthabitis rerum locorumque rationibus, ita quidem ut eadem praesentibus necessitatibus omnino respondere valeant.

Omne genus errores, nostris potissimum temporibus, sapientiae specie fucari solent, quo magis ab omnibus credantur, cum doctrinae lumen plurimum possit multorum animos allicere. Pernecesse igitur est eos christifideles, qui scientiarum pervestigationi aptiores se praebeant, ac potissimum delectos sacrorum alumnos, fusis ad Patrem luminum precibus [3] memoresque illius sententiae « in malevolam animam non introibit sapientia », [4] penitus in sacras disci-

[1] *Ad Nationes* I, 1, in ML I, 629.
[2] S. Thomas, *Summa Theol.*, I, q. 1, a. 5.
[3] *Iac.* 1, 17.
[4] *Sap.* I, 4.

http://www.obrascatolicas.com/

plinas et in eas, quae quomodocumque cum iisdem cohaereant, animum intendere atque ita id omne adipisci, ut possint, occasione data, catholicam veritatem rite docere et contra adversariorum incursus ac fallacias strenuissime tutari.

Equidem, pro Nostra parte pro Nostraque facultate, nihil Nobis reliqui faciemus, ut sacrae disciplinae, sicut olim in publicis studiorum Universitatibus primas ferebant, ita nunc quoque, potiorem locum teneant, cum id ditissimus postulet, quem impertiuntur, veritatis thesaurus, et salutaris ille impulsus, quem in catholica confirmanda fide, in errorum tenebris profligandis, in omnium moribus ad evangelica praecepta conformandis pro natura sua exercent. Ita enim auspicato continget, ut omnes homines, de tenebris in admirabile lumen fidei vocati,[1] ad agnitionem veritatis veniant,[2] et omnis intellectus, adiuvante Dei gratia, in captivitatem redigatur in obsequium Christi.[3]

Quibus Nos propositis rationibusque permoti, prope Sacram Seminariorum Studiorumque Universitatum Congregationem peculiare constitutum volumus Consilium ex viris rerum intellegentia et usu praestantibus, cui quidem incumberet rebus omnibus studere atque consulere, quae ad studiorum ecclesiasticorum Universitates et Facultates ordinandas perficiendasque pertinerent — missis interim quae postea cum de aliis institutionibus tum praesertim de Pontificia Romana a S. Thoma Aquinate Academia, quam peculiari prosequimur cura, magis magisque promovenda adiungere opportunum videbitur.

Quod quidem Consilium, post diuturnam diligentemque operam, adiutum sane a lectissimis variarum nationum doctoribus, laudabili omnino sollertia concreditum sibi munus, sub auspicio ac ductu Nostro, feliciter explevit. Quapropter Nos, optata Nostra tandem ad effectum adducentes, omnibus mature perpensis, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine has, quae sequuntur, leges et normas decernimus atque statuimus, easdemque ab omnibus, ad quos pertinent, observari iubemus.

[1] *I Petr.* II, 9.
[2] *I Tim.* II, 4.
[3] *II Cor.* X, 5.



## Titulus I
## Normae generales

### Art. 1

Universitates et Facultates studiorum ecclesiasticorum eae sunt, quae auctoritate Sanctae Sedis ad disciplinas sacras vel cum sacris conexas tradendas et excolendas instituuntur, cum iure conferendi gradus academicos.

### Art. 2

Universitatum et Facultatum studiorum ecclesiasticorum finis est: auditores disciplinis, quae sacrae vel cum sacris conexae sunt, secundum doctrinam catholicam altius instituere; eos ad fontium cognitionem, ad investigationis laborisque scientifici usum atque ad magisterium exercendum instruere; denique iisdem disciplinis excolendis provehendisque quam maxime consulere.

### Art. 3

§ 1. - Facultates studiorum ecclesiasticorum censentur: Theologicae, Iuridicae, Philosophicae, aliae denique omnes, quae ad finem, de quo in art. 2, a Sancta Sede instituantur.

§ 2. - Nomine Universitatum vel Facultatum comprehenduntur etiam haec Instituta a Sancta Sede in Urbe erecta:

Pontificium Institutum Biblicum, Pontificium Institutum Studiorum Orientalium, Pontificium Institutum Utriusque Iuris, Pontificium Institutum Archaeologiae Christianae, Pontificium Institutum Musicae Sacrae.

### Art. 4

Canonica erectio et suprema moderatio cuiusvis Universitatis et Facultatis studiorum ecclesiasticorum, in locis quoque et Institutis quae Sacris Congregationibus pro Ecclesia Orientali et de Propaganda Fide subiecta sunt, atque etiam Facultatum quae sunt pro Religiosis Familiis quibuslibet, reservantur Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

### Art. 5

Statuta una cum Ratione studiorum uniuscuiusque Universitatis vel Facultatis indigent approbatione Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.



http://www.obrascatolicas.com/

Art. 6

Solis Universitatibus vel Facultatibus canonice erectis et ad normam huius Constitutionis approbatis ius est conferendi gradus academicos qui effectus canonicos habeant, salvo praescripto art. 36, § 2.

Art. 7

§ 1. - Gradus academici tres sunt: Baccalaureatus, Licentia seu Prolytatus, Laurea seu Doctoratus.

§ 2. - Quaevis Facultas confert Licentiam et Lauream; liberum est singulis Facultatibus conferre etiam Baccalaureatum.

§ 3. - Gradus academici e disciplinis praecipuis Universitatum vel Facultatum, in quibus conferuntur, appellationem trahunt.

Art. 8

Baccalaureatus est gradus academicus ex quo cognoscitur eum qui hoc gradu donatur tale suae doctrinae specimen dedisse, ut idoneus censeatur ad curriculum persequendum pro gradibus academicis superioribus.

Art. 9

Licentia est gradus academicus ex quo cognoscitur eum qui hoc gradu donatur praestitutum studiorum curriculum absolvisse et tale suae doctrinae specimen dedisse, ut idoneus haberi possit ad docendum in scholis quae gradus academicos non conferunt.

Art. 10

§ 1. - Laurea est gradus academicus ex quo cognoscitur eum qui hoc gradu donatur tale suae doctrinae et peritiae specimen dedisse, ut idoneus haberi possit, salvo praescripto art. 21, ad docendum etiam in Universitate vel Facultate.

§ 2. - Laurea peculiaria iura confert, quae in can. 1378 C. I. C. recensentur.

§ 3. - Laurea in Re biblica, apud Pontificiam Commissionem Biblicam vel Pontificium Institutum Biblicum acquisita, eadem clericis parit iura eosdemque canonicos effectus ac Laurea in sacra Theologia.



Art. 11

Ad hanc Constitutionem accommodandae sunt etiam Facultates studiorum ecclesiasticorum in civilibus Universitatibus erectae, ratione habita Conventionum quae a Sancta Sede cum variis nationibus initae sunt et adhuc vigent.

Art. 12

Ad hanc Constitutionem rite exsequendam serventur Ordinationes Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

## Titulus II

### De personis et regimine

#### 1 - *Auctoritates Academicae. Officiales*

Art. 13

§ 1. - Universitatis vel Facultatis regimen exercent Auctoritates Academicae, quarum praecipuae sunt: Magnus Cancellarius, Rector Magnificus vel Praeses, Facultatum Decani.

§ 2. - Auctoritates Academicas in Universitate vel Facultate regenda et administranda adiuvant Officiales.

Art. 14

§ 1. - Universitati vel Facultati praeest Magnus Cancellarius, qui nomine Sanctae Sedis rebus omnibus, quae ad regimen ac studia pertinent invigilat.

§ 2. - Magnus Cancellarius est Praelatus Ordinarius a quo Universitas vel Facultas iure pendet, nisi Sancta Sedes expresse alium constituerit.

Art. 15

Universitas regitur a Rectore Magnifico, singulae eius Facultates a Decanis, Facultas vero quae una sit a Praeside. His autem Auctoritatibus, pro locorum consuetudine et singularum Universitatum vel Facultatum natura, ad res scientificas, disciplinares, oeconomicas administrandas unum vel plura adsunt Consilia.

http://www.obrascatolicas.com/

### Art. 16

Rector et Praeses a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus nominantur aut saltem, sicubi ex iure peculiari ad alios eorum nominatio pertineat, eiusdem Sacrae Congregationis confirmatione indigent.

### Art. 17

Universitatis vel Facultatis Statuta definiant: num, praeter Magnum Cancellarium, Rectorem Magnificum vel Praesidem, Facultatum Decanos, habeantur aliae Auctoritates; quomodo hae et praeterea quomodo Decani Facultatum, Consilia, Officiales constituantur et quamdiu munere fungantur; quae singulorum sint officia ac iura.

### Art. 18

Si Universitas vel Facultas cum clericorum Seminario vel Collegio coniuncta sit, Statuta clare et efficaciter provideant, ut illius rectio academica ab huius vita et disciplina rite distinguatur.

## 2 - *Professores*

### Art. 19

§ 1. - In unaquaque Universitate vel Facultate iustus sit Professorum numerus. Habeantur in primis Professores ordinarii, seu qui pleno ac firmo iure in Professorum Collegium sunt cooptati.

§ 2. - Praeter Professores ordinarios sint quoque extraordinarii, seu qui, etsi debitis dotibus ornati, nondum omni ac pleno iure gaudent.

§ 3. - Pro opportunitate etiam alii assumi possunt Professores, qui ad certum tempus munere fungantur tradendi aliquam disciplinam.

### Art. 20

Statuta Universitatis vel Facultatis decernant:

*a*) quot, saltem, pro numero et momento disciplinarum debeant esse Professores et quot ex iis ordinarii;

*b*) quot sint Professorum ordines et quae cuiusque ordinis officia et iura, ratione habita iustarum consuetudinum et traditionum;



*c*) a quibus, quomodo, quibus condicionibus Professores cuiusque ordinis nominentur ac promoveantur.

### Art. 21

Ut quis in Professorum Collegium legitime cooptetur, requiritur ut:

1° doctrinae copia et bonis moribus et prudentia praefulgeat;

2° Laurea congruenti praeditus sit;

3° certis documentis, praesertim libris vel dissertationibus scriptis, se ad docendum idoneum probaverit;

4° professionem Fidei emiserit secundum formulam a Sancta Sede approbatam, ad normam can. 1406 § 1, 8° C. I. C. et Decreti Supremae Sacrae Congregationis S. Officii d. d. 22 martii 1918;[a]

5° missionem canonicam docendi, post impetratum *Nihil obstat* Sanctae Sedis, a Magno Cancellario acceperit.

### Art. 22

Si quis Professor vel doctrinam catholicam laeserit vel a vitae integritate defecerit, pro gravitate culpae ad normam Statutorum puniatur et, si res ferat, missione canonica docendi a Magno Cancellario privetur.

## 3 - *Auditores*

### Art. 23

Auditores dividuntur in eos qui ad gradus academicos contendunt et eos qui ad gradus academicos non contendunt.

### Art. 24

Ut quis in Universitatem vel Facultatem ascribi possit, exhibeat oportet,

*si sit clericus:* litteras commendatitias Praelati sui Ordinarii, servatis ceteris praescriptionibus ecclesiasticis quae forte sint;

*si sit laicus:* competentis Auctoritatis ecclesiasticae litteras testimoniales de vita et moribus.

---

[a] N. 322

http://www.obrascatolicas.com/

Art. 25

Ut quis in Universitatem vel Facultatem ad gradus academicos adipiscendos ascribi possit, afferre debet, praeter ea quae in art. 24 praecipiuntur, authentica testimonia, ex quibus appareat eum:

1° curriculum medium studiorum classicorum rite absolvisse;

2° *a)* pro Facultate Theologica: studiis mediis classicis rite peractis, saltem per biennium universae Philosophiae scholasticae studuisse et praescripta examina superasse;

*b)* pro Pontificio Instituto Biblico: consecutum esse Licentiam in sacra Theologia;

*c) si sit clericus,* pro Facultate Iuris Canonici, Pontificio Instituto Studiorum Orientalium, Pontificio Instituto Utriusque Iuris, Pontificio Instituto Archaeologiae Christianae, Pontificio Instituto Musicae Sacrae: cursum philosophico-theologicum ad normam can. 1365 C. I. C. complevisse.

Art. 26

Nemo simul ascribi potest in plures Facultates ad gradus academicos in illis assequendos.

Art. 27

Ab una Universitate vel Facultate ad aliam transire licet, servatis Ordinationibus Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

Art. 28

Auditor qui aliqua ratione deliquerit, meritis poenis ad normam Statutorum puniatur et in casibus gravioribus ab Universitate vel Facultate excludatur.

## Titulus III

## De ratione studiorum

### 1 - *Methodus generalis docendi*

Art. 29

Methodus in singulis Universitatibus vel Facultatibus talis adhibeatur, sive in disciplinis seligendis et ordinandis sive in argumentis proponendis et explicandis, qualis requiritur ut auditorum mentes ad finem, iisdem Universitatibus vel Facultatibus propositum, cohaerenter excolantur.



*Nominatim:*

*a)* In *Facultate Theologica* principem locum teneat sacra Theologia. Haec autem disciplina methodo cum positiva tum scholastica tradenda est; ideo veritatibus fidei expositis et ex sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur.

*b)* In *Facultate Iuris Canonici* tam historia et textus legum ecclesiasticarum quam earundem ratio et nexus modo scientifico exponantur.

*c)* In *Facultate Philosophica* Philosophia scholastica tradatur, eaque ita ut auditores plena cohaerentique synthesi doctrinae ad methodum et principia S. Thomae Aquinatis instituantur. Ex hac autem doctrina diversa philosophorum systemata examinentur et diiudicentur.

*d)* In *Pontificio Instituto Biblico* disciplinae, quae ad sacram Scripturam utcumque illustrandam conducunt, ita tradantur, ut sacrarum Litterarum auctoritas cum humana tum divina vindicetur, atque sensus verbi divinitus inspirati ad mentem Ecclesiae indagetur et explicetur.

*e)* In *Pontificio Instituto Studiorum Orientalium* disciplinae, quae ad intellegendas condiciones religiosas totius vicini Orientis conducunt, ita ex ipsis fontibus illustrentur, ut auditores etiam non catholici plenam veritatem de unius Catholicae Ecclesiae missione divina percipiant.

*f)* In *Pontificio Instituto Utriusque Iuris,* fontibus investigatis, iuridico apparatu adhibito atque legibus inter se collatis, sive in Iure canonico sive in Iure civili, cum romano tum vigenti, solida tradatur institutio.

*g)* In *Pontificio Instituto Archaeologiae Christianae* ita in antiqua monumenta christiana studio historico critico inquiratur, ut auditores ad doctrinam, instituta, vitam pristinae Ecclesiae per tutam certioremque illorum monumentorum interpretationem illustranda idonei efficiantur.

*h)* In *Pontificio Instituto Musicae Sacrae* disciplinae methodo historico-critica et theoretico-practica ita tradantur, ut auditores, secundum normas Motu Proprio Pii Pp. X *De Musica Sacra* d. d. 22 novembris 1903,[a] et Constitutione Pii Pp. XI *Divini Cultus Sancti-*

[a] N. 245.

http://www.obrascatolicas.com/

*tatem* d. d. 20 decembris 1928 [a] editas, historia, scientia, peritia sive cantus gregoriani sive compositionis sacrorum concentuum sive organi pulsandi, in usum maxime et decus sacrae Liturgiae, instituantur.

Art. 30

§ 1. - In singulis Facultatibus, praeter lectiones, fiant exercitationes, quibus auditores scientificam investigandi methodum et artem proponendi etiam scriptis ea quae studio assecuti sint, sub Professorum ductu addiscant.

§ 2. - In Facultate Theologica et Philosophica habeantur disputationes scholasticae, quibus auditores doctrinam penitus cognoscere, dilucide exponere, efficaciter tueri assuescant.

2 - *Studiorum curriculum*

Art. 31

Studiorum curriculum absolvitur:

*a*) in Facultate Theologica annis quinque;

*b*) in Facultate Iuris Canonici annis tribus;

*c*) in Facultate Philosophica annis quatuor;

*d*) in Pontificio Instituto Biblico annis tribus;

*e*) in Pontificio Instituto Studiorum Orientalium annis tribus;

*f*) in Pontificio Instituto Utriusque Iuris annis quatuor;

*g*) in Pontificio Instituto Archaeologiae Christianae annis tribus;

*h*) in Pontificii Instituti Musicae Sacrae *sectione* Cantus gregoriani annis tribus, *sectione* Compositionis sacrorum concentuum annis quinque, *sectione* Organi annis quatuor.

Art. 32

Statuta Universitatis vel Facultatis decernant quae ratio habenda sit graduum academicorum qui in aliis disciplinis acquisiti sint, atque studiorum alibi, praesertim in clericorum Seminariis vel Collegiis, peractorum ad curriculum opportune contrahendum, spectatis Ordinationibus Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

[a] N. 353.



3 - *Disciplinae tradendae et examina*

Art. 33

§ 1. - Disciplinae dividuntur in:

*principales*, quae essentialiter requiruntur ad finem Facultatis assequendum;

*auxiliares*, quae ad principales bene tractandas necessariae sunt;

*speciales*, quae disciplinas, sive principales sive auxiliares, complent quodammodo atque perficiunt.

§ 2. - In singulis Facultatibus, pro suis cuiusque peculiaribus traditionibus et pro locorum rationibus, praeter disciplinas principales et auxiliares, etiam aliquot ex specialibus tradantur vel peculiares cursus de quaestionibus maioris momenti ex disciplinis sive principalibus sive auxiliaribus instituantur. Quae speciales disciplinae vel peculiares cursus apte in sectiones distribui possunt.

§ 3. - Auditoribus ad gradus academicos contendentibus praescribuntur omnes disciplinae principales et auxiliares ac praeterea una alterave ex specialibus aut aliquot cursus peculiares, ad normam Statutorum Universitatis vel Facultatis.

Art. 34

Ad validitatem graduum academicorum examina subeunda sunt de omnibus et singulis disciplinis ad normam art. 33, § 3 praescriptis.

## Titulus IV

### De collatione graduum academicorum

Art. 35

Gradus academici in Universitatibus vel Facultatibus studiorum ecclesiasticorum nomine Summi Pontificis regnantis et, Sede vacante, nomine Sanctae Sedis conferuntur.

Art. 36

§ 1. - Gradus academici ab Academiis vel Collegiis vel Institutis cuiuscumque generis quae scholas proprias non habent, conferri nequeunt, salvo praescripto § 2.

http://www.obrascatolicas.com/

§ 2. - Pontificia Commissio de Re Biblica, ex Litteris Apostolicis Pii Pp. X *Scripturae Sanctae* d. d. 23 februarii 1904, [a] Licentiam et Lauream in Re biblica conferre potest, ad normam tamen, congrua congruis referendo, praescriptorum art. 24, 25 1°, 2° *b*), 26, 38, 39, 40, 43 *d*), 44, 45 *d*), 46, 52.

### Art. 37

Firmis praescriptis art. 24, 25, 26, 32, 36, ut quis ad gradus academicos consequendos admitti possit, necesse est scholas de omnibus disciplinis, ad normam art. 33 § 3 praescriptis, rite frequentaverit in Facultate canonice erecta et approbata.

### Art. 38

Qui gradibus academicis donandi sunt professionem fidei emittant secundum formulam a Sancta Sede approbatam, ad normam can. 1406 § 1, 8° C. I. C. et Decreti Supremae Sacrae Congregationis S. Officii d. d. 22 martii 1918. [b]

### Art. 39

Nemo Laurea donetur, nisi Licentiam antea consecutus sit.

### Art. 40

Universitates vel Facultates Lauream *ad honorem* conferre nequeunt, nisi ex peculiari concessione singulis in casibus a Sancta Sede impetranda.

## 1 - *Baccalaureatus*

### Art. 41

Baccalaureatus conferri non potest:
*a*) in sacra Theologia ante expletum annum secundum ab incepto studiorum curriculo;
*b*) in Iure canonico ante expletum annum primum;
*c*) in Philosophia ante expletum annum secundum;
*d*) in Re biblica ante expletum annum primum;
*e*) in Studiis orientalibus ante expletum annum primum;
*f*) in utroque Iure ante expletum annum secundum;

[a] *ASS* XXXVI (1903-1904), 530-532.
[b] N. 322.



*g*) in Archaeologia christiana ante expletum annum primum;
*h*) in Cantu gregoriano ante expletum annum primum, in Compositione sacrorum concentuum ante expletum annum tertium, in Organo ante expletum annum secundum.

### Art. 42

Firmo praescripto art. 37, qui ad Baccalaureatum contendit, talibus examinibus de disciplinis superiore tempore traditis subiciatur, ut liqueat num ad curriculum persequendum ad normam art. 8 idoneus sit.

## 2 - *Licentia*

### Art. 43

Licentia conferri non potest:
*a*) in sacra Theologia ante expletum annum quartum ab incepto studiorum curriculo;
*b*) in Iure canonico ante expletum annum secundum;
*c*) in Philosophia ante expletum annum tertium;
*d*) in Re biblica ante expletum annum secundum;
*e*) in Studiis orientalibus ante expletum annum secundum;
*f*) in utroque Iure ante expletum annum tertium;
*g*) in Archaeologia christiana ante expletum annum secundum;
*h*) in Cantu gregoriano ante expletum annum secundum, in Compositione sacrorum concentuum ante expletum annum quartum, in Organo ante expletum annum tertium.

### Art. 44

Firmo praescripto art. 37, qui ad Licentiam contendit, subiciatur examini peculiari, ex quo appareat eum sibi comparasse doctrinam ad normam art. 9.

## 3 - *Laurea*

### Art. 45

Laurea conferri non potest:
*a*) in sacra Theologia ante expletum annum quintum ab incepto studiorum curriculo;
*b*) in Iure canonico ante expletum annum tertium;
*c*) in Philosophia ante expletum annum quartum;
*d*) in Re biblica ante expletum biennium post Licentiam;

http://www.obrascatolicas.com/

*e*) in Studiis orientalibus ante expletum annum tertium;
*f*) in utroque Iure ante expletum annum quartum;
*g*) in Archaeologia christiana ante expletum annum tertium;
*h*) in Cantu gregoriano ante expletum annum tertium, in Compositione sacrorum concentuum ante expletum annum quintum, in Organo ante expletum annum quartum.

Art. 46

§ 1. - Candidatus, omnibus praemittendis examinibus superatis et opera exercitationibus ad normam Statutorum Universitatis vel Facultatis data, ut Lauream assequi possit, debet praeterea:

1° exhibere dissertationem scriptam, quae eum investigationibus scientificis aptum esse demonstret et ad scientiae profectum conducat quaeque saltem ex parte, secundum Statuta Universitatis vel Facultatis, typis edatur;

2° hanc ipsam dissertationem coram Auctoritatibus Academicis et Professoribus Universitatis vel Facultatis palam defendere.

§ 2. - Universitas vel Facultas, praeter dissertationem et dissertationis defensionem, aliquod aliud statuat experimentum a candidato coram dandum.

## Titulus V

### De rebus didacticis et oeconomicis

1 - *Aedificium*

Art. 47

Quaevis Universitas vel Facultas auditoria habeat non solum scholis et exercitationibus unice destinata, sed etiam, tam amplitudine quam numero, disciplinis tradendis atque auditorum frequentiae respondentia.

2 - *Bibliotheca et adiumenta scientifica*

Art. 48

In unaquaque Universitate vel Facultate bibliotheca adsit ad Professorum auditorumque usum accommodata, in ordinem redacta, opportunis catalogis instructa, quae Universitatis vel Facultatis disciplinis tam tradendis quam discendis atque exercitationibus servire possit.



Art. 49

Universitas vel Facultas, pro peculiari suo fine, institutis et laboratoriis scientificis ac rebus omnibus quae pro scholis requiruntur praedita sit.

3 - *Professorum et Officialium honoraria atque auditorum tributa*

Art. 50

§ 1. - Professoribus honoraria pendantur vitae honeste, pro amplissimi muneris dignitate, sustentandae et sui status necessitatibus consentanea.

§ 2. - Officialibus digna remuneratio concedatur.

Art. 51

Omnibus qui Universitati vel Facultati stabiliter servierint, cum a munere, iusta de causa, cessaverint, honoraria emerita ita statuantur, ut vitam decenter agere possint.

Art. 52

Statuta Universitatis vel Facultatis decernant quid auditores pro admissione, ascriptione annua, examinibus, diplomate persolvere debeant.

## Titulus VI

### Normae transitoriae

Art. 53

Universa haec Constitutio valere incipiet a primo die anni academici 1932-1933; articuli vero 4, 35 36, 38, 39, 40 a primo die anni academici 1931-32.

Art. 54

Studia et examina, quae in Universitatibus vel Facultatibus ad gradus academicos consequendos ante annum academicum 1932-1933 secundum leges usque adhuc vigentes facta sint, valida habentur. Reliqua vero studia et examina a primo die anni academici 1932-1933, etiam auditoribus qui curriculum iam antea inceperint, facienda sunt ad normam huius Constitutionis et Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus Ordinationum.

http://www.obrascatolicas.com/

Art. 55

Facultates Theologicae canonice erectae pro iis qui, curriculo philosophico-theologico ad normam can. 1365, C. I. C. expleto, aliquas disciplinas theologicas altius pleniusque excolere intendunt, manere permittuntur, donec Sanctae Sedi aliud visum fuerit; interim tamen Statuta sua, quantum salvo peculiari earum fine fieri potest, ad hanc Constitutionem et Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus Ordinationes accommodare debent.

Art. 56

Omnes Universitates vel Facultates studiorum ecclesiasticorum a Sancta Sede iam erectae et approbatae, comprehensis his de quibus in art. 55, Statuta sua, ad hanc Constitutionem et Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus Ordinationes accommodata, ante diem trigesimum mensis iunii anni 1932 eidem Sacrae Congregationi exhibere debent, simul cum relatione de vita academica et oeconomica superioris triennii.

Art. 57

Si qua Universitas vel Facultas praescripto art. 56 non obtemperaverit, ius vel privilegium gradus academicos conferendi ipso facto amittet.

Art. 58

Vigentes in praesenti contra hanc Constitutionem leges vel consuetudines, sive universales sive particulares, etiam specialissima et individua mentione dignae, abrogantur. Item privilegia a Sancta Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, quae eiusdem Constitutionis praescriptis contraria sint, omnino revocantur.

Volumus denique ut praesentium Litterarum exemplis etiam impressis, sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel in officio constituti munitis et nomine alicuius notarii publici subscripto, eadem prorsus adhibeatur fides, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent.

Quae autem per hanc Nostram Constitutionem statuimus, decrevimus, ediximus, mandavimus, rata omnia et firma consistere ac permanere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

*AAS* XXIII (1931), 241-262; *Sylloge*, n. 158; *Enchir. Cler.* 935.



## SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

### 360

**Ordinationes ad constitutionem apostolicam « Deus scientiarum Dominus » de Universitatibus et Facultatibus Studiorum ecclesiasticorum rite exsequendam.**

(Datae die 12 iunii 1931)

Sacra Congregatio Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposita, ad normam art. 12 Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus* d. 24 maii anno 1931 datae,[a] Ordinationes quae sequuntur Universitatibus et Facultatibus studiorum ecclesiasticorum tradit easdemque religiose servandas praescribit.

### Titulus I

**Normae generales**

(*Const. Apost.*, art. 1-12)

Art. 1

Cum a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus petitur ut Universitas vel Facultas canonice erigatur cum iure conferendi gradus academicos:

1° ostendatur ob locorum et temporis rationes opportunum esse novam Universitatem vel Facultatem erigi et spem certam fore, ut erigenda Universitas vel Facultas veram afferat utilitatem;

2° demonstretur haberi posse omnia quae requiruntur, ut Universitas vel Facultas vita scientifica floreat:

*a*) iustum Professorum numerum ad normam art. 19 Constitutionis Apostolicae;

*b*) auditoria, bibliothecam, suppellectilem, sicut in art. 47-49 Constitutionis Apostolicae et in art. 44-46 harum Ordinationum praescribitur;

*c*) pecuniae summam quae necessitatibus Universitatis vel Facultatis sufficiat;

[a] N. 359.

http://www.obrascatolicas.com/

3° exhibeantur:

*a*) *Statuta* cum *Ratione Studiorum* Constitutioni Apostolicae et his Ordinationibus congruentia;

*b*) aedium descriptio;

*c*) accepti et expensi annui accurata propositio.

Art. 2

Sacra Congregatio ius conferendi gradus academicos non ante concedet, quam ea quae requiruntur ad effectum perducta sint; neque ius illud in modum stabilem confirmabit, nisi nova Universitas vel Facultas vitae suae academicae Constitutioni Apostolicae et his Ordinationibus congruentis per aliquot annos experimentum dederit.

Art. 3

Ad Statuta conficienda ante oculos habeantur Normae quae *Appendice II*, his Ordinationibus adiuncta, continentur.

Art. 4

Singulae Universitates vel Facultates canonice erectae et approbatae tertio quoque anno ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus relationem de statu suo tam academico quam oeconomico, secundum Normas his Ordinationibus *Appendice III* adiunctas, mittere debent.

## Titulus II

### De personis et regimine

(*Const. Apost.*, art. 13-28)

#### 1 - *Auctoritates Academicae, Officiales*

(*Const. Apost.*, art. 13-18)

Art. 5

*Magnus Cancellarius:*

1° doctrinae orthodoxiam tutatur;

2° providet ut praescripta Sanctae Sedis fideliter observentur;

3° Sacrae Congregationi de Seminariis et Studiorum Universitatibus nomina proponit eorum qui ad Rectoris vel Praesidis officium exercendum apti habeantur, aut ab eadem confirmationem petit eius qui Rector vel Praeses ad normam art. 16 Constitutionis Apostolicae ab aliis nominatus sit;



4° professionem fidei Rectoris vel Praesidis, secundum formulam a Sancta Sede approbatam, ad normam can. 1406, § 1, 8° C. I. C. et Decreti Supremae Sacrae Congregationis S. Officii d. d. 22 martii 1918, [a] accipit;

5° Professoribus legitime nominatis missionem canonicam confert eosdemque hac missione ad normam art. 22 Constitutionis Apostolicae privare potest;

6° examinibus ad Lauream consequendam, de quibus in art. 46, § 1, 2° et § 2 Constitutionis Apostolicae, de iure praesidet;

7° documentis authenticis Licentiae et Laureae primo loco subscribit vel suo nomine ab alio subscribendum curat;

8° Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus de rebus gravioribus, quae ad Universitatem vel Facultatem pertinent, certiorem facit, eique tertio quoque anno accuratam relationem, de qua in art. 4 harum Ordinationum, exhibet.

Art. 6

*Rector* vel *Praeses:*

1° exsequitur praescripta Sanctae Sedis et Statuta Universitatis vel Facultatis;

2° accipit professionem fidei secundum formulam a Sancta Sede approbatam omnium Professorum Universitatis vel Facultatis, ad normam can. 1406, § 1, n. 8° C. I. C. et Decreti Supremae Sacrae Congregationis S. Officii d. d. 22 martii 1918, itemque eorum qui, examine superato, academicis gradibus donandi sunt;

3° curat ut Professores in docendo Rationem Studiorum rite approbatam accurate sequantur;

4° convocat Universitatis vel Facultatis Consilia, eisque praesidet;

5° auditores ad Universitatem vel Facultatem admittit, eorum studiis et moribus prospicit eosque, si quid culpae commiserint, meritis poenis ad normam art. 28 Constitutionis Apostolicae plectit;

6° examinibus, ad normam art. 42 et 44 Constitutionis Apostolicae subeundis, si intersit, praesidet;

7° documentis authenticis Baccalaureatus primo loco et ceterorum graduum academicorum secundo loco subscribit;

8° ad Magnum Concellarium de studiis, disciplina, rebus pecuniariis refert;

[a] N. 322.



http://www.obrascatolicas.com/

9° quotannis ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus summaria ad rem *statisticam* pertinentia, secundum schemata ab eadem Sacra Congregatione redigenda, mittit.

Art. 7

*Facultatis Decanus:*

1° vigilanter custodit doctrinam in propria Facultate tradendam;

2° praeest conventibus Facultatis, nisi ipse Rector intersit;

3° refert ad Rectorem quae a Facultate proponuntur;

4° quae ab Auctoritatibus superioribus statuuntur, in Facultate exsequenda curat;

5° de iure praeest examinibus de quibus in art. 34 Constitutionis Apostolicae, salvis art. 5, 6° et art. 6, 6° harum Ordinationum.

Art. 8

*Officiales* pro muneris sui gravitate in maiores et minores dividuntur.

Art. 9

Rector Magnificus, Praeses, Decani in rebus, quae maioris momenti sunt, sua cuiusque Consilia interrogare debent.

2 - *Professores*

(*Const. Apost.*, art. 19-22)

Art. 10

Qui praesunt Universitati vel Facultati caveant, ne cui Professori munus concredant tradendi disciplinas inter se dispares, neve quemquam numero scholarum ita onerent, ut a debita earum praeparatione et a labore scientifico prohibeatur.

Art. 11

Professoribus non licet onera vel officia obire, quibus a munere docendi rite implendo impediantur.



3 - *Auditores*

(*Const. Apost.*, art. 23-28)

Art. 12

Universitatis vel Facultatis auditores, qui quacumque de causa ad gradus academicos non contendunt, admitti possunt sive ad omnes scholas frequentandas sive ad aliquas tantum, quas sibi elegerint, firmo tamen praescripto art. 24 Constitutionis Apostolicae.

Art. 13

Curriculum medium studiorum classicorum, de quo in art. 25, 1° Constitutionis Apostolicae, praeter convenientem institutionem religiosam et linguas litterasque latinas, graecas, patrias, quae disciplinae praecipuae sunt, complecti debet etiam Historiam naturalem, Mathesim, Physicam, Chimiam, Geographiam, Historiam civilem, et quidem tantum quantum in eo qui ad studia academica accedit requiri solet, secundum normas Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

Art. 14

Curriculum medium studiorum classicorum rite peractum esse documentis authenticis Auctoritatis ecclesiasticae vel civilis probari debet, firmo iure Universitatis vel Facultatis imponendi examen, quandocumque documenta allata non sufficere censeantur.

Art. 15

Si quis alumnus e schola media sive civili sive ecclesiastica venerit, in qua una vel plures disciplinae, de quibus in art. 13, omnino non sint aut saltem non satis sint traditae, earum studium supplere atque in examine satisfacere debet, secundum Statuta Universitatis vel Facultatis.

Art. 16

§ 1. - Biennium Philosophiae scholasticae, quod ex art. 25, 2° *a*) Constitutionis Apostolicae prorsus requiritur ut quis in Facultate Theologica gradus academicos appetere possit, complectitur studium Logicae, Cosmologiae, Psychologiae, Criticae seu Criteriologiae, Ontologiae, Theologiae naturalis, Ethicae et Iuris naturalis, Historiae philosophiae.

http://www.obrascatolicas.com/

§ 2. - Biennium, de quo in § 1, rite absolvi debet, curriculo medio studiorum classicorum confecto, in Facultate Philosophica vel in aliqua schola superiore ad Philosophiam scholasticam docendam destinata et ab Auctoritate ecclesiastica ad hoc approbata.

§ 3. - Qui legitimis documentis probaverit se cursum Philosophiae scholasticae aliter ac in § 2 praescribitur absolvisse, in Facultatem Theologicam ascribi non potest, nisi in illius disciplinae studium saltem per annum in Facultate Philosophica vel in schola, de qua in eadem § 2, incubuerit et in examine de omnibus Philosophiae scholasticae partibus satisfecerit.

Art. 17

§ 1. - Ab una Universitate vel Facultate ad aliam transire licet etiam ad eadem studia continuanda, ea tamen condicione ut nemo ad Licentiam admittatur, quin tempore curriculi peracti omnes disciplinas ad normam art. 33, § 3 Constitutionis Apostolicae praescriptas rite absolverit.

§ 2. - Transitus, de quo in § 1, fieri potest tantum initio anni academici aut, ubi annus academicus in semestria dividitur, initio singulorum semestrium; ne fiat tamen nisi iusta de causa.

§ 3. - Firmis praescriptis § 1 et § 2, Universitatibus vel Facultatibus ius est iis qui ab aliis ad se transierint rationem et ordinem studiorum statuendi.

## Titulus III

### De ratione studiorum

(*Const. Apost.*, art. 29-34)

#### 1 - *Methodus generalis docendi*

(*Const. Apost.*, art. 29-30)

Art. 18

§ 1. - Quae in art. 29 *a*) et *c*) Constitutionis Apostolicae de institutione ad Angelici Doctoris rationem, principia, doctrinam statuuntur sancte serventur, ad normam Litterarum Encyclicarum Leonis Pp. XIII *Aeterni Patris* d. d. 4 augusti 1879 [a] et Pii Pp. XI *Studiorum Ducem* d. d. 29 iunii 1923. [b]

[a] N. 224.
[b] N. 346.



§ 2. - In parte disciplinarum *positiva* auditores ita instituantur, ut non solum ipsam doctrinam probe addiscant, sed etiam fontes singulis disciplinis proprios legesque eosdem interpretandi cognoscant atque laboris scientifici subsidia et adiumenta cum fructu adhibere assuescant.

§ 3. - In quaestionibus *speculativis* sive Theologiae sive Philosophiae adhibeatur methodus quam scholasticam vocant, non neglecta, tam in proponendis argumentis quam in afferendis, disputandis, solvendis difficultatibus, forma *syllogistica*. Hac autem methodo auditorum mentes ita excolantur, ut apti paratique efficiantur non solum ad falsa systemata erroresque antehac exortos diiudicandos et refutandos, sed etiam ad discernendas et ex veritate aestimandas sententias novas quae forte in disciplinis theologicis vel philosophicis exoriantur.

Art. 19

Disciplinarum principalium, quae Universitatis vel Facultatis veluti summam constituunt, gravitas et excellentia etiam ex numero lectionum et professorum eluceant.

Art. 20

In Facultate Theologica, Iuris Canonici, Philosophica disciplinae principales totae tradendae sunt in scholis.

Art. 21

Sacra Scriptura, Theologia dogmatica, Theologia moralis, Philosophia scholastica, Codex iuris canonici et Ius romanum tradantur lingua latina. Professores autem operam dent ut auditores vim locutionum *technicarum* plene et accurate intellegant.

Art. 22

In exercitationibus, de quibus in art. 30, § 1 Constitutionis Apostolicae, professoris est principia methodica propriae scientiae exponere, nisi id in cursu peculiari fiat, et eorundem rectae applicationi invigilare, ita ut singuli discipuli ad legendos et interpretandos fontes, ad tractandas et diiudicandas quaestiones peculiares et praesertim ad scribendum, etiam in lingua vernacula, de selectis scientiae argumentis instituantur.

http://www.obrascatolicas.com/

### Art. 23

Exercitationes initium sumere debent: in Facultate Theologica et Philosophica saltem a *tertio* curriculi anno, in Facultate Iuris Canonici saltem a *secundo,* in Pontificio Instituto Utriusque Iuris a *secundo,* in Pontificio Instituto Biblico, in Pontificio Instituto Studiorum Orientalium, in Pontificio Instituto Archaeologiae Christianae, in Pontificio Instituto Musicae Sacrae iam inde ab anno *primo.*

### Art. 24

In disputationibus scholasticis, de quibus in art. 30, § 2, Constitutionis Apostolicae, aliquis ex auditoribus thesim a Professore indicatam, eodemque vel alio Professore moderante, exponet, demonstrabit atque vindicabit a difficultatibus, quas condiscipuli antea designati, et post hos, pro opportunitate, etiam alii opposuerint.

### Art. 25

Ultimo curriculi anno scholae paucae sint; exercitationes autem continuentur quidem, ita tamen ut amplum temporis spatium dissertationi pro Laurea praeparandae relinquatur.

## 2 - *Studiorum curriculum*

(*Const. Apost.* art. 31-32)

### Art. 26

Ut studiorum curriculum ad normam art. 32 Constitutionis Apostolicae contrahatur, haec quae sequuntur in primis serventur:

1° *In Facultate Theologica:*

qui, studiis mediis classicis rite peractis, Philosophiae scholasticae per biennium operam dederint ad normam art. 16 harum Ordinationum et deinde quadriennium theologicum ad normam can. 1365 C. I. C. rite absolverint, ad quartum curriculi annum, praemisso examine, admitti possunt.

2° *In Facultate Iuris Canonici:*

*a*) qui quadriennium theologicum in aliqua Facultate Theologica canonice erecta et approbata rite peregerint, admitti possunt, nullo facto examine, in primum curriculi annum;

*b*) qui quadriennium theologicum extra Facultatem Theologicam rite absolverint, ut in Facultatem Iuris Canonici ascribi possint, superare debent examen de Institutionibus iuris canonici;



*c*) qui quadriennium theologicum, de quo sub litt. *a*) et *b*), non peregerint, in Facultatem Iuris Canonici ascribi non possunt, nisi in examine de principiis Philosophiae moralis, Iuris naturalis, Theologiae fundamentalis ac de Institutionibus iuris canonici rite satisfecerint;

*d*) qui lauream in Iure civili consecuti fuerint, curriculum Facultatis Iuris Canonici biennio conficere possunt, firma pro laicis obligatione examinis praescripti sub litt. *c*).

3° *In Facultate Philosophica:*

*a*) qui, studiis mediis classicis rite peractis, biennium philosophicum absolverint in schola superiore Philisophiae scholasticae, ab Auctoritate ecclesiastica ad hoc approbata, cui tamen non sit ius conferendi gradus academicos, recipi possunt, facto examine, in tertium annum Facultatis Philosophicae;

*b*) qui cursum Philosophiae scholasticae extra scholam, de qua sub litt. *a*), peregerint, curriculum Facultatis Philosophicae triennio conficere possunt.

## 3 - *Disciplinae tradendae et examina*

(*Const. Apost.,* art. 33-34)

### Art. 27

Disciplinae principales et auxiliares ab omnibus Universitatibus et Facultatibus tradendae hic subiciuntur, facta singulis Universitatibus et Facultatibus potestate aliquot alias disciplinas omnibus auditoribus praescribendi.

Pro Facultate Theologica, Iuris Canonici, Philosophica in *Appendice I,* his Ordinationibus adiuncta, recensentur, in modum exempli, complures disciplinae speciales et cursus peculiares atque indicantur aliquot eorum sectiones ad normam art. 33, § 2, Constitutionis Apostolicae.

### I - Facultas theologica

1 - *Disciplinae principales:*

*a*) Theologia fundamentalis;

*b*) Theologia dogmatica;

*c*) Theologia moralis;

*d*) Scriptura sacra (i. e. Introductio et Exegesis Veteris et Novi Testamenti);

http://www.obrascatolicas.com/

*e*) Historia ecclesiastica, Patrologia, Archaeologia christiana;
*f*) Institutiones iuris canonici.

2 - *Disciplinae auxiliares:*
*a*) Lingua hebraica et graeco-biblica;
*b*) Institutiones systematico-historicae Liturgiae;
*c*) Ascetica;
*d*) Quaestiones theologicae ad Orientales maxime spectantes.

3 - *Disciplinarum specialium* et *cursuum peculiarium* exempla vid. in *App. I, n. 1.*

## II - Facultas Iuris Canonici

1 - *Disciplinae principales:*
*a*) Introductio in scientias iuridicas (Ius naturale, Philosophia iuris);
*b*) Normae Generales - *Liber I Codicis I. C.;*
*c*) De Personis - *Liber II Codicis I. C.;*
*d*) De Rebus - *Liber III Codicis I. C.;*
*e*) De Processibus - *Liber IV Codicis I. C.;*
*f*) De Delictis et Poenis - *Liber V Codicis I. C.;*
*g*) Ius publicum ecclesiasticum.

2 - *Disciplinae auxiliares:*
*a*) Institutiones iuris romani;
*b*) Ius concordatarium (*ubi viget Concordatum*);
*c*) Elementa iuris civilis vigentis;
*d*) Historia iuris canonici (fontes, instituta, scientia).

3 - *Disciplinarum specialium* et *cursuum peculiarium* exempla vid. in *App. I, n. 2.*

## III - Facultas philosophica

1 - *Disciplinae principales:*
*a*) Philosophia scholastica, exponenda secundum omnes suas partes (Logica, Cosmologia, Psychologia, Critica seu Criteriologia, Ontologia, Theologia naturalis, Ethica et Ius naturale), praemissa Introductione generali;
*b*) Historia philosophiae.

2 - *Disciplinae auxiliares:*
*a*) Psychologia experimentalis;



*b*) Quaestiones scientificae cum Philosophia coniunctae ex
Biologia,
Anthropologia,
Mathesi,
Physica,
Chimia;
*c*) Interpretatio textuum selectorum ex Aristotele et S. Thoma Aquinate.

3 - *Disciplinarum specialium* et *cursuum peculiarium* exempla vid. in *App. I, n. 3.*

## IV - Pontificium Institutum Biblicum

1 - *Disciplinae principales:*
*a*) Quaestiones graviores Introductionis generalis et specialis in sacram Scripturam;
*b*) Exegesis pericoparum selectarum ex sacris Litteris;
*c*) Theologia biblica;
*d*) Cursus altiores de linguis biblicis (hebraica, aramaica, graeco-hellenistica);
*e*) Lingua aliqua orientalis (praeter hebraicam et aramaicam). Linguae autem inter quas selectio fieri potest, in primis sunt hae: syriaca, accadica et sumerica, arabica, aegyptiaca antiqua.

2 - *Disciplinae auxiliares:*
*a*) Historia biblica;
*b*) Geographia biblica;
*c*) Archaeologia biblica.

3 - *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

## V - Pontificium Institutum Studiorum Orientalium

1 - *Disciplinae principales:*
*a*) Theologia fundamentalis et dogmatica cum doctrinis Orientalium dissidentium comparata;
*b*) Patrologia orientalis;
*c*) Liturgiae orientales;
*d*) Historia ecclesiastica orientalium;
*e*) Ius canonicum orientale.

http://www.obrascatolicas.com/

2 - *Disciplinae auxiliares:*

*a*) Introductio in studia orientalia christiana;

*b*) Archaeologia Orientis christiani;

*c*) Una ex his linguis: aethiopica, arabica, armena, coptica, georgiana, graeca antiqua et recentior, palaeoslavica, rumena, russica, syriaca, turcica.

3 - *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

## VI - Pontificium Institutum Utriusque Iuris

Praeter disciplinas Facultatis Iuris Canonici proprias:

1 - *Disciplinae auxiliares:*

*a*) Ius romanum;

*b*) Ius publicum internum comparatum;

*c*) Ius poenale comparatum;

*d*) Ius processuale comparatum;

*e*) Ius privatum comparatum;

*f*) Ius internationale.

2 - *Disciplinae auxiliares:*

*a*) Oeconomia socialis;

*b*) Notiones statisticae;

*c*) Medicina legalis;

*d*) Historia iuris romani;

*e*) Historia iuris civilis, praesertim iuris communis.

3 - *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

## VII - Pontificium Institutum Archaeologiae Christianae

1 - *Disciplinae principales:*

*a*) Historia, Liturgia, Hagiographia Ecclesiae antiquae;

*b*) Architectura et Historia aedificiorum sacrorum Ecclesiae antiquae;

*c*) Descriptio et Historia coemeteriorum christianorum primae aetatis;

*d*) Iconographia sacra Ecclesiae antiquae (pictura, sculptura, artes minores);

*e*) Epigraphia Ecclesiae antiquae.



2 - *Disciplinae auxiliares:*

*a*) Introductio critica in fontes historiae Ecclesiae antiquae;

*b*) Methodologia studiorum de monumentis christianis;

*c*) Institutiones romanae primorum Ecclesiae temporum;

*d*) Technologia de antiquis monumentis effodiendis servandisque.

3 - *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

## VIII - Pontificium Institutum Musicae Sacrae

### A) *Cantus gregorianus*

1 - *Disciplinae principales:*

*a*) Theoria gregoriana generalis;

*b*) Aesthetica, altior Theoria, Palaeographia gregoriana;

*c*) Institutiones sacrae liturgiae;

*d*) Exercitationes cantus gregoriani.

2 - *Disciplinae auxiliares:*

*a*) Historia musicae, cantus gregoriani, legislationis ecclesiasticae de musica sacra;

*b*) Solmisationis variae species;

*c*) Ars recte canendi;

*d*) Ars gregorianos concentus moderandi;

*e*) Harmonia et Contrapunctum;

*f*) Ars pulsandi organum et « pianoforte » quod *complementare* dicitur;

*g*) Ars consociandi organum cum cantu gregoriano.

3 - *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

### B) *Compositio sacrorum concentuum*

1 - *Disciplinae principales:*

Praeter disciplinas de quibus sub litt. A) 1-*a*), *c*), *d*):

*a*) Harmonia, Contrapunctum, Fuga;

*b*) Ars componendi secundum varias musicas formas.

2 - *Disciplinae auxiliares:*

Praeter disciplinas de quibus sub litt. A) 2-*a*), *b*), *c*), *f*), *g*):

*a*) Musicologia;

http://www.obrascatolicas.com/

*b*) Polyphonia sacra secundum normas veterum summorumque auctorum;

*c*) Ars chorum moderandi;

*d*) Ratio iudicandi de musicis compositionibus;

*e*) Ars symphonica (*Strumentazione*).

3 - *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

C) *Organum*

1 - *Disciplinae principales:*

Praeter disciplinas de quibus sub litt. A) 1-*a*), *c*), *d*) et B) 1-*a*):

*a*) Ars pulsandi organum quod *principale* dicitur;

*b*) Ars consociandi ex improviso organum cum cantu gregoriano;

*c*) Ars componendi in organo modos musicos secundum antiquum ac recentiorem stilum.

2 - *Disciplinae auxiliares:*

Praeter disciplinas de quibus sub litt. A) 2-*a*), *b*), *c*), *g*) et B) 2-*b*), *d*):

Historia, Structura, Aesthetica organi — Illustriores musicae cum organo auctores — Ratio docendi artem pulsandi organum.

3 - *Disciplinae speciales* et *cursus peculiares* in propriis Statutis recensentur.

Art. 28

Disciplinae speciales seligantur pro cuiusque Universitatis vel Facultatis traditionibus et regionis necessitatibus, ad principia doctrinae catholicae in varias vitae intellectualis provincias efficacius diffundenda.

Art. 29

§ 1. - Auditores scholas omnes disciplinarum, quae in art. 33 § 3 Constitutionis Apostolicae praescribuntur, frequentare debent. Si quis auditor ab iis ita afuerit (cum vel sine causa), ut omnes absentiae simul sumptae tertiam partem anni aut semestris academici adaequent, annus ille aut semestre numero praescripto non comprehendetur, salvis poenis quibus, si culpam commiserit, vi Statutorum Universitatis vel Facultatis obnoxius esse poterit.



§ 2. - Exercitationibus, quae Statutis Universitatis vel Facultatis ad normam art. 30 § 1 Constitutionis Apostolicae praescribuntur, auditores ad gradus academicos contendentes non solum interesse, sed communi cum sodalibus labore et propriis commentationibus operam dare debent.

Art. 30

Horae scholarum ne tot sint numero, ut auditores ultra modum onerentur et tempore, quod studio privato, exercitationibus, examinibus parandis impendendum est, priventur.

Art. 31

§ 1. - Examina, de quibus in art. 34 Constitutionis Apostolicae, possunt esse, pro singulis disciplinis, sive unica sive plura, modo universam materiam complectantur.

§ 2. - Examina, de quibus in § 1, possunt fieri aut solum coram aut etiam scripto.

Art. 32

Statutis Universitatis vel Facultatis definiatur, qua ratione examinatores suum de candidato iudicium significare debeant.

Art. 33

In iudicio ultimo de candidatis ad singulos gradus academicos ratio habeatur omnium suffragiorum quae ii in diversis experimentis, sive scripto sive coram factis, tulerunt.

Art. 34

Ad omnia examina coram subeunda Professoribus et auditoribus liber patet aditus.

## Titulus IV

### De collatione graduum academicorum

(*Const. Apost.*, art. 35-46)
(*Const. Apost.*, art. 35-42)

Art. 35

Firmo praescripto art. 40 Constitutionis Apostolicae, potestas conferendi Lauream *ad honorem* tum tantum a Sancta Sede postulari poterit, cum Magnus Cancellarius et duae saltem partes Professorum ordinariorum Universitatis vel Facultatis in id consenserint.

http://www.obrascatolicas.com/

Art. 36

§ 1. - Documenta authentica de collatis gradibus academicis mentionem faciant iuris conferendi gradus academicos, quod Universitas vel Facultas a Sancta Sede impetravit.

§ 2. - Documentis, de quibus in § 1, ab omnibus, ad quos secundum praescripta art. 5, 7° et 6, 7° harum Ordinationum et peculiaria Universitatis vel Facultatis Statuta pertinet, subscribatur; eademque sigillo Universitatis vel Facultatis signentur.

1 - *Licentia*

(*Const. Apost.*, art. 43-44)

Art. 37

§ 1. - Ut quis ad examen Licentiae admittatur, requiritur ut omnibus scholis et exercitationibus a Statutis Universitatis vel Facultatis, ad normam art. 30 et 33 § 3 Constitutionis Apostolicae atque art. 22 et 29 § 1 harum Ordinationum praescriptis, interfuerit et praeterea ut, ad normam art. 29 § 2 earundem Ordinationum, aptitudinis ad laborem scientificum dederit experimentum etiam scriptum.

§ 2. - Experimentum, de quo in § 1, in aliqua schola exercitationum dandum et a Professore ad quem pertinet diiudicandum est.

Art. 38

§ 1. - Qui ad Licentiam contendit in Facultate Theologica, Iuris Canonici, Philosophica, etsi iam annua vel semestria examina superaverit, subiciendus est examini peculiari ex quo appareat eum praecipuam Facultatis disciplinam universe callere. Quare hoc examen in Theologia sit: *de universa sacra Theologia* (Theologia fundamentali, dogmatica, morali speculativa); in Iure canonico: *de universo Codice iuris canonici*, ratione simul habita legum ecclesiasticarum praecedentium; in Philosophia: *de universa Philosophia scholastica*. Quae sit in Pontificiis Institutis, de quibus in art. 3 Constitutionis Apostolicae materia examinis peculiaris, ad normam art. 44 Constitutionis eiusdem subeundi, eorum Statutis definiatur.

§ 2. - Peculiare examen, de quo in § 1, coram dandum est et sit saltem per horam.

§ 3. - Professores, qui in experimento, de quo in § 2, suffragium ferant, sint saltem quatuor.



Art. 39

Salvo praescripto art. 37, ad assequendam Licentiam, praeter examen coram subeundum, de aliqua saltem disciplina e principalibus examen etiam scripto faciendum est.

2 - *Laurea*

(*Const. Apost.*, art. 45-46)

Art. 40

Statutis Universitatis vel Facultatis de dissertatione definiatur:

1° quomodo componenda sit;

2° quando et quot exemplaribus sit Universitati vel Facultati exhibenda.

Art. 41

§ 1. - Argumentum dissertationis approbandum est a Professore disciplinae ad quam dissertatio pertinet, de consensu Rectoris vel Praesidis Universitatis vel Facultatis.

§ 2. - Dissertatio examinanda et diiudicanda est a duobus saltem Professoribus rerum, de quibus agitur, peritis. Prius autem quam a censoribus dissertatio approbata sit, Prolyta seu Licentiatus ad eam palam defendendam admitti nequit.

§ 3. - Dissertationis defensio sollemniter fiat, invitatis, praeter Auctoritates ecclesiasticas, etiam aliis doctrina atque vitae condicione praestantibus.

§ 4. - Dissertationem oppugnare possunt, praeter censores, de quibus in § 2, et nonnullos Professores ad id designatos, etiam alii qui adsunt.

§ 5. - Professores qui in dissertationis defensione, de qua in § 3, et in experimento ad normam art. 46 § 2 Constitutionis Apostolicae subeundo suffragium ferant, sint saltem quinque.

Art. 42

Examen coram faciendum, de quo in art. 46 § 2 Constitutionis Apostolicae, vel versabitur in definito numero thesium, quae artius sive cum rebus in dissertatione tractatis sive cum disciplinis quibus candidatus peculiariter operam dederit conectuntur; vel erit lectio palam habenda de argumento delecto ex disciplinis quibus candidatus in primis studuerit.

http://www.obrascatolicas.com/

Art. 43

Universitas vel Facultas exemplar singularum dissertationum approbatarum ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus et ad omnes Universitates vel Facultates studiorum ecclesiasticorum canonice erectas et approbatas, saltem propriae nationis, mittere debet.

## Titulus V

### De rebus didacticis et oeconomicis

(*Const. Apost.*, art. 47-52)

1 - *Aedificium*

(*Const. Apost.*, art. 47)

Art. 44

Auditoria sint satis ampla, aëri pervia, decora, ad leges hygienicas et ad consuetudines scholarum in singulis regionibus vigentes accommodata.

2 - *Bibliotheca et adiumenta scientifica*

(*Const. Apost.*, art. 48-49)

Art. 45

§ 1. - Quaevis Universitas vel Facultas bibliotheca *consultationis* instruatur, in qua inveniantur opera sacra et profana praecipua, ad laborem scientificum tam Professorum quam auditorum necessaria.

§ 2. - Diligenter providendum et certa pecuniae summa deposita cavendum est, ut bibliotheca non solum primo constituatur, sed etiam singulis annis voluminibus tam antiquis quam recens scriptis atque praecipuis *periodicis* secundum naturam Universitatis vel Facultatis augeatur.

§ 3. - Bibliothecae leges et normae tales statuantur, ut necessitatibus Professorum et auditorum quam maxime consulatur, simulque auditores a periculo vel temporis inutiliter terendi vel damni in fide vel moribus patiendi sedulo praeserventur.

§ 4. - Si singula instituta et laboratoria scientifica suam quodque bibliothecam non habeant, saltem curandum est ut accessus ad bibliothecam omnibus communem facile pateat.



Art. 46

§ 1. - Instituta ac laboratoria scientifica secundum rerum usum et necessitates aetatis nostrae adiumentis omnibus instruantur.

§ 2. - Nulli disciplinae ea desint quibus, pro sua quaeque natura, opus habet ad res suas accurate explanandas et illustrandas, ut sunt tabulae geographicae et historicae, summaria statistica, instrumenta scientifica.

3 - *Professorum et Officialium honoraria atque auditorum tributa*

(*Const. Apost.*, art. 50-52)

Art. 47

Universitatis vel Facultatis Statutis definiatur quanta Professoribus et Officialibus pro diversis eorum gradibus pendenda sint honoraria. Qua in re ratio habeatur legitimarum consuetudinum in singulis regionibus vigentium et iustarum legum quas similia Athenaea sive publica sive privata sequuntur.

Art. 48

§ 1. - In statuendis quae ad normam art. 51 Constitutionis Apostolicae ratione muneris depositi addicenda sunt, generatim ea serventur quae in singulis regionibus pro casibus similibus statui solent.

§ 2. - Statutis Universitatis vel Facultatis accurate definiatur secundum quas regulas et normas singulis emerita honoraria addicantur.

§ 3. - In regulis et normis, de quibus in § 2, clare significetur qua cautione oeconomica Universitas vel Facultas fidem interponat fore, ut emerita honoraria certo solvantur.

Art. 49

§ 1. - In definiendo quantum auditores ad Universitatis vel Facultatis sumptus conferre debeant, serventur normae in aliis Athenaeis similibus vigentes, ratione tamen habita communis condicionis oeconomicae auditorum.

§ 2. - Universitas vel Facultas opportunis modis provideat, ne tributorum lege via graduum academicorum illis praecludatur, qui claro ingenio praediti spem faciunt se Ecclesiae valde utiles esse futuros.



http://www.obrascatolicas.com/

§ 3. - Quibus condicionibus tributorum solutio auditoribus aut plene remitti aut in posterum differri possit, simili modo definiatur ac in aliis eiusdem regionis Athenaeis.

§ 4. - Universitas vel Facultas enitatur ut, quantum fieri potest, eae pecuniae augeantur ex quibus auditorum, qui id merentur, indigentiae succurratur, atque peculiaria constituantur beneficia scholastica, quae vulgo *Bursae studiorum* appellantur, in auditores optimos alendos et sublevandos eroganda.

§ 5. - Universitas vel Facultas singulis annis pervulget quae et quibus condicionibus beneficia scholastica auditoribus conferantur.

Quas Ordinationes omnes et singulas Ssmus D. N. Pius divina Providentia Pp. XI ratas habuit, confirmavit, evulgari iussit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

## APPENDIX I

### Disciplinae speciales et cursus peculiares secundum art. 27 Ordinationum

(*Quae hic exempli causa subiciuntur, neque numero neque nominibus definita sunt, cum et augeri et dividi et diverso modo appellari possint*)

#### 1 - *Facultas Theologica*

Historia sacra Veteris et Novi Testamenti;
Theologia biblica Veteris et Novi Testamenti;
Quaestiones selectae de Inspiratione et Hermeneutica, ratione praesertim habita relationis ad Theologiam fundamentalem et dogmaticam;
Exegesis praecipuorum textuum dogmaticorum Veteris et Novi Testamenti;
Doctrina theologica alicuius Patris vel Doctoris Ecclesiae;
Quaestiones selectae ex Patrologia;
Interpretatio textuum selectorum Ss. Patrum et S. Thomae Aquinatis;
Quaestiones selectae ex Theologia dogmatica speculativa;
Quaestiones selectae ex Theologia morali speculativa;
Quaestiones recentiores Apologeticae;
Mariologia;
Theologia pastoralis;
Theologia mystica;
Theologia liturgica;



Quaestiones selectae ex Archaeologia christiana;
Eloquentia sacra;
Catechetica;
Paedagogia;
Historiographia ecclesiastica;
Historia religionis;
Historia dogmatum;
Historia conciliorum;
Historia theologiae, in primis scholasticae eiusque methodi;
Historia et Fontes theologiae moralis;
Historia et Fontes iuris canonici;
Historia liturgiae;
Historia missionum;
Missiologia;
Ars sacra;
Linguae antiquae ad disciplinas Facultatis utiles.
SECTIONES: *Biblica, Dogmatica, Historica, Moralis, Iuridica.*

#### 2 - *Facultas Iuris Canonici*

Ius ecclesiasticum orientale;
Ius liturgicum;
Ius missionum;
Ius romanum;
Diplomatia ecclesiastica;
Oeconomia socialis;
Notiones statisticae;
Medicina legalis;
Iurisprudentia ecclesiastica;
Praxis processualis canonica;
Methodologia historico-iuridica;
Epigraphia iuridica;
Diplomatica et Palaeographia iuridica;
Historia iuris romani;
Historia diplomatiae ecclesiasticae.
SECTIONES: *Dogmatica, Practica, Historica.*

#### 3 - *Facultas Philosophica*

Quaestiones selectae ex singulis partibus philosophiae;
Aesthetica;
Moralis socialis et Sociologia;

http://www.obrascatolicas.com/

Expositio doctrinae alicuius ex praecipuis philosophis cum interpretatione textuum selectorum;
Ius gentium;
Paedagogia;
Philosophia scientiarum;
Biologia generalis;
Anthropologia;
Mathesis superior;
Physica theorica;
Chimica generalis;
Methodologia historica;
Historia unius alteriusve partis philosophiae.

SECTIONES: *Metaphysica, Ethica, Sociologica, Scientifica, Historica.*

## APPENDIX II

**Normae ad quas, secundum art. 3 Ordinationum, Universitatis vel Facultatis « Statuta » conficienda sunt**

Statuta Universitatis vel Facultatis, praemissa brevi eiusdem historia, declarare debent:

1. - Quem finem Universitas vel Facultas prosequatur; ex quibus scholis constet; quos gradus academicos conferat.

2. - Quis sit Magnus Concellarius; ex quibus et quomodo eligatur Rector Magnificus vel Praeses et quamdiu munere fungatur.

3. - Quomodo nominentur Decani ceteraeque, si quae sint, Auctoritates Academicae atque Officiales tam maiores quam minores; quamdiu officio fungantur; quae sint eorum munera; ob quas rationes munus suum deponere possint; quae sint eorum honoraria ordinaria et emerita.

4. - Quae consilia habeantur; quomodo consiliarii nominentur; quamdiu in officio permaneant et quae eorum sint munera et iura.

5. - Quae inter Universitatem vel Facultatem ex una parte et clericorum Seminaria vel Collegia ex altera sint rationes; quomodo inter illam et ista distinctio servetur et mutuum auxilium foveatur.

6. - Qui sint Professorum ordines et quot saltem in ordinem Professorum ordinariorum cooptari debeant; quomodo singulorum ordinum Professores nominentur; quae sint normae petendae vel dandae missionis canonicae; qua ratione ab uno ad alium ordinem ascendere possint; quamdiu officio fungantur; quae singulorum ordinum sint munera et iura; quae in singulis sint annua honoraria et horum statis temporibus amplificationes; quae sint honoraria emerita; quibus poenis et quando professores plecti possint.



7. - Quaenam auditorum sint genera; quaenam documenta et quae condiciones ante ascriptionem requirantur; quae pecuniae sint solvendae; quibus condicionibus tributa remitti possint; quibus poenis et quando auditores plecti possint.

8. - Quae sit studiorum ratio cum elencho disciplinarum principalium et auxiliarium et specialium atque etiam cursuum peculiarium pro unaquaque Facultate et pro singulis gradibus academicis consequendis; quae disciplinae pro singulis curriculi annis praescriptae sint; quae disciplinae speciales seu cursus peculiares ab auditoribus seligi possint; quot horis in hebdomada singulae disciplinae et cursus tradantur; quae exercitationes, instituta et laboratoria scientifica singulis curriculi annis ab auditoribus frequentari debeant; quae praescribantur examina et quae sint condiciones necessariae ad singulos gradus academicos adipiscendos; quomodo Professores iudicium suum de candidatis proferant; quae documenta graduum academicorum concedantur.

9. - Quae bibliothecae, instituta ac laboratoria scientifica habeantur et quibus normis generalibus haec omnia regantur.

10. - Quodnam patrimonium habeat Universitas vel Facultas, quomodo id administretur eiusdemque reditus impendantur; cuiusnam iudicio annua ratio accepti et expensi tam praeventiva quam consumptiva, quae dicuntur, subsit; quaenam inspectiones sive ordinariae sive extraordinariae ad pecuniae in scrinio asservatae tutelam habeantur.

## APPENDIX III

**Normae pro « Relatione triennali » ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus, secundum art. 4 Ordinationum, mittenda.**

Quatuor partes distinguantur: *scientifica, didactica, moralis, oeconomica.* De singulis haec referri debent:

1. - Incrementa quae scholis, bibliothecis, institutis et laboratoriis scientificis allata sint; quid Universitas vel Facultas ad scientiarum incrementum contulerit; quae opera vel dissertationes sive a Professoribus, sive ab aliis, auspice tamen Universitate vel Facultate, edita sint.

http://www.obrascatolicas.com/

2. - Quae calendaria et scholarum programmata Universitas vel Facultas secuta sit.

3. - Quae sive ad Professorum sive ad auditorum statum spectent.

4. - Ratio accepti et expensi superioris triennii.

*AAS* XXIII (1931), 263-284; *Sylloge*, n. 159.

## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

### 361

**De ultimis sacramentis ministrandis**

(Interpret. auth., diei 16 iunii 1931)

*Dubium:* An canon 514 § 1 ita intelligendus sit ut in religione clericali Superioribus ius et officium sit omnibus, de quibus in eodem canone, extra religiosam domum aegrotis Eucharisticum viaticum et Extremam Unctionem ministrandi.

*Resp.: Affirmative,* si agatur de religiosis professis vel novitiis, firmo tamen praescripto canonis 848; secus negative.

*AAS* XXIII (1931), 353.

## SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

### 362

**De inscriptione ad Universitates civiles**

(Epist. *Sono note,* diei 15 augusti 1931, ad S. C. de Religiosis)

Sono note a Vostra Eccellenza Revma le norme che regolano l'iscrizione degli Ecclesiastici alle Università civili.

Esse sono principalmente contenute:

1° nella istruzione data dalla Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari il 21 luglio 1896 [a] e confermata dal S. Pontefice Pio X, di s. m., nell'Enciclica *Pascendi dominici gregis* del 7 settembre 1907 [b] e nel Motu proprio *Sacrorum Antistitum* del 1 settembre 1910; [c]

[a] N. 235.
[b] N. 256.
[c] N. 268.



2° nel Decreto emanato dalla Sacra Congregazione Concistoriale il 30 aprile 1918. [a]

A tali Norme la Santità di Nostro Signore Pio Pp. XI ha ordinato che sia aggiunta la seguente:

*Nessun Ecclesiastico tanto del clero secolare che di quello regolare — e nessuna Religiosa — potrà d'ora innanzi chiedere l'iscrizione ad Istituti civili di studi superiori, senza aver ottenuto in antecedenza, per il tramite dei rispettivi Superiori, il « Nulla osta » della Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.* [b]

Notifico a Vostra Eccellenza Revma che deve essere preferita per gli Ecclesiastici l'Università cattolica del Sacro Cuore di Milano, e per le Religiose l'Apostolico Istituto del Sacro Cuore in Castelnuovo Fogliani.

In *AAS* non promulgata.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 363

**Super formatione clericali et religiosa alumnorum ad sacerdotium vocatorum, deque scrutinio ante ordinum susceptionem peragendo.**

(Instructio *Quantum Religiones,* diei 1 decembris 1931, ad Supremos Religionum et Societatum clericalium Moderatores)

1. Quantum Religiones omnes ac Societates ad salutem conferant populorum, sive hi iam Christi fide sint regenerati, sive adhuc in idololatriae tenebris et in mortis umbra sedeant, vix poterit verbis edici. Eorum quippe alumni ii sunt qui, evangelica secuti consilia, atque mundo despecto, totos se divino servitio mancipantes, professionis suae virtute, aliud non quaerunt quam Dei regnum in terris promovere, prout non ita pridem Ssmus Dominus Noster Pius XI testabatur: [1] « Ex hac igitur tanta religiosorum Ordinum varietate, quasi ex dissimilibus arboribus in agro dominico consitis, magna oritur et in salutem gentium provenit fructuum varietas; atque nihil sane pulchrius atque adspectu delectabilius quam harum complexus atque universitas Sodalitatum, quae, etsi ad unum atque idem de-

[1] N. 348.

[a] N. 323.
[b] N. 379.

http://www.obrascatolicas.com/

nique spectant, habent tamen suum quaeque industriae et laboris campum, a ceteris aliqua ex parte distinctum. Fieri enim divinae Providentiae consilio solet, ut, quotiescumque novis est necessitatibus occurrendum, nova item religiosa instituta excitentur ac floreant ».

2. Qui status, quam sublimis et nobilis sit, nuper eloquenter edisserebat idem Beatissimus Pater in nuntio radiophonico ad totum terrarum orbem transmisso, 12 februarii 1931, dum religiosos omnes alloquens, quos « filios et filias praedilectionis Nostrae » nominabat, eos esse dicebat, « qui quaeve charismata meliora aemulantes, atque in fide sanctissimorum votorum et in religiosa disciplina totius vitae nedum praeceptis sed et desideriis consiliisque divini Regis et Sponsi obsecundantes, Ecclesiam Dei virgineo odore fragrantem facitis, contemplationibus illustratis, orationibus fulcitis, scientia et doctrina ditatis, ministerio verbi et apostolatus operibus in dies percolitis et augetis. Igitur vere caelestis et angelicae vocationis participes, quanto pretiosiorem thesaurum gestatis, tanto diligentiorem adhibeatis custodiam, non solum ut certam vestram vocationem et electionem faciatis, verum etiam ut in vobis, tanquam in servis apprime fidelibus et devotis, cor Regis et Sponsi consolationem et reparationem aliquam inveniat pro infinitis offensionibus et negligentiis quibus homines ineffabilem Eius dilectionem rependunt ». [1]

3. Cum ergo religiosorum status adeo praecellens sit, nihil mirum si humanae salutis hostis nullum non moveat lapidem, ut eos, qua perversis suasionibus, qua mundanarum voluptatum adlectu, qua denique passionum concitatione, ab eiusdem status sublimitate deiiciat. Re quidam vera, non desunt graves desertionum casus, nedum ab statu religioso, verum etiam ab ipsa sacra militia, in quam per ordinum susceptionem fuerant viri religiosi cooptati. Quod, quanto hoc accidat eorumdem religiosorum, immo ipsius religionis, detrimento atque christifidelium scandalo, nemo est qui non videat. Quapropter, arrepta occasione Instructionis, non ita pridem a Sacra Congregatione de Sacramentis ad locorum Ordinarios missae super scrutinio candidatorum instituendo antequam ad ordines promoveantur, [2] Sacra haec Congregatio Religiosorum, ut muneri suo satisfaciat, facto verbo cum Sanctissimo ac de Ipsius speciali mandato,

---

[1] N. 358.
[2] Instructio *Quam ingens*, diei 27 decembris 1930, in *AAS* XXIII (1931), 120; *Enchir. Cler.*, 1279 sqq.



haec quae sequuntur, in Moderatorum Religionum ac Societatum Clericalium memoriam, revocare, atque, ubi opus sit, praecipere decrevit.

## I

### *De formatione alumnorum ad Ordines promovendorum*

4. Ex ipsa rerum natura atque quotidiana experientia accipimus, Religionum prosperitatem ab alumnorum formatione, sicut a cultura pulcritudinem arborum potissimum pendere. Quod ita exponebat sanctae memoriae Pius IX: [1] « Cum ex diligenti tyronum admissione atque optima illorum institutione latius cuiusque sacrae familiae status decorque plane pendeat, vos summopere hortamur, ut eorum qui religiosae vestrae familiae nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores antea accurate exploretis, ac sedulo investigetis quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur ».

5. Enimvero, mature iam prudenterque delectis adolescentibus religiosae vitae candidatis, Superiores impense curabunt, ut eis una cum pietatis doctrina, ad aetatem eorum accommodata, inferiores quoque disciplinae tradantur, quae in gymnasiis tradi solent; [2] « ita scilicet, ut non ante ad novitiatum accedant, quam humanitatis, ut aiunt, curriculum confecerint, nisi sat gravis interdum causa aliter decernendum suadeat », [3] quo casu compleri debebit, antequam cursus philosophicus incipiatur.

6. Atqui imprimis, maxima diligentia, iam inde a primo candidatorum in Religionem ingressu, Superioribus adhibenda erit ut adolescentes, non gregatim, neve festinantur adsciscantur, [4] sed ii soli, in quibus divinae vocationis indicia deprehenduntur, et spes effulget eosdem cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo addictum iri. [5] Ampliores adhuc de candidatis notitias sibi procurent Superiores antequam alumnos ad novitiatum admittant, [6] et testimoniales litteras forsan insufficienter acceptas, per alias accuratas investigationes a fide dignis personis habitas, suppleant. Neque negligant Superiores notitias sibi assumere de illorum familiarum moribus,

---

[1] N. 187.
[2] Can. 589.
[3] N. 348.
[4] Nn. 348, 279.
[5] Can. 1363, § 1.
[6] Can. 544-545.

http://www.obrascatolicas.com/

utrum nempe parentes fuerint ab illis vitiis immunes, quae facile in prolem redundare possent. Nimirum, in candidatis ad sacerdotium designandis, communia vocationis religiosae indicia minime sufficiunt, sed requiruntur praeterea signa specialia clericorum statui propria. Hac ergo de causa praecipiunt sacri canones, ut novitiatus alius pro clericis, alius pro conversis habeatur, adeo ut qui pro una classe expletus fuerit, pro altera non valeat. [1]

7. Expleto novitiatu, alumni in iis domibus collocentur, in quibus plena legum observatio floreat, praesertim quod ad perfectam vitam communem, [2] necnon ad paupertatem spectat, ubi, praeterea, cetera ita sint disposita, ut praescriptum philosophiae ac theologiae cursum fructuosius valeant peragere. Quo quidem tempore cavebunt Superiores ne iuvenes a virtutum certamine animos remittant, illos ab illorum librorum aut ephemeridum lectione, quibus a bonis studiis praepediri utcumque possent, arcentes, necnon, quod ad animi recreationem pertinet, ab illis quoque exercitationibus corporeis, quae clericos minime decent, iuxta gravissimum monitum Concilii Tridentini: [3] « Sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant ». Curabunt quoque Superiores ut Magistri spiritus, quorum speciali curae toto studiorum curriculo illi committuntur, eorum animos ad vitam religiosam et clericalem, qua opportunis monitis, qua instructionibus atque adhortationibus, informent: [4] hac enim ratione, et non aliter, tandem aliquando solidam doctrinam praeferent cum sanctissima vita coniunctam.

8. Quod spectat ad sacrarum litterarum studia, gravissima verba semper prae oculis habeant eiusdem Ssmi Domini Nostri Pii XI: [5] « Quam quidem rerum sacrarum cognitionem cum necesse sit Ecclesiae administros et maximi facere et penitus percipere, id ipsum est hortationis Nostrae caput, ut sodales religiosos, sacerdotio vel iam potitos vel posthac initiandos, ad disciplinas sacras assidue excolendas excitemus, quas nisi calleant, vocationis suae munia perfecte absoluteque implere non poterunt. Cum enim iis, qui se Deo consecraverint, aut unum aut certe praecipuum propositum sit orare Deum

[1] Can. 558.
[2] Can. 587, § 2.
[3] Sess. XXII, *De ref.*, c. 1, in Mansi XXXIII, 133.
[4] Can. 588, § 1.
[5] N. 348.



et divina contemplari aut meditari, qui igitur gravissimo eiusmodi fungantur officio, nisi fidei doctrinam plane cognitam habeant atque perspectam? Quod velimus eos imprimis attendere, qui umbratilem in caelestium rerum contemplatione vitam degunt; errant enim, si putant, theologicis studiis aut ante neglectis aut postea depositis, posse se, copiosa illa destitutos, quae e doctrinis sacris hauritur, Dei mysteriorumque fidei cognitione, facile in excelsis versari atque ad interiorem cum Deo coniunctionem efferri atque evehi. Ad ceteros autem quod attinet, sive ii docent, sive contionantur, sive animis expiandis pro tribunali poenitentiae sedent, sive in sacras expeditiones dimittuntur, sive cum populo in cotidiana vitae consuetudine sermocinantur, nonne multiplex ista ministerii sacri exercitatio eo plus habitura est roboris atque efficacitatis, quo maiore eruditionis summa niteant ac polleant »?

9. Quoniam vero haec iuvenum studiosa formatio compleri nequit ubi dissipationi locus detur, aut iuvenibus passim per diversas domos vagari, vel apud parentes commorari permittatur, ideo non absque iusta et gravi causa, de qua re superiorum conscientia graviter onerata manet, eosdem itinera suscipere liceat, sed in domibus ad studia destinatis constanter permaneant; ibique, in exercitia pietatis ac scientiae, usque ad completum studiorum curriculum, incumbant assidue. Quod valet etiam, si quando eos, de licentia huius Sacrae Congregationis, ante completum quartum sacrae theologiae annum, presbyteratu insigniri contingat.

10. Cum autem maiores scopuli initio vitae sacerdotalis occurrere soleant, caveant Superiores ne post ordinationem et completo iam studiorum curriculo, iuvenes sibi ipsi relinquantur, sed per aliquod tempus sub speciali cura eosdem habeant. Quod ut facilius fiat, illos in domibus ubi perfecta viget regularis observantia assignent, speciale tyrocinium, pro uniuscuiusque captu, subituros. Interim studia prosequantur et in eis iugem profectum edant ad normam sacri canonis, praecipientis ut « religiosi sacerdotes, ... post absolutum studiorum curriculum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis »: [1] de qua re, in quinquennali relatione Sacram hanc Congregationem edoctam teneant, simul rationem reddentes de causa motiva exemptionum, si quas ipsi dare censuerint.

[1] Can. 590.

http://www.obrascatolicas.com/

11. Haec autem omnia officia Superiores faciliori negotio adimplebunt, si in personis, quibus iuvenum institutio committitur deligendis, speciales impenderint curas, ut nonnisi viri prudentes, caritate ac pietatis observantia praestantes ad id muneris advocaverint. Ipsi vero spiritus Magistri necnon scientiarum Professores, alumnis suis, iam ab unguiculis, exemplo disciplinae religiosae et virtutum sacerdotalium esse satagant, scientes nonnihil verba, plurimum vero exempla ad animos iuvenum informandos conferre. [1]

## II

### *De scrutinio ante susceptionem Ordinum peragendo*

12. Quod, vi canonicae legislationis, ad ordinationem religiosorum attinet, Superiores maiores vel concedunt litteras dimissorias Episcopis ordinantibus, [2] vel saltem alumnos ordinationi praesentant cum litteris testimonialibus. [3] Hisce testimonialibus litteris Superior religiosus non solum alumnos esse de familia testatur, sed etiam de studiis peractis, deque aliis in iure requisitis fidem facit. [4] Hinc liquet, gravissimam illam obligationem qua tenentur Episcopi efformandi, probandi ac seligendi proprios subditos saeculares qui sacros Ordines recipere volunt, eamdem prorsus Superioribus religiosis incumbere, quorum est suis subditis ad sacros Ordines accessum permittere. Et licet Episcopi valeant ad normam iuris [5] testimonio Superiorum non acquiescere ac per sese religiosum ordinandum examinare, non tamen ad hoc tenentur; sed, coram Deo ac Ecclesia, Superiorum bono testimonio assentiri possunt, atque in ipsos plenam respondendi obligationem circa candidatorum formationem et dignitatem refundere. [6]

13. Cum res ita sapienter ordinatae sint, tanquam sibi iniuncta Superiores existimare debent gravissima Apostoli verba, tam saepe inculcata, quibus Episcopi de strictissima obligatione admonentur, candidatos semel atque iterum probandi, antequam eos ad sacros Ordines admittant: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis:* [1] *et hi autem* (Diaconi) *probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.* [2] Priora verba commentans aiebat S. Ioannes Chrysostomus: [3] *Quid est, cito? Non post primam probationem, nec post secundam, vel tertiam; sed postquam saepius circumspexeris et accurate examinaveris.* Et Codex iuris canonici, Patrum Conciliorumque sententias perstringens, ait: [4] *Episcopus sacros Ordines nemini conferat, quin ex positivis argumentis certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo se committit alienis communicandi peccatis.*

[1] Can. 559, § 1; 588, §§ 1, 2.
[2] Can. 965, et 966, § 1.
[3] Can. 994, § 5.
[4] Can. 995, § 1.
[5] Can. 997, § 2.
[6] Can. 970, 995, § 2.



14. Quae cum ita sint, sequentia ab omnibus religionum et societatum clericalium moderatoribus deinceps erunt observanda. Novitii, ante professionem votorum temporalium, quae omnino praecedere debet promotionem ad Tonsuram et ad Ordines Minores, Superiori petitionem scripto deferant, in qua expressis verbis testimonium ferant de sua ad statum religiosum et clericalem vocatione, simulque firmum propositum pandant perpetuo se militiae clericali, in statu regulari, mancipandi: [5] quae petitio et declaratio in archivo asserventur. Superiores vero quemquam ad Ordines ascendere ne sinant, quamdiu de eiusdem moribus, pietate, modestia, castitate, ad statum clericalem propensione, in studiis ecclesiasticis profectu, necnon religiosa disciplina, sibi per accuratum scrutinium non constiterit. [6] Ad quod certius obtinendum, testimonium exquirant Magistri spiritus aliorumque, quibus ob specialem cum alumnis frequentiam, horum vitam moresque pernoscere contigerit. Quae testimonia leviter non recipiantur, sed sedulo ponderentur, habita ratione prudentiae, sinceritatis, iudicii maturitatis illa ferentium. De factis inquisitionibus deque scrutinii exitu, iustum condatur documentum in archivo asservandum. Denique, Superior ipse, vel per se, vel per alium scientia ac prudentia praeditum, sibique adulescentium fiduciae comparandae idoneum, hos interrogare curet, ut tandem aliquando certior reddatur, ipsos libere ac scienter Ordines in statu religioso appetere.

15. Quod ad Ordinum maiorum susceptionem attinet, meminisse Superiores religiosos oportet, eos alumnos suos minime posse ad

[1] *I Tim.* V, 22.
[2] *Ibid.* III, 10.
[3] *Homil. XVI*, n. 1, in MG LXII, 587.
[4] Can. 973, § 3.
[5] Can. 973, § 1.
[6] Can. 973, § 1.

http://www.obrascatolicas.com/

eosdem promoveri sinere, antequam professionem sive perpetuam, sive solemnem emiserint.[1] In Religionibus ubi perpetua vota non emittuntur, Superiores districte vetantur, alumnos ante triennium completum votorum temporariorum ad Ordines sacros promovere: in Societatibus vero sine votis, peracta, si adsit, perpetua seu definitiva cooptatione, ante triennium item completum a prima post novitiatum cooptatione in ipsam Societatem.

16. Antequam alumni ad Subdiaconatum admittantur, novam Superiores inquisitionem de supradictis (n. 14) instituere debent. Ad quod praestandum documenta inquisitionis iam peractae in archivo servata iterum videant, et nova testimonia de moribus, deque spiritualibus qualitatibus cum antiquis comparent; ut probe noscant quomodo iuvenes a prima professione, tum in disciplina religiosa, tum in profectu in studiis clericalibus sese exhibuerint. Quibus demum peractis, si digni et idonei inventi fuerint, nullaque adsit ratio canonica cur ab Ordine recipiendo arceantur, Superiores litteras dimissoriales seu testimoniales pro Ordinatione ipsis concedere possunt; iis servatis quae in iure canonico propriisque Constitutionibus statuuntur.

17. In omnibus vero Religionibus et Societatibus, Superiores antequam alumnos ad Subdiaconatum praesentent, praeter inquisitionem supra praescriptam (n. 16), ab ipsis testificationem, intuitu subsecuturae, tempore suo, sacrae ordinationis, manu propria candidati subscriptam et iurisiurandi fide, coram Superiore, firmatam, exigere debent sequentis tenoris:

« Ego subsignatus *N. N.*, alumnus Ordinis vel Congregationis *N. N.*, cum petitionem Superioribus exhibuerim pro recipiendo Subdiaconatus Ordine, diligenter re perpensa coram Deo, iuramento interposito, testificor: 1) Nulla me coactione, seu vi, aut nullo impelli timore in recipiendo eodem Sacro Ordine, sed ipsum sponte exoptare, ac plena liberaque voluntate eumdem cum adnexis oneribus amplecti velle. 2) Fateor mihi plene esse cognita cuncta onera ex eodem Sacro Ordine dimanantia, quae sponte amplector, ac Deo opitulante propono me toto vitae curriculo diligenter servare. 3) Quae castitatis voto ac coelibatus lege praecipiuntur, clare me percipere testor, eaque integre servare usque ad extremum vitae, Deo adiuvante, firmiter statuo. 4) Denique sincera fide spondeo iugiter me fore, ad normam Sacrorum Canonum, obsequentissime

[1] Can. 964, §§ 3, 4.



obtemperaturum iis omnibus quae mihi a Praepositis, iuxta Ecclesiae disciplinam, praecipientur, paratus virtutum exempla, tum opere, cum sermone, aliis praebere, adeo ut tanti officii susceptione retributionem a Deo promissam accipere merear. Sic testor ac iuro, super haec Sancta Dei Evangelia, quae manu mea tango.

... die ... mensis ... anni ...

*N. N.* manu propria. »

18. Notandum, in Ordinibus votorum solemnium, praedictam testificationem, manu propria religiosi subscriptam et iurisiurandi fide firmatam, emissioni votorum solemnium praemitti debere.

19. In dimissoriis litteris pro alumnorum ordinationibus, iuxta praescripta Codicis iuris canonici, concedendis, necnon in testimonialibus litteris Superiores de his omnibus, onerata eorum conscientia, Episcopo ordinanti testentur; cui tamen liberum sit pro lubitu interrogationes etiam privatim alumnis ordinandis facere.

20. Licet pro Diaconatus et Presbyteratus Ordine opus non sit informationes adeo amplas atque nova requirere testimonia, advigilent tamen Superiores et videant utrum, in intervallo ab unius et alterius Ordinis sacri collatione, nova acciderint, quae vel patefaciant dubiam ad sacerdotium vocationem, vel nullam prorsus commonstrent. Hoc in casu, perscrutatione perquam diligenter peracta, adhibitoque virorum prudentum consilio, novi Ordinis susceptionem penitus interdicant, remque ad hanc Sacram Congregationem referant, a qua, pro singulis casibus, quod opportunius in Domino visum fuerit, decernetur.

21. Haec omnia Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI in audientia diei 1 mensis decembris anni 1931, audita relatione ab infrascripto Card. Praefecto Sacrae Congregationis peracta, rata habere et confirmare dignatus est, mandans praeterea ut praesens instructio omnibus Supremis Religionum et Societatum clericalium Moderatoribus notificetur, ab ipsis adamussim observanda, praecipiens etiam ut sub initio cuiuslibet anni religiosis clericis perlegatur, deque hisce praescriptionibus fideliter adimpletis Superiores in quinquennalibus relationibus Sacram hanc Congregationem edoceant.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

*AAS* XXIV (1932), 74-81; *Sylloge*, 162.

http://www.obrascatolicas.com/

## SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

### 364

### Oratio indulgentiis ditata

(Decretum diei 10 aprilis 1934)

Seigneur Jésus, par les mérites et les prières de la Vierge Marie, de saint *N.* (*nom du Saint selon les Ordres*) et de tous les saints Fondateurs, répandez sur moi, sur mes frères et sur les religieux du monde entier l'esprit de foi, de sacrifice, d'oraison, d'humilité, de docilité et de charité. Faites, ô mon Jésus, que cette charité soit vraiment surnaturelle et universelle, intelligente et patiente, joyeuse et fructueuse. Ainsi soit-il.

*Indulgentia quingentorum dierum.*

*Preces et pia opera*, n. 696.

## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

### 365

### De sectae atheisticae adscriptis

(Interpret. auth., diei 30 iulii 1934)

*Dubium:* An ad normam Codicis iuris canonici, qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, habendi sint quoad omnes iuris effectus etiam in ordine ad sacram ordinationem et matrimonium, ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt.[a]

*Resp.:* Affirmative.

*AAS* XXVI (1934), 494.

### 366

### De anno novitiatus

(Interpret. auth., diei 12 februarii 1935)

*Dubium:* I. An indultum apostolicum requiratur ut annus canonicus novitiatus, de quo in canone 555 § 1 n. 2, transferri possit in secundum novitiatus annum iuxta § 2 eiusdem canonis.

[a] Can. 542.



II. An loci Ordinarius dispensare possit super secundo novitiatus anno, si hic in constitutionibus ad professionis validitatem non requiratur ad normam canonis 555 § 2.

*Resp.:* Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative, dummodo agatur de Religionibus iuris dioecesani.

*AAS* XXVII (1935), 92-93.

## PIUS XI

### 367

### De catholici sacerdotii dignitate

(Litt. encycl. *Ad catholici sacerdotii*, diei 20 decembris 1935)

Ad catholici sacerdotii fastigium vixdum Nos arcano Providentis Dei consilio evecti, actuosam voluntatem Nostram ad eos convertere numquam destitimus, qui, in multis quos habemus in Christo filiis, sacerdotali dignitate aucti, id muneris susceperunt, ut « sal terrae et lux mundi »[1] evaderent; ac peculiari modo ad eam iuventutem Nobis sane carissimam curas adiicere non pratermisimus, quae, intra sacrarum aedium saepta, ad pernobile eiusmodi officium obeundum animum praeparat atque componit.

Quin immo, paucis exactis mensibus ab inito Pontificatu, antequam universum catholicum orbem, datis ex more litteris, alloqueremur,[2] per Epistulam Apostolicam *Officiorum omnium*,[3] quam ad dilectum filium Nostrum misimus, qui sacro Consilio praeest Seminariis studiorumque Universitatibus praeposito, eas normas decernere curavimus, quibus sacrorum alumni instituendi conformandique essent. Quotiescumque autem eo pastoralis sollicitudo Nos admovet, ut Ecclesiae rationes necessitatesque intentiore animo reputemus, eadem sacerdotes et levitas prae primis complectitur, quos, uti nostis, in oculis ferimus.

Quam quidem de sacri ordinis viris pastoralem sollicitudinem Nostram ea luculenter testantur Seminaria non pauca, quae, vel ubi deerant, inibi excitavimus, vel angustiora — ingentibus impensis sumptibus — novis amplioribusque sedibus ditavimus, itaque omni

[1] *Mt* V, 13, 14.
[2] N. 343.
[3] Diei 1 augusti 1922, in *AAS* XIV (1922), 449 sqq.



http://www.obrascatolicas.com/

ope instruximus, ut dignius aptiusque, id quod conantur, assequi possent.

Quodsi Nobis, quinquagesimo sacerdotii Nostri exeunte anno, istiusmodi faustitatem sollemniter celebrari libuit; eaque filiorum studia placuit, quae ex universo terrarum orbe in Nos deferebantur, paterna prosequi voluntate; id eo consilio fecimus, quod potiusquam privatam personam Nostram, sacerdotalem ipsam dignitatem ipsumque munus iure meritoque dilaudari cernebamus. Atque itidem, per Apostolicam Constitutionem *Deus scientiarum Dominus* die 24 mensis maii, anno 1931 datam, Ecclesiasticas studiorum Universitates in meliorem esse ordinem redigendas ea ratione decrevimus, ut cleri culturam sacramque disciplinam etiam atque etiam proveheremus. [1]

Iamvero id, quod in praesens Nobis propositum est, tanti est ponderis tantaeque gravitatis, ut hac de re per has Litteras ex consulto agere opportunum Nobis videatur; ita quidem ut non modo qui pretiosissimum christianae fidei donum retinent, sed qui etiam recta sinceraque mente veritatem expetunt, excelsam catholici sacerdotii maiestatem eiusque — ex Divinae Providentiae consilio — omnibus perutile munus agnoscant: quod sane ut ii potissimum intento animo reputent optamus, qui caelesti quodam instinctu ac nutu ducti ad sacra capessenda munia vocantur.

Id porro peculiari modo consentaneum sub huius anni exitu ducimus, qui Lapurdi — coram nivea eademque radianti Immaculatae imagine — per continenter in triduum actam Eucharisticam supplicationem, sacri ordinis homines ex omni lingua ex omnique ritu vidit superna luce circumfusos, cum extremos ederet caelestis gratiae fulgores ad occasum vergens humanae Redemptionis Iubilaeum, ad universum catholicum orbem prorogatum; illius dicimus Redemptionis, cuius administri habentur venerandi carissimique Nobis sacerdotes, numquam sane operosiores satiusque de re christiana merentes, quam per huius Anni Sancti decursum, quo quidem fuit, ut in Apostolicis Litteris *Quod nuper* animadvertimus, XIX ab instituto divinitus catholico sacerdotio commemoratum saeculum. [2]

Ac profecto ut cum ceteris Encyclicis Litteris, a Nobis pro opportunitate superiore tempore datis — per quas utique graviores causas, quae huius aetatis homines exercent sollicitosque tenent, catho-

[1] N. 359.
[2] Diei 6 ianuarii 1933, in *AAS* XXV (1933), 5-10.



licae doctrinae luce collustravimus — apte haec Epistula concinneque congruit, ita eadem videtur Nobis sollemnia edita praecepta perficere, iisdemque veluti coronam imponere.

Est enimvero sacerdos, ex divino afflatu mandatoque suscepto, praecipuus christianae iuvenum educationis apostolus idemque indefatigabilis adsertor; [1] ipse maritale vinculum Ecclesiae nomine auctoritateque ratum habens, bene eidem a Deo precatur, eiusque perpetuitatem sanctitatemque adversus libidinis cupidinisque nisus erroresque tutatur; [2] ipse, ut fraternam hominum necessitudinem praedicat, ut mutua omnibus iustitiae caritatisque evangelicae officia inculcat, ut denique — divitibus ac proletariae plebi affectanda omni ope veri nominis bona quasi digito demonstrans — animos, ob rei oeconomicae discrimen morumque demutationem exulceratos, pacare nititur, ita eo adiutricem operam confert, ut civilis Societatis ordinum conflictationes vel componantur feliciter, vel saltem mitigentur. [3] Est praeterea sacerdos illius paenitentiae sanctae expiationisque praeco atque excitator praestantissimus, ad quam quidem Nos bonos omnes adhortati sumus, ut impietates, turpitudines, flagitia, quae humanum genus in praesens tantopere temerant atque dedecorant, pro viribus resarciantur; quandoquidem hodie — si umquam alias — divini Redemptoris misericordia indigemus eiusque venia. [4]

Procul dubio Ecclesiae hostes efficientem sacerdotalis muneris vim non ignorant; atque adeo — quemadmodum ad dilectissimum Nobis Mexicanum populum scribentes conquesti sumus [5] — adversus illud potissimum dimicant, ut ex hominum societate stirpitus evellatur, ac tandem aliquando ad catholicum nomen penitus delendum viam sibi sternant: quod utique discupiunt vehementer, at procul dubio numquam assecuturi sunt.

[1] N. 356.
[2] Litt. encycl. *Casti connubii*, diei 31 decembris 1930, in *AAS* XXII (1930), 539-592.
[3] Litt. encycl. *Quadragesimo anno*, diei 15 maii 1931, in *AAS* XXIII (1931), 177-228.
[4] Litt. encycl. *Caritate Christi*, diei 3 maii 1932, in *AAS* XXIV (1932), 177-194.
[5] Litt. encycl. *Acerba animi*, diei 29 septembris 1932, in *AAS* XXIV (1932), 321-332.

http://www.obrascatolicas.com/

## I

Nullo non tempore genus humanum sacerdotum necessitatem expertum est, virorum scilicet, qui, ex officio legitime concredito, Dei hominumque conciliatores essent, quorum totius vitae munus illas complecteretur rationes, quae ad aeternum Numen pertineant, quique preces, piacula, sacrificia, societatis nomine offerrent, quae ipsamet revera publice religionem colere iubetur, Deum ut supremum dominum ac primum principium agnoscere, ut finem ultimum sibi proponere, immortales eidem grates agere, eumdemque propitium reddere. Siquidem penes omnes populos, quorum mores in comperto sunt, modo contra sanctissimas humanae naturae leges facere ne cogantur, sacrorum administri habentur, quamvis saepenumero vanis superstitionibus serviant; itemque ubicumque aliquam profitentur homines religionem, ubicumque aras erigunt, nedum ibi sacerdotibus careant, peculiari eos honore venerantur.

Attamen, cum divina affulsit Revelatio, multo equidem maiore dignitate insignitum est sacerdotale munus; quam profecto dignitatem arcano quodam modo praenuntiat Melchisedech [1] sacerdos ac rex, cuius exemplum Paulus Apostolus ad Iesu Christi personam ac sacerdotium refert. [2]

Quodsi est sacrorum administer, secundum praeclaram eiusdem Pauli sententiam, « ex hominibus assumptus », at « pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum »: [3] illius nempe officium non res spectat humanas ac fluxas, quantumvis aestimatione laudeque dignae videantur, sed divinas easdemque aeternas; res porro, quae etsi ob hominum ignorationem despicatui atque irrisui haberi possunt, quaeque — ut non semel vel in praesens experiendo summa cum aegritudine vidimus — quamquam callida malignitate impioque furore praepediri possunt, primum tamen locum sibi vindicant in privatis ac publicis hominum votis, qui ut acriter se sentiunt Deo natos, ita numquam se posse nisi in eo conquiescere revera fateri iubentur.

In sacris Veteris Testamenti litteris sacerdotio per normas constituto, quas Moyses Dei instinctu ac nutu ductus promulgavit, peculiaria officia, munera, ritus attribuuntur. Videtur nempe ipsemet, pro suae providentiae consilio, hoc maximum in rudibus Hebraeo-

[1] *Gen.* XIV, 18.
[2] *Hebr.* V, 10; VI, 20; VII, 1-11, 15.
[3] *Hebr.* V, 1.



rum animis, quasi insculpere voluisse praeceptum, cuius lumine eventa, leges, dignitates atque instituta collustrarentur: sacrificium scilicet unaque simul sacerdotium eo potissimum spectare ut — ad messianicam expectationem omnium excitatis animis, — spei, gloriae, virtutis liberationisque causae ac veluti fontes evaderent. [1] Salomonis templum, mirabile illud tam divitiarum splendore, quam institutionibus ac ritibus monumentum, non idcirco dumtaxat excitatum est, ut divinae maiestatis in terris tabernaculum esset, sed etiam ut altissimum illius sacerdotii ac sacrificii haberetur praeconium, quae, etsi imagines erant atque indices, tantum nihilominus praeferebant arcani, ut Alexander Magnus ipse, coram sacra Summi Sacerdotis persona, victricem frontem reverenter inclinaret; [2] ac caeleste ipsum Numen, in impium Baltassar regem veluti iracundia incitatum est quod liturgicis abusus vasibus sceleste comissatus esset. [3]

Atqui Veteris Testamenti sacerdotium maiestatem gloriamque suam non aliunde sumebat, nisi quod illud praenuntiabat novi aeternique Testamenti a Iesu Christo datum, veri scilicet Dei verique hominis sanguine constitutum.

Gentium Apostolus, de christiani sacerdotii amplitudine, dignitate ac munere summatim presseque agens, hisce verbis sententiam suam veluti scalpro exprimit: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei ». [4]

Minister Christi sacerdos: divini igitur Redemptoris quasi instrumentum est, ut mirabilem eius operam, quae superna efficacitate universum hominum convictum redintegrans, eum ad excellentiorem cultum traduxit, per tempora persequi valeat. Quin immo ipse, quod iure meritoque dicere sollemne habemus, « alter est Christus », cum eius gerat personam secundum illud: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos »; [5] eodemque modo ac per angelorum vocem Magister eius, « gloriam in excelsis Deo » concinat pacemque « hominibus bonae voluntatis » [6] suadeat.

Iamvero quemadmodum sacra Tridentina Synodus [7] docet, Iesus Christus in novissima Coena sacerdotium ac sacrificium Novi foe-

[1] *Hebr.* XI.
[2] Ios. Flav., *Antiquit.*, lib. XI, c. 8, n. 5 (ed. Teubner, III, 61, § 331).
[3] *Dan.* V, 1-30.
[4] *I Cor.* IV, 1.
[5] *Io* XX, 21.
[6] *Lc* II, 14.
[7] Sess. XXII, c. 1, in Mansi XXXIII, 128.

http://www.obrascatolicas.com/

deris instituit: « Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara Crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen, per mortem, sacerdotium eius extinguendum non erat, [1] in Coena novissima, qua nocte tradebatur, [2] ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur, eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, [3] atque illius virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum [4] constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecipit per haec verba: « Hoc facite in meam commemorationem ». [5]

Hoc ex tempore Apostoli eorumque in sacerdotio successores illam, quam Malachia Propheta vaticinatus est, « oblationem mundam » caelesti Numini offerre instituerunt, qua quidem divinum nomen magnum est in gentibus: [6] quaeque iam, in quavis terrarum orbis parte ac qualibet diei noctisque hora, caelo admota, ad interitum usque humani aevi perpetuo peragetur.

Vera divinae hostiae immolatio haec est, non meracum signum; quae proinde ad humanum genus cum peccatis laesa sempiterna Dei maiestate reconciliandum efficacem vim habet: « hac quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum paenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit ». [7]

Cuius rei causam enucleando explicat eadem sacra Tridentina Synodus hisce verbis: « Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa ». [8] Ex quo inenarrabilis perspicuo apparet catholici sacerdotis excelsitas, qui in idem Iesu Christi Corpus potestate praeditus, in aris prodigialiter praesens facit ac, Divini

---

[1] *Hebr.* VII, 24.
[2] *I Cor.* XI, 23.
[3] *I Cor.* XI, 24 sqq.
[4] *Ps. CIX*, 4.
[5] *Lc* XXII, 19; *I Cor.* XI, 24.
[6] *Malach.* I, 11.
[7] Sess. XXII, cap. 2, in Mansi XXXIII, 129.
[8] Ibidem.



Redemptoris nomine, aeternae Dei Maiestati gratissimam hostiam offert. « Admiranda sunt haec — iure meritoque inquit Chrysostomus — admiranda et omni stupore plena! ». [1]

At praeterea, hanc non modo in verum Iesu Christi corpus potestatem assecutus est sacerdos, sed in mysticum etiam eius corpus, hoc est Ecclesia, excelsam amplissimamque auctoritatem. Opus non est, Venerabiles Fratres, multis morari in hac pulcherrima mystici Iesu Christi corporis doctrina enucleanda, quae tantopere Paulo Apostolo cordi erat; quaeque nos docet divinam Incarnati Verbi personam itemque omnes quos veluti fratres complexus est et ad quos supernus afflatus pertinet ab eodem manans, unam efficere membrorum compagem, cuius Christus est caput. Iamvero sacerdos — ut ordinarius est fere omnium sacramentorum administer, quae quodammodo rivuli exstant, per quos Redemptoris gratia ad universam hominum communitatem defluit — idcirco « dispensator mysteriorum Dei » [2] constituitur, et eadem mystici Iesu Christi corporis membris impertiat. Itaque christifidelibus, in graviore qualibet mortalis suae vitae hora, sacerdos assidet, ut hanc eamdem gratiam, quae supernum est caelestis vitae principium, ex divinitus accepta potestate vel iisdem praebeat, vel praebitam augeat. Ubi primum in lucem editur homo, sacrorum administer ad lustralis aquae fontem eum expiat ac renovat, eidem nobiliorem ac pretiosiorem vitam impertiens, supernaturalem nempe, quae illum Dei Ecclesiaeque filium efficit; ut ad certanda spiritualia certamina strenuum magis eum reddat, sacerdos itidem, peculiari dignitate auctus, per Confirmationis Sacramentum in Iesu Christi militiam adsciscit; cum vero puer Angelorum Panem e caelo datum discernere magnique pendere potest, eum hoc viventi vitamque communicanti pabulo nutrit ac reficit. Quodsi misere labitur, eum sacrorum administer per paenitentiae sacramentum erigit ac Dei nomine auctoritateque corroborat; si autem, per coniugii munia ad Creatori suo quasi adiutricem operam praestandam deligitur, ut humanae vitae donum ad posteritatem propagetur atque adeo cum in terris christifidelium multitudo tum in sempiterna caelorum beatitate electorum numerus augeatur, tunc etiam, qua legitimus Ecclesiae testis, ei adest sacerdos, qui nuptiis eius castoque amori bene a Deo precatur. Cum denique, mortalis huius vitae exitu adventante, indigent homines virtute, in-

---

[1] *De sacerdotio,* lib. III, 4, in MG XLVIII, 642.
[2] *I Cor.* IV, 1.

http://www.obrascatolicas.com/

digent auxilio ut divini Iudicis praesentiam sustineant, etiam atque etiam Iesu Christi minister in perdolentia emorientium membra reclinatus, eosdem illitos sacro chrismate expiat ac sublevat. Itaque, postquam christifidelibus sacerdos per omnem terrenae huius peregrinationis decursum ad aeternitatis usque ianuam comitatus est, sacrorum rituum precibus, quae immortalem spem redolent, eorum exuvias ad sepulcrum effert; sed necdum sempiterni aevi compotes relinquit; quin immo, si piamine indigeant ac levamento, precum eosdem solacio adiuvat. Quapropter recti itineris ductor, levaminis salutisque administer ac caelestium donorum largitor, christianis nullo non tempore adest, ab incunabulis nempe, ad humationem, ad coelorum gaudia.

Attamen in variis potestatis suae muneribus, quae sacri ordinis vir obtinet in mystici Iesu Christi corporis utilitatem, hoc praesertim, quod supra attigimus, volumus heic enucleatius persequi; auctoritatem dicimus, « quam — ut S. Ioannis Chrysostomi sententiam mutuemur — neque Angelis, nempe Anchangelis dedit Deus », [1] scilicet remittendi peccata auctoritatem: « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt ». [2] Reformidanda sane potestas haec est, ac tam Deo propria, ut elatus ipse hominum animus impertiri posse mortalibus infitiari cogeretur: « Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? ». [3]

Ac profecto, quoniam hominem sacerdotali dignitate auctum vidimus hac eadem uti facultate, temperare Nobis non possumus quin, non Pharisaeorum more, sed venerabunda admiratione permoti, illa geminemus verba: « Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? ». [4] Atqui homo Deusque Christus, qui quidem « potestatem in terra dimittendi peccata » [5] obtinuerat et obtinet, eo consilio cum sacerdotibus eam communicare voluit, ut, divinae misericordiae largitate, expiationis necessitati succurreret, quae omnium animos sollicitat.

Maximum sane inde oritur solacium sonti cuique, qui, conscientiae stimulis anxius at paenitens, illam Dei nomine prolatam sibi sententiam audit: « Ego te absolvo a peccatis tuis ». Cum vero hoc ab eo audiat, qui ipsemet officio tenetur eamdem sententiam ab alio

[1] S. Io. Chrysost., *De sacerdotio*, lib. III, 5, in MG XLVIII, 643.
[2] *Io* XX, 23.
[3] *Mc* II, 7.
[4] *Lc* VII, 49.
[5] *Lc* V, 24.



sacerdote impetrandi, non idcirco miserentis Dei beneficium evilescit, sed excelsius effici videtur; quandoquidem Dei potius quam hominis manus inspicitur, quae rem prorsus mirandam operatur. Quapropter — ut scriptoris praeclarissimi verbis utamur, qui ea mentis acie, quam vix in laicorum ordine inveneris, de rebus etiam sacris agere sollemne habet — « ubi sacerdos, commotus vehementer animo ob indignitatem suam suorumque munerum granditatem, ad reclinatum caput nostrum sacratas manus extulerit; ubi, mente demissus quod sacri foederis sanguinis largitor effectus sit, itemque mirabundus quotiescumque vitae effectricia verba ediderit, peccator ipsemet admissis absolvit peccatorem, nos quidem ex eius pedibus erecti, rem haud indignam nos egisse reapse experimur... Siquidem ad hominis pedes provoluti sumus, qui Iesu Christi personam gerit... idque fecimus ut pretiosissimum liberorum filiorumque Dei munus adipisceremur ». [1]

Istiusmodi potestates, peculiari sacramento sacerdoti collatae, cum ex indelebili forma oriantur eius animo impressa, qua, illius instar, cuius sacerdotium participat, « sacerdos in aeternum » [2] factus est, non caducae ac fluxae, sed stabiles atque perpetuae. Etiamsi, ob humanam infirmitatem, in errores sit et in dehonestamenta prolapsus, numquam tamen sacerdotalem hanc formam suo ex animo delere poterit. Ac praeterea, non hanc dumtaxat sacerdotalem formam, non has tantummodo, de quibus diximus, excelsas potestates per Ordinis sacramentum adipiscitur sacerdos, sed nova etiam peculiarique gratia, peculiarique ope adaugetur, per quas quidem — si modo divinitus efficienti caelestium donorum virtuti, adiutrici liberaque opera sua, fideliter obsecundaverit — digne profecto nec deiectus animo poterit arduis suscepti ministerii officiis respondere, et gravissima ea munera absolvere quae vel ipsi christiani sacerdotii athletae, ut Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius Magnus, Carolus Borromaeus ceterique non pauci, tantopere reformidabant.

Huc accedit quod sacerdos minister est Christi ac dispensator mysteriorum Dei, [3] eo etiam « ministerio verbi »,[4] iure nempe, quod abalienari non potest, itemque demandato sibi ab Redemptore officio, quod praetermitti nequit: « Euntes docete omnes gentes..., do-

[1] Manzoni, *Osservazioni sulla morale cattolica*, c. XVIII.
[2] *Ps. CIX*, 4.
[3] *I Cor.* IV, 1.
[4] *Act.* VI, 4.

http://www.obrascatolicas.com/

centes eos servare quaecumque mandavi vobis ».[1] Iesu Christi Ecclesia, divinae Revelationis custos ac magistra falli nescia, caelestium veritatum thesauros quacumque per sacrorum administros propagat, illum praedicans, qui est « lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum »;[2] ac semen illud divina largitate profundit, parvulum equidem humanaeque sapientiae despectum, quod tamen, sinapis grani instar, validas altissimasque radices in eorum animos agens qui sincero studio veritati inhient, ita firma ac robusta arbor erigitur, ut ne vehementium quidem procellarum vi evelli queat.[3]

In variis erroribus, quos hominum mens peperit, exlege effrenataque licentia tumens, in profligatis moribus, quos miserrime humana nequitia invexit, tamquam turris nocturnis ignibus cursum navium regens erigitur Ecclesia Dei; quae porro omnem hinc illinc a veritate declinationem reprobat, quaeque singulis universis sequendam recto itinere viam indicat. Ac vae nobis, si haec veluti Pharos, nedum restingueretur — quod procul dubio ex non deficientibus Iesu Christi pollicitationibus umquam fieri nequit — suam tamen radiantem lucem usquequaque ne diffunderet praepediretur! Omnium iam obversatur oculis quo sit hominum genus ea de causa prolapsum, quod divinam revelationem superbe abiecerit, quodque fallacia de re philosophica ac morali commenta, quamquam fucata veri specie, sit perperam secutum. Quodsi per praeruptam errorum vitiorumque declivitatem nondum ima petiit, id profecto christianae veritatis doctrina fecit, quae ubique gentium diffunditur. Iamvero Ecclesia sibi concreditum « ministerium verbi » per sacrorum administros perficit, quos quidem, in variis ecclesiasticae hierarchiae ordinibus constitutos, quocumque gentium mittit, ut indefatigabiles illius veritatis praecones exstent, quae una potest civilem humanitatis cultum invehere, atque experrectum incolumemque servare.

Sacerdotis alloquium in omnium animos demittitur, iisdemque lucem, solacium affert; sacerdotis alloquium, vel in medio illecebrarum vortice, serenum emergit, ad virtutem adhortatur, veritatemque impavide nuntiat: illam dicimus veritatem, quae dubias humanae vitae res omnes collustrat suoque ordine componit; illam inqui-

[1] *Mt* XXVIII, 19-20.
[2] *Io* I, 9.
[3] *Mt* XIII, 31-32.



mus virtutem, quam nullus adversus casus auferre potest, ne mors quidem, quae eam potius tutam immortalemque reddit.

Si vero praecepta ex ordine reputamus, quae saepenumero sacerdos, ut sui muneris officio fideliter respondeat, inculcare debet, iisdemque vim insitam perpendimus, procul dubio perspicimus quam magnus quamque sit beneficiorum plenus ad redintegrationem morum populorumque tranquillitatem assequendam eius afflatus atque appulsus. Idque tum praesertim, cum primores tenuioresque de fugaci huius vitae cursu admonet, eosdemque docet quam fluxa sint terrena bona, quam pretiosa immortali animo spiritualium munerum adeptio, quam denique severa aeterni Iudicis sententia, qui incorrupto suo certissimoque oculorum obtutu omnium corda scrutatur « et reddet unicuique secundum opera eius ».[1] Nihil sane opportunius, quam haec aliaque id genus praecepta ad aestuantem voluptatum cupidinem mitigandam, itemque ad effrenatam coërcendam externarum rerum aviditatem, quae profecto in praesens cum tot homines corrumpant atque dehonestent, varios civitatis ordines eo compellunt ut, nedum sibi adiutricem operam praestent, inter se hostili animo dimicent. Cum vero passim nimium sui ipsius studium invalescat, cum tantae fere ubique conflagrent simultates, tantaque teterrima emergant ulciscendi consilia, nihil sane aptius magisque consentaneum, quam Iesu Christi « mandatum novum »[2] praedicare atque efferre; praeceptum nempe caritatis, quae ad omnes pertineat, non nationum populorumque finibus contineatur, ne hostem quidem excipiat atque arceat.

Siquidem per viginti fere saecula illustri praeclaroque modo experti sumus quantopere sacerdotum praecepta valeant, quibus ut « sermo Dei vivus... et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti » fideliter remittitur ac quodammodo reverberatur, ita « usque ad divisionem animi et spiritus »[3] pertingitur, ad egregia facinora ubique animi excitantur, ac nobilissimi spiritus omnibus iniiciuntur.

Quaelibet beneficia, quae civilis christiani nominis cultus in hominum societatem induxit, ex catholici sacerdotii institutione atque opera, tamquam ex remoto saltem eorum principio proficiscuntur. Id igitur bene in posterum sperare iubet, praeterquam quod

[1] *Mt* XVI, 27.
[2] *Io* XIII, 14.
[3] *Hebr.* IV, 12.

http://www.obrascatolicas.com/

« firmiorem sermonem »[1] habemus ex non deficientibus Iesu Christi promissionibus.

Atque etiam Missionalium opera, quae eam tam luculenter se dilatandi facultatem ostendit, qua ex divina virtute Ecclesia praedita est, provehitur maxime et ad felicem exitum deducitur a sacrorum administris, qui, fidei praecones caritatisque sequestres, innumeris exanclatis laboribus, divini Regni fines usque quaque proferunt atque propagant.

Sacerdos denique, hac etiam in re Iesu Christi munus persequens, qui « erat pernoctans in oratione Dei » [2] et « semper vivit ad interpellandum pro nobis »,[3] publicus ex officio extat ad Deum pro omnibus deprecator: eidem in mandatis est non modo proprium verumque altaris sacrificium Ecclesiae nomine caelesti Numini offerre, sed etiam « sacrificium laudis » [4] communesque preces; iis nempe psalmis, supplicationibus et canticis, quae magna ex parte a sacris Litteris mutuatur, cotidie iterum atque iterum debitum Deo adorationis munus persolvit, atque necessarium eiusmodi impetrationis officium pro hominibus perficit, anxiis sollicitisque hodie, si umquam alias, divinoque auxilio egentibus. Ecquis poenas enumerando dixerit, quas sacerdotales preces e praevaricantium hominum capite arceant; et quot quantaque beneficia iisdem impetrent atque impertiant?

Si vel privata supplicatio tam sollemnibus pollet magnisque a Iesu Christo datis pollicitationibus, [5] at preces, quae Ecclesiae nomine, dilectae nempe Redemptoris sponsae, ex officio funduntur, maiore procul dubio vi virtuteque fruuntur. Quapropter christiani homines, quamvis in prosperis rebus nimio saepius sint Dei immemores, naturali tamen instinctu ducti, admotas Numini preces omnia posse fidenti animo sentiunt, atque adeo in omnibus huius vitae adiunctis ad eas confugiunt, easdemque a sacris administris in publico privatoque discrimine adhibendas impetrant: a precanti sacerdote omne genus infortunati solacium flagitant; ad eumdemque, in terrenae huius peregrinationis exsilio, coelestem opem imploraturi, adeunt. Reapse « medius stat sacerdos inter Deum et huma-

[1] *II Petr.* I, 19.
[2] *Lc* VI, 12.
[3] *Hebr.* VII, 25.
*Ps. XLIX*, 14.
*Mt* VII, 7-11; *Mc* XI, 24; *Lc* XI, 9-13.



nam naturam: illinc venientia beneficia ad nos deferens, nostras preces illuc perferens, Dominum iratum reconcilians ». [1]

Ceterum, quod supra attigimus, ipsi Ecclesiae adversarii magnam catholici sacerdotii dignitatem ac vim idcirco percipere atque perpendere videntur, quod illud primis vehementioribusque nisibus lacessunt, probe noscentes quam arctissimis vinculis Ecclesia sacrorumque administri contineantur. Ac praeterea qui acrius hodie in sacerdotium dimicant, caeleste iidem Numen infitiantes hostili animo impugnant: quod profecto honore maximo maximaque aestimatione dignos sacri ordinis homines efficit.

## II

Amplissima igitur est, Venerabiles Fratres, sacerdotalis dignitas; neque huius altissimae dignitatis splendori officiunt quorumdam, etsi lamentabilia ac miseranda, ob humanam infirmitatem admissa; eodemque modo haec ipsa paucorum admissa praeclaras tot sacerdotum laudes — virtute, doctrina, religionis studio martyrioque facto insignium — in oblivionem adducere non possunt. Idque eo vel magis quod hominis indignitas ministerii sui operam non irritam reddit: siquidem exploratum omnino est administri indignitatem sacramentorum vim non attingere, quae ex sacratissimo Iesu Christi sanguine, non ex sacerdotum sanctitate, suam repetunt efficacitatem; ea scilicet aeternae salutis instrumenta, ut theologicae disciplinae verbis utamur, « ex opere operato » actionem suam exserunt.

Perspicuum tamen est eiusmodi dignitatem, in iis omnibus qui eadem insigniti sunt, illam excelsitatem mentis, animi munditiam morumque integritatem postulare, quae sacerdotalis muneris maiestati sanctitatique respondeant. Hoc, ut diximus, sacerdotem constituit Deum inter hominesque conciliatorem, ex illius nempe persona ac mandato, qui est « unus mediator Dei et hominis, homo Christus Iesus ». [2]

Eum igitur oportet ad eius perfectionem propius pro facultate accedere, cuius partes gerit; seseque vitae operumque probitate gratiorem cotidie Deo reddere; quandoquidem plusquam suave turis effluvium, plusquam sacrarum aedium nitorem, virtutem Deus aestimat ac diligit. « Quia (ordinati) efficiuntur medii inter Deum et ple-

[1] S. Io. Chrysost., *Homil. 5 in Isaiam.*
[2] *I Tim.* II, 5.

http://www.obrascatolicas.com/

bem — ut ait S. Thomas — ideo debent bona conscientia nitere quoad Deum et bona fama quoad homines ».[1]

At contra, si quis res sacras agit atque administrat, vitamque improbandam gerit, is profanum facit, ac sacrilegus efficitur: « Qui sancti non sunt, sancta tractare non debent ».[2]

Quamobrem iam in Veteris Testamenti litteris sacerdotibus ac levitis suis Deus praeceperat: « Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos ».[3] Ac sapientissimus rex Salomon, in dedicandi templi cantico, hoc nominatim filiis Aaron a Deo impetrat: « Sacerdotes tui induant iustitiam, et sancti tui exsultent ».[4] Iamvero, Venerabiles Fratres — S. Roberti Bellarmini verbis utimur — « si tanta iustitia et sanctitas et alacritas requirebatur in sacerdotibus illis, qui sacrificabant oves et boves et laudabant Deum pro temporalibus beneficiis; quid, quaeso, requiritur in sacerdotibus illis, qui sacrificant divinum Agnum, et gratias agunt pro beneficiis sempiternis? »[5] « Magna quippe Praelatorum dignitas — S. Laurentius Iustinianus inquit — sed maius est pondus: in alto gradu ante oculos hominum positi sunt, oportet quoque ut in sublimi virtutum culmine sint erecti coram oculis cuncta cernentis; alioquin non ad meritum, sed ad proprium praesunt iudicium ».[6]

At reapse, rationes omnes, quas, ut catholici sacerdotii excelsitatem demonstraremus, iam breviter attigimus, nunc iterum Nostro obversantur animo, ut ad absolutae sanctimoniae officium, quo sacrorum administri tenentur, vehementer eosdem adhortemur. Etenim, quemadmodum Angelicus Doctor edocet, « ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi, qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis ».[7] Siquidem Eucharisticum sacrificium, quo innocens victima immolatur, hominum peccata delens, peculiari quodam modo postulat, ut sacerdos, per vitae sanctitudinem morumque integritatem, digniorem pro viribus se Deo impertiat, cui cotidie adorandam illam colendamque hostiam offert, quae ipsum est Dei Ver-

[1] *Summ. Theol., Suppl.*, q. 36, a. 1, ad 2.
[2] C. 6, D. LXXXVIII.
[3] *Levit.* XXI, 8.
[4] *Ps. CXXXI*, 9.
[5] *Explanat. in Psalmos*, Ps. CXXXI, 9.
[6] *De instit. et regim. prael.*, c. 11.
[7] *Summ. Theol., Suppl.*, q. 35, a. 1, ad 3.



bum, caritate nostrum homo factum: « Agnoscite quid agitis, imitamini quod tractatis »[1] Ecclesia verbis Episcopi consecrantis diaconum admonet, qui mox sacerdotali honore augendus est.

Est praeterea sacri ordinis vir divinarum gratiarum largitor, quarum sacramenta sunt veluti fontes; at profecto istiusmodi largitorem vel pretiosa illa carere gratia, vel mancum illius esse aestimatorem segnemque custodem, summopere dedecet. Accedit quod fidei veritas est ab eodem docenda; atque numquam religionis disciplinae digne efficienterque traduntur, nisi cum virtus huius institutionis dux est atque magistra, secundum illud « verba movent, exempla trahunt ». Ab eo itidem est evangelica lex praedicanda; attamen, si optat ipsemet ut hanc eamdem legem qui audiant amplectantur, nihil aptius, nihil validius, divina gratia aspirante, hoc obtinet, quam si christiana plebs sacrae veritatis praeconem cernat, tradita ab se praecepta suae ipsius vitae probitate diligenter observare. Cuius causae ratio perspicue a S. Gregorio Magno hisce verbis explanatur: « Illa vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo praecipit, ostendendo adiuvat ut fiat ».[2] Ita profecto Sacrae Litterae nos docent divinum egisse Redemptorem, qui « coepit facere et docere »;[3] atque eidem multitudines laetis vocibus acclamavisse, non modo quod « numquam sic locutus fuisset homo, sicut hic homo »,[4] sed idcirco potissimum quod « bene omnia fecisset ».[5] Contra vero, « qui dicunt et non faciunt » cum scribis et pharisaeis comparari possunt, quos Christus redarguens — incolumi divini verbi, quod legitime nunciabant, auctoritate — eiusmodi sententia audientem populum admonuit: « Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere ».[6] Quisquis suo ipsius vitae exemplo veritatem, quam impertit, non commendat, ipse procul dubio quod hinc excitat, inde miserrime destruit. At Deus, contra, eorum Evangelii praeconum laboribus obsecundat benigneque aspirat, qui primum, data opera sollerter, ad suam ipsorum sanctimoniam assequendam toto pectore incumbant: ita enim affatim emergunt ac dehiscunt flores eorum irrigati sudore;

[1] *Pontif. Rom.*, de ordinat. presbyt.
[2] *Ep.*, lib. I, ep. 25, in ML LXXVII, 470.
[3] *Act.* I, 1.
[4] *Io* VII, 46.
[5] *Mc* VII, 37.
[6] *Mt* XXIII, 2, 3.

http://www.obrascatolicas.com/

turgent ac pubescunt fructus: atque adeo, maturatis messibus, « venientes venient cum exsultatione portantes manipulos suos ». [1]

Animadvertendum tamen est sacrorum administrum in gravissimum erroris discrimen incidere, si haud recto studio illectus atque compulsus, propriam sui ipsius sanctimoniam praetermittens, externis, etsi probandis, sui muneris inceptis nimio ardore se dedat. Hac etenim si ratione agat, non modo aeternam sui salutem ancipitem incertamque reddat — quemadmodum, hisce verbis usus, gentium Apostolus sibi metuebat: « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar » [2] — sed etiam, ut divinae gratiae iacturam non faciat, procul dubio tamen illum bene suadentis Spiritus Sancti impulsum amiserit, qui mirabilem prorsus vim atque efficacitatem externis attribuit apostolatus operibus.

Ceterum, si christianis omnibus illud praeceptum est: « Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est », [3] eo magis sacrorum administri haec eadem divini Magistri verba ut sibi potissimum impertita reputent iubentur, qui peculiari Numinis instinctu ad arctiorem Iesu Christi imitationem vocati sunt. Quamobrem Ecclesia omnibus e cleri ordine gravissimum eiusmodi severe inculcat officium, quod suis legibus inseruit: « Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere eisque virtute et recte factis in exemplum excellere ». [4] Et quoniam sacerdos « pro Christo legatione fungitur », [5] ita vivat necesse est, ut ea Apostoli verba ad se referat: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi »; [6] ita vivat ut alter Christus, qui virtutis suae fulgore hominum universitatem collustrabat atque collustrat.

At si omnium virtutum chorus in sacerdotali animo virescat oportet, sunt tamen quaedam, quae peculiari modo sacros administros addeceant. Imprimisque pietas, secundum illud Apostoli gentium, carissimum sibi Timotheum adhortantis: « Exerce... te ipsum ad pietatem ». [7] Etenim, cum rationes illae necessitudinesque, quae cum caelesti Numine sacerdoti intercedunt, tam arctae tamque

[1] *Ps.* CXXV, 6.
[2] *I Cor.* IX, 27.
[3] *Mt* V, 48.
[4] Can. 124.
[5] *II Cor.* V, 20.
[6] *I Cor.* IV, 16; XI, 1.
[7] *I Tim.* IV, 8.



intimae crebraeque sint, liquido patet easdem suavi pietatis effluvio coniungi ac veluti perfundi omnino oportere; ac quoniam pietas « ad omnia utilis est », [1] eadem est potissimum ad sacerdotale munus necessaria. Pietate posthabita vel neglecta, actiones, etsi sanctissimae, augustioresque ritus ex more assuetoque modo fient; quandoquidem iisdem proculdubio spiritus vitaeque afflatus deerit. Quamquam, Venerabiles Fratres, pietas, de qua loquimur, non levis illa est atque externa, quae, etsi collibet atque blanditur animo, non eum tamen nutrit neque ad sanctimoniam assequendam compellit; at solidam illam potius intellegi volumus, quae, sensuum aestibus non obnoxia, ita certissimae doctrinae principiis firmoque animi iudicio innititur, ut, qui ea polleat, ingruentibus illecebrarum motibus obsistere queat.

Quae profecto, tametsi ad caelestem Patrem potissimum erigenda est, nihilo secius in Deiparam etiam Virginem feratur; eam enim sacrorum administri incensiore quodam caritatis studio, quam laicorum ordinis homines, idcirco adamare debent, quod, ut rationum vincula, quibus sacerdos cum Iesu Christo coniungitur, arctiora sunt, ita necessitudines, quae Mariae cum Divino Redemptore intercedunt, impensiores quidem exstant.

Praeclarissimum aliud, pietatique coniunctissimum, catholici sacerdotii ornamentum est ea morum castimonia, quam ut omnino diligenterque observant Latinae Ecclesiae clerici, maioribus Ordinibus initiati, tam gravi iubentur officio, ut, si deliquerint, sacrilegii rei eo ipso evadant. [2] Quodsi eiusmodi lex Orientalis Ecclesiae administros non omnino tenet, iisdem tamen etiam ecclesiasticus caelibatus honori ducitur; atque interdum — cum praesertim de summis agitur hierarchiae gradibus — necessario requiritur atque praecipitur.

Cum sacerdotali ministerio hanc virtutem congruere vel humanae tantummodo rationis ope evincitur; quandoquidem enim « spiritus est Deus », [3] consentaneum prorsus videtur qui divino famulatui addicatur, eum quodammodo « corpore se exuere ». Iam Romani veteres id decorum esse inspexerant; siquidem antiquissimam hanc legem: « Ad divos adeunto caste » maximus eorum orator proferens, hisce verbis interpretatur: « Caste iubet lex adire ad deos,

[1] Ibid.
[2] Can. 132, § 1.
[3] *Io* IV, 24.



http://www.obrascatolicas.com/

animo videlicet, in quo sunt omnia; nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet intellegi, cum multum animus corpori praestet obserueturque, ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis ».[1] Atque in Veteris Testamenti codicibus Aaron filiisque eius Dei nomine a Moyse praeceptum erat ut per hebdomadam, qua eorum consecratio perficeretur, e Tabernaculo ne exirent, ideoque continentiam per eos dies servarent.[2]

Atqui ab Novae Legis administro, qui Veteris Legis sacerdoti tantopere praestat, maior castitatis mundities procul dubio requiritur. Prima sacri caelibatus lineamenta in tricesimo tertio Eliberitani Concilii canone describuntur,[3] saeculo videlicet ineunte quarto habiti, cum adhuc saeviret christiani nominis insectatio; quod profecto rem iamdudum in more fuisse testatur. Hoc autem legis praescriptum nihil aliud facit nisi ut cuidam, ut ita dicamus, postulato, quod ex Evangelio Apostolorumque praedicatione oritur, vim praebeat atque addat. Quod Divinus Magister, quem « florem Matris Virginis »[4] canimus, castitatis donum tanta aestimatione prosecutus est, ut id supra communem hominum virtutem efferret;[5] quod inde a teneris unguiculis in Nazarethana domo cum Maria et Iosepho, virginibus utrisque, educari voluit; quod integros castosque animos, Ioannis nempe Baptistae et Evangelistae, peculiari caritate dilexit; quod denique gentium Apostolus, fidelis ille evangelicae legis doctrinaeque Christi interpres, inaestimabiles virginitatis laudes praedicat — ad sollertiorem praesertim Dei famulatum quod attinet: — « Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo »;[6] haec omnia, Venerabiles fratres, non efficere non poterant, ut Novi Foederis administri et caeleste lectissimae virtutis huius invitamentum experirentur, et eorum numero eniterentur adscisci « quibus datum est capere verbum istud »,[7] et observantem huic instituto obtemperationem sibi sponte imponerent, quod deinceps, in universa Latina Ecclesia, gravissimo ecclesiasticae auctoritatis praecepto sancitum est. Siquidem, quarto exeunte saeculo,

---

[1] M. T. CICERO, *De leg.*, lib. II, c. 8 et 10.
[2] *Lev.* VIII, 33-35.
[3] Conc. Eliberit. (ca. 300), can. 33, in MANSI II, 11; HEFELE-LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, I-I, 212 sqq.
[4] *Brev. Rom.*, Hymn. ad Laudes in festo Ssmi Nom. Iesu.
[5] *Mt* XIX, 11.
[6] *I Cor.* VII, 32.
[7] *Mt* XIX, 11.



Carthaginense Concilium adhortatur: « ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus ».[1]

Neque vel praeclarissimorum orientalium Patrum documenta desunt, quae ecclesiastici caelibatus praestantiam efferant, quaeque testentur, hac etiam de re inter Latinam Orientalemque Ecclesiam tunc temporis consensionem iis in locis viguisse, in quibus severiori disciplinae obtemperaretur. Itaque — ut illustriora exempla adhibeamus — S. Epiphanius, quarto item exeunte saeculo, asseverat caelibatum ad subdiaconos usque pertinere: « Eum qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi ordinem admittit (Ecclesia), sed eum dumtaxat qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus; quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici canones accurate servantur ».[2] At disertus prae omnibus videtur hac super causa S. Ephraemus Syrus, Diaconus Edessenus universaeque Ecclesiae Doctor, qui « Spiritus Sancti cithara merito appellatur ».[3] Is nimirum Abraham Episcopum, amicum suum, per haec numeris adstricta verba, alloquitur: « Respondes nomini tuo, Abraham, quia tu quoque factus es pater multorum; sed quia tibi non est uxor, sicut Sara Abraham, ecce grex tuus est uxor tua. Educa filios eius in veritate tua, fiant tibi liberi spiritus et filii promissionis ut fiant heredes in Eden. O fructus pulcher castitatis, in quo sacerdotium complacuit, ... cornu efferbuit et unxit te, manus incubuit tibi et elegit te, Ecclesia optavit et dilexit te ».[4] Atque iterum: « Non sufficit sacerdoti et nomini eius, offerenti vivum corpus, purgare animum et mundare linguam et expurgare manus et clarum reddere totum corpus, sed omnino purus esse debet omni tempore, quia positus est sicut mediator inter Deum et genus humanum. Laudetur ille, qui mundavit ministros suos! »[5] Hoc pariter Chrysostomus asseverat: « sacerdotium obeuntem ita purum esse debere, ac si in caelis inter Potestates illas collocatus esset ».[6]

Ceterum ipsa christiani sacerdotii excelsitas, itemque, ut S. Epi-

---

[1] Conc. Carthag. II (390), can. 2, in MANSI III, 191.
[2] S. EPIPHAN., *Adversus haeres. Panar.*, 59, 4, in MG XLI, 1024.
[3] *Brev. Rom.*, die 18 iunii, lect. VI.
[4] *Carmina Nisibaena*, carm. 19.
[5] Ibid. carm. 18.
[6] *De sacerd.*, lib. III, c. 4, in MG XLVIII, 642.

http://www.obrascatolicas.com/

phanii sententia utamur, eius « incredibilis honor et dignitas », [1] quam supra breviter presseque attigimus, summum evincit caelibatus decus illiusque legis opportunitatem, qua eiusmodi institutum sacris altaris administris praecipitur: qui officio fungitur, quod muneri quodammodo praestat supernorum spirituum « qui astant ante Dominum », [2] nonne omnino consentaneum est eum caelestem pro viribus vitam agere? Qui « in iis, quae Domini sunt » [3] totus esse debet, nonne eum a terrenis rebus abhorrere, eiusque « conversationem in caelis esse » [4] addecet? Qui ad aeternam hominum salutem ita sedulo continenterque contendat oportet, ut divinam Redemptoris operam pro sua parte persequatur, nonne eum opportunum est a propriae familiae curis animum vacuum solutumque habere, quae non mediocrem navitatis suae partem abstraherent ac distinerent?

Grande sane spectaculum est incensaque admiratione dignum, quod tam crebro in catholica Ecclesia evenit, iuvenes nempe levitas cernere, qui, antequam Subdiaconatus ordini initientur, antequam scilicet divino famulatui ac cultui se omnino dedant, ultro libenterque polliceantur sese gaudiis atque solaciis esse abdicaturos, quae in alio vitae instituto honeste capessere possent. Ultro libenterque dicimus; namque, si, sacro ordine suscepto, iam non integrum iisdem neque liberum est terrenas nuptias inire, ad sacra tamen amplectenda munia nulla lege nullave persona coacti accedunt, sed propria cuiusque sua permoti voluntate. [5]

Nihilo secius quae adhuc, ecclesiasticum caelibatum commendantes, verba fecimus non idcirco intellegi volumus, ac si Nobis in mente esset absimilem illam disciplinam quodammodo improbare ac redarguere, quae in Orientalem Ecclesiam legitime invecta est; sed revera animus Noster eo unice spectat, ut eam veritatem efferamus, quam et praeclarissimam ducimus catholici sacerdotii gloriam, et quae videtur Nobis Sacratissimi Iesu Cordis consilii ac votis, ad sacerdotum animos quod attinet, dignius aptiusque respondere.

Ac praeterea terrenarum rerum continentia, haud minus quam castitatis amore, sacrorum administri excellant. Cum homines cer-

---

[1] *Advers. haeres. Panar.*, 59, 4, in MG XLI, 1024.
[2] *Tob.* XII, 15.
[3] *Lc* II, 49; *I Cor.* VII, 32.
[4] *Philipp.* III, 20.
[5] Can. 971.



nere est omnia pecunia vendere, omnia pretio mercari, per vitiorum illecebras gradiantur illi nimio sui ipsius studio expertes; atque indignam quaestuum cupiditatem sancte respuentes, non rei nummariae sed animarum emolumenta quaerant, non suam ipsorum, sed Dei gloriam affectent atque expetant. Non mercenarii sunto, qui idcirco laborant, ut sui operis mercedem assequantur; non eorum instar, qui, quamquam ex officio vacant demandato sibi muneri, suae tamen privatae etiam utilitati inhiant et ad altiora contendunt. Sint « boni milites Christi », qui « non implicant se negotiis saecularibus, ut ei placeant, cui se probarunt »; [1] sint Dei administri animarumque patres; ac mente reputent quam impendunt operam, quibus aestuant sollicitudinum studiis, non eadem posse hominum thesauris honoribusque compensari ac redimi. Quodsi iisdem haud vetitum est ea percipere, quae ad semet ipsos alendos ac sustentandos necessaria sunt, secundum illud Apostoli: « Qui altari deserviunt, cum altari participant, ... et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere »; [2] attamen, « in sortem Domini vocati », quemadmodum ipsum « clericorum » nomen sonat, nullam aliam appetant mercedem, nisi eam, quam Christus suis Apostolis spopondit; « Merces vestra copiosa est in caelis ». [3] Vae sacerdoti, si divinarum pollicitationum immemor, « turpis lucri cupidum » [4] se proferat, et in profanum hominum vulgus se trudat atque immisceat, de quibus Ecclesia Apostoli verbis conqueritur: « Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi! » [5] Ita enim non modo demandato sibi muneri deesset, sed etiam concreditae plebi despicatui haberetur, quae procul dubio eius agendi rationem animadverteret evangelicis praeceptis repugnare, quae et divinus Magister luculenter edidit, et ipsemet populo suo nunciare debet: « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea demolitur et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in coelo ». [6] Si animo perpendimus Iudam, unum ex Christi Apostolis, « unum ex duodecim », ut summa cum maestitia Evangelistae referunt, ob iniquam terrenarum rerum cupidinem ad interitum esse ruinamque prolapsum, facile intellegitur

---

[1] *II Tim.* II, 3, 4.
[2] *I Cor.* IX, 13, 14.
[3] *Mt* V, 12.
[4] *Tit.* I, 7.
[5] *Philipp.* II, 21.
[6] *Mt* VI, 19, 20.

http://www.obrascatolicas.com/

hoc idem aviditatis studium per saeculorum decursum tot tantaque peperisse Ecclesiae detrimenta. Cupiditas etenim, quae a Spiritu Sancto « radix omnium malorum »[1] vocatur, ad quodlibet flagitium rapere hominem potest; quodsi eatenus non processerit, sacerdos tamen, eiusmodi vitii contagione infectus, consulto inconsulte, Dei Ecclesiaeque inimicis adsciscitur, eorumque improbis consiliis adiutricem dat operam.

At contra, germana illa atque sincera ab externis bonis continentia omnium animos sacerdoti conciliat; idque eo vel magis quod cum animo ab terrenis rebus alieno, qui intima christianae fidei virtute enutriatur, incensa illa nullo non tempore coniungitur erga omne genus calamitatum miseratio, quae Dei administrum miserorum patrem efficit; quos ille, Iesu Christi sententiae memor: « quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis »,[2] veluti Redemptorem ipsum singulari caritate colit atque complectitur.

Itaque sacri ordinis vir, ab eiusmodi vinculis expeditus, quae eum nimio arctius cum terrenis rebus devincirent — ab propriae nempe familiae vinculis suarumque utilitatum nexibus — satius profecto caelesti illo amoris igne inflammabitur, animarum dicimus amorem, qui e penetralibus Iesu Christi Cordis erumpit, quique nihil aliud nititur, nisi ut apostolicos animos attingat hominumque universitatem incendat.[3] Hunc divinae gloriae hominumque salutis ardorem — ut de Redemptore evenisse sacris Litteris edocemur —[4] Ecclesiae administrum urere ac veluti consumere oportet, ita quidem ut, se suisque commodis posthabitis, semet ipse excelso suo muneri omnino dedat, omniaque cotidie impensius experiatur, ut demandati officii partes satius in dies latiusque expleat.

Ecquid potest sacerdos evangelii praecepta meditari, bonique Pastoris questum percipere dicentis: « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere »;[5] itemque cernere « regiones quia albae sunt iam ad messem »,[6] qui « Domino messis » indefatigabilem se operarium impertiat, incensoque studio ita excitetur, ut errantes eiusmodi oves ad rectum iter adducat? Numquid potest tot tamque frequentes multitudines videre « ia-

[1] *I Tim.* VI, 10.
[2] *Mt* XXV, 40.
[3] *Lc* XII, 49.
[4] Ps. LXVIII, 10; *Io* II, 17.
[5] *Io* X, 16.
[6] *Io* IV, 35.



centes sicut oves non habentes pastorem »[1] — non modo in longinquis ab Missionalibus excolendis regionibus, sed, proh dolor, in urbibus et in pagis etiam in quibus iam diu viget christianum nomen — quin ipse vehementem commiserationem illam participet, quae divinum Iesu Christi animum tantopere continenterque affecit?[2] Sacerdotem dicimus, qui probe novit se « verba vitae aeternae habere » suisque e manibus regenerationis salutisque opes oriri posse? Utique caelesti Numini immortales grates agimus, quod eiusmodi apostolici ardoris lux, praeclarum veluti ornamentum, sacrorum administrorum frontem illuminat; quodque cernere Nobis licet, haud mediocri cum paterni animi solacio, Nostros Venerabiles Fratres ac dilectos filios — Episcopos nempe ac sacerdotes — quasi in confertum lectissimumque agmen coeuntes, ita Summi Ecclesiae Moderatoris invitamento respondere, ut citatiore cotidie gradu ad ultimos usque terrarum orbis fines eo consilio procedant, quo pacifera et aspera veritatis adversus errorem, lucis adversus tenebras, Divini Regni contra Satanae regnum, certamina certent.

At vero ex hoc ipso quod catholicus sacerdos promptus est strenuusque miles, necessitate consequitur ut is disciplinae spiritu, immo etiam — ut christiano more loquamur — oboedientiae studio imbuatur; illius dicimus oboedientiae, qua ut varii ecclesiasticae hierarchiae ordines concinne congruenterque continentur, ita « certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur et regitur, cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis sacerdotes... consecrantur, et ex multis et alternae dignitatis membris unum corpus Christi efficitur ».[3] Hanc eamdem oboedientiam sacrorum administri, adhuc a sacerdotio recentes, suo cuiusque Episcopo spoponderunt; atque itidem Episcopi, quo die ad sacerdotii culmen evecti sunt, eo die supremo adspectabilique rei catholicae rectori, beati Petri successori ac Iesu Christi Vicario, sanctissimis verbis adiuraverunt.

Istiusmodi igitur obtemperationis officium varios hierarchiae ordines eiusque membra cotidie arctius inter se et cum Pontifice Summo ita coniungat, ut reapse militantem Ecclesiam Dei osoribus terribilem reddat « ut castrorum aciem ordinatam »;[4] idemque eorum studio moderetur, qui nimio concitentur ardore; iis, qui languore vel inertia laborent, stimulos adiiciat; suas cuiusque partes,

[1] *Mt* IX, 36.
[2] *Mt* IX, 36; XIV, 14; XV, 32; *Mc* VI, 34; VIII, 2, etc.
[3] *Pont. Rom.*, de ordinat. presb.
[4] *Cant.* VI, 3, 9.

http://www.obrascatolicas.com/

propria cuiusque munera unicuique tribuat; in eademque exsequenda ita quilibet se impendat, legitimae ut numquam auctoritati obsistat; quod profecto non alio pertineret, nisi ut amplissimam Ecclesiae operam praepediret. Accipiat quisque suorum moderatorum normas ut ipsius Iesu Christi praecepta; qui vere unus est, cui omnes obtemperemus, catholicae religionis dux et auctor, quique pro nobis « factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis ». [1]

Divinus enim summusque sacerdos absolutissimam suam Aeterno Patri oboedientiam nobis singulari quodam modo patefieri voluit; cuius quidem oboedientiae frequentissima sunt in prophetarum evangelistarumque codicibus testimonia: « Ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... tunc dixi: ecce venio; in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam ». [2] « Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me ». [3] Itemque e cruce pendens, non antea caelestis Patris manibus animam suam tradidit, quam sollemniter asseveraret ea omnia, quae Sacrae Litterae de semetipso praenuntiavissent — hoc est munus sibi a Patre concreditum ad arcanum illum usque quaestum « sitio », quem « ut consummaretur scriptura » [4] edidit — omnino expleta esse.

Qua procul dubio in agendi ratione id nominatim declaratum voluit, vel incensissimum nempe animarum studium oportere divino nutui nullo non tempore omnino subiiciatur; semper nimirum ad eorum voluntatem idem conformetur, hierarchicos dicimus legitimosque moderatores, qui caelestis Patris personam gerunt, eiusque iussa nobiscum communicant.

Verumtamen catholici sacerdotis lineamenta, quae Nos in totius orbis luce collocare cupimus, haud omnino illustrata verbisque definita pateant, si aliud sacerdotalis animi ornamentum, doctrinam scilicet, praetermittamus quam Ecclesia in eo postulat. Ille nimirum, cum a Christo Iesu officium munusque acceperit docendi veritatem: « Docete... omnes gentes », [5] « magister in Israel » [6] constituitur. Salutis praecepta tradere iubetur; quae quidem praecepta debet, ut gentium Apostolus admonet, « sapientibus et insipientibus » [7] im-

[1] *Philipp.* II, 8.
[2] *Hebr.* X, 5-7.
[3] *Io* IV, 34.
[4] *Io* XIX, 28.
[5] *Mt* XXVIII, 19.
[6] *Io* III, 10.
[7] *Rom.* I, 14.



pertire. Atqui, quomodo poterit doctrinam cum ceteris communicare, si eadem instructus ornatusque non sit? Per Malachiam prophetam Spiritus Sanctus praemonet: « Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius »; [1] ac nemo profecto, in sacerdotis sapientiae commendationem, graviora poterit, quam ea, admonita edere, quae caeleste ipsum Numen per Oseam edidit: « Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi ». [2] Necesse igitur est sacri ordinis virum omnes de catholica fide deque moribus disciplinas ita callere, ut easdem ceteris proponere queat, itemque dogmata, leges Ecclesiaeque cultum, cuius administer exsistit, christifidelibus explanare possit; atque adeo oportet religionis ignorantiam, quae — quamvis humanarum rerum scientia mirabiles prorsus processus fecerit — multorum tamen mentes obumbrat, eloquii sui luce virtuteque collustret atque dispellat. Quod dilucide Tertullianus admonet: « Hoc unum gestit interdum (veritas), ne ignorata damnetur », [3] hodie, si umquam alias, animo reputare peropportunum est. Debet praeterea sacerdos praeiudicatas falsasque opinationes, quas aggesserit adversariorum simultas, e mentibus arcere; aetatis huius hominibus, veritatis appetentissimis, eamdem serena praebere sinceritate; incertos adhuc animos, vel dubitatione laborantes, erigere, confirmare, et ad securum illius catholicae fidei portum, quam edocti fortiter amplectantur, tuto fidenterque adducere; pertinacibus denique protervi erroris incursionibus strenuum opponere animosumque pectus ac non perturbatam solidamque virtutem.

Sacerdos igitur, Venerabiles Fratres, etsi sui muneris occupationibus curisque distentus, altiora pro viribus gravioraque Theologiae studia repetat, atque adeo illius adiumentis doctrinae, quam in Seminario hausit, uberiorem cotidie addat sacrarum disciplinarum eruditionem, qua quidem magis magisque ad concionandum animosque regendos idoneus evadat. [4] Idem praeterea, ut concrediti officii decus postulat, utque fidem aestimationemque populi, quemadmodum addecet, sibi conciliet — quod procul dubio pastoralem operam suam efficientiorem reddet — illa vel profanarum scientiarum copia praeditus esto, quas hodie exculti homines commune veluti patrimonium habent; sancte videlicet esto suorum temporum

[1] *Malach.* II, 7.
[2] *Os.* IV, 6.
[3] TERTULL., *Apolog.*, c. 1, in ML I, 309.
[4] Can. 129.

http://www.obrascatolicas.com/

progressionibus necessitatibusque non impar, eodem nimirum modo, quo catholica Ecclesia aetates omnes omnesque gentes complectitur, bona cuiusvis incepta fovet ac provehit, ac veri nominis scientiarum, etsi audaces, ad altiora processus, nedum metuat, adiuvat. Semper equidem cleri homines in quibuslibet humanae doctrinae itineribus praecessere alacres; immo etiam aliquando ita primum agmen assecuti sunt, ut nihil aliud nisi « litteris eruditum » clerici nomen sonaret. Non modo Ecclesia incolumes humanitatis veteris codices servare enisa est, qui absque sua ac monachorum ope pessumdati ac fere omnino deperditi essent, sed per suorum etiam illustrium Doctorum operam in perspicuo posuit humanas omnes cognitiones catholicae fidei explanationi tuitionique inservire posse. Cuius profecto rei Nosmet ipsi, vel recens exemplum praebuimus praeclarissimum, cum sanctorum coelitum Doctorumque infula insignem illum decoravimus summi Aquinatis magistrum, Albertum dicimus Teutonicum, quem iam eiusdem aetatis homines Magnum universalemque Doctorem nuncupantes venerabantur.

Nunc, procul dubio, a sacri ordinis viris hoc contendere non possumus ut in omni scientiarum campo primas ipsi ferant; iam siquidem humanae doctrinae rationes atque opes tam magnae sunt, ut nemo unus possit, nedum ceteris in quibuslibet eius partibus praestare, eas omnino complecti. Iis tamen e cleri ordine animum addere prudenti consilio opportunum est, qui peculiari voluntatis suae inclinatione virtutisque dotibus praediti, ad unam alteramve e disciplinis et artibus — quae tamen ecclesiastici muneris professionem non dedeceat — sese vocari quodammodo sentiant; quandoquidem hoc, si suis contineatur finibus moderateque Ecclesiae praeceptis regatur, in eiusdem Ecclesiae ornamentum ac decus, eiusque Capitis Iesu Christi gloriam procul dubio redundat. Atque itidem ceteris sacrorum administris omnibus non satis esto ea disciplinarum cultura animum exornare suum, quae superioris aevi necessitatibus par fuisse videatur, sed reapse altiorem plenioremque omne genus doctrinam potiri iidem enitantur, quae ad elatissimum illum amplissimumque gradum pertingat, ad quem nostra in praesens aetas, valde revolutis saeculis praestans — ut in universum de scientiarum pervestigationibus loquamur — data diligenter opera provecta est.

Quodsi Deus interdum, « ludens in orbe terrarum », [1] homines, nostris etiam temporibus voluit, harum, de quibus loquimur, disciplinarum copia fere omnino expertes, ad sacerdotalem dignitatem provehere, per eosdemque rerum mirabilia operari; id eo consilio procul dubio evenit, ut pluris a nobis sanctimonia quam doctrina fiat, utque nos fidem nostram, potius quam in humana, in divina ope collocemus: imo etiam, hac de causa, nobis peropportunum est salutarem illam sententiam identidem repetere intentoque animo reputare: « Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes... ut non glorietur omnis caro in conspectu eius ». [1] Attamen, quemadmodum in naturae ordine divina rerum miracula vim naturalium legum momento temporis intermittunt, sed easdem non abrogant; ita eiusmodi homines — in quibus vitae sanctitas cetera omnia quodammodo compensat atque explet — ut prorsus sunt superna virtute praediti, praeceptorum veritatem necessitatemque, quae Nos inculcando tradidimus, nedum demant, non minuunt.

¹ *Prov.* VIII, 31.



Iamvero, quod sacrorum administri, ut diximus, virtutis sapientiaeque laudibus in exemplum eniteant oportet, ut ab iisdem « bonus odor Christi » [2] usque quaque effundatur, hoc in praesens idcirco magis magisque opportunum ducimus, quod catholicorum hominum Actio — illud nempe inceptum, quod nos tantopere solatur ac reficit, quodque animos ad excelsiora excitat perfectionis fastigia — laicorum ordinis homines arctius cum sacerdotibus coniungit, ut et hos adiutrici opera adiuvent, et doctrinae duces, christianae vitae studiique apostolici exempla omnino habeant.

## III

At si tam grandis est catholici sacerdotii dignitas, si tam eximias postulat animi dotes, consequitur indidem, Venerabiles Fratres, necessarium omnino esse ut sacrorum alumni recta consentaneaque ratione instituantur. Necessitatis huius sibi conscia ac memor Ecclesia nihil fortasse magis, per saeculorum decursum, actuosa maternaque sollicitudine provexit, quam idoneam suorum conformationem sacerdotum. Ea siquidem non ignorat, quemadmodum populorum mores eorumque christianae fidei professio e cleri opera pendent, ita eamdem operam ex accepta a sacrorum administris institutione vim haurire suam, cum in eos etiam illa Spiritus Sancti sententia cadat: « adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non rece-

¹ *I Cor.* I, 27, 29.
² *II Cor.* II, 15.

http://www.obrascatolicas.com/

det ab ea ».[1] Quamobrem ipsamet, Numinis instinctu ducta, Seminaria esse ubicumque gentium instituenda decernit, in quibus singulari cura sacri ordinis alumni educentur. Quotquot igitur, Venerabiles Fratres, gubernandae Ecclesiae munus Nobiscum participatis, Seminaria veluti in oculis feratis oportet; eademque praecipuae sunto vestrarum curarum partes. Diligens imprimis esto moderatorum magistrorumque delectus atque illius, peculiari modo, cui gravissimum concredatur officium sacerdotalis animorum conformationis. Sacris eiusmodi conlegiis sacerdotes tribuite maxima virtute ornatos; neque gravemini eos e muneribus abstrahere, specie quidem maioris ponderis, quae tamen cum hac capitali re, cuius partes nulla alia susceperit, comparari nequeunt. Aliunde etiam eos exquirite, ubicumque ad pernobile hoc institutum aptos idoneosque inveniatis. Eiusmodi sunto, ut sacerdotales virtutes exemplo vel magis quam alloquio doceant; atque ita doctrinam impertiant, ut fortem, virilem et apostolicum animum in sacrorum alumnis effingant. Eorum opera, pietas, castimonia, morum studiorumque disciplina in Seminario efflorescant; atque instituendi iuvenes et in praesens adversus vitiorum illecebras et in posterum contra ea quae ingruant, gravioris momenti discrimina — quibus quidem obsistant oportet, « ut omnes faciant salvos » —[2] sedulo praemuniantur.

Utque qui futuri sunt sacerdotes, illam, ut diximus, quam tempora postulant, doctrinam assequi valeant, id gravissimum officium est, ut, posteaquam classicas, quas vocant, disciplinas calluerint, *scholasticam* philosophiam affatim imbibant, recteque in eadem se exerceant « ad Angelici nempe Doctoris rationem, doctrinam et principia ».[3] Haec « philosophia perennis », quemadmodum Decessor Noster immortalis memoriae Leo XIII eam vocabat, non dumtaxat iisdem necessaria est ut altius christianae veritatis capita speculentur, sed etiam ut, adversus quaslibet nostrae huius aetatis fallacias, communiantur, et in quavis, quam instituturi sint, studiorum pervestigatione eorum mentis acies ita exacuatur, ut vera dispicere magis aptiusque possint quam ii, qui huius philosophicae sint institutionis expertes, quantumvis ampliore eruditione praediti.

Quodsi, ut alicubi contingit, vel angustiores Dioecesis fines, vel exigua eademque lamentabilis alumnorum copia, vel denique ido-

[1] *Prov.* XXII, 6.
[2] *I Cor.* IX, 22.
[3] Can. 1366, § 2.



neorum hominum rerumque penuria non concedant ut Episcopus quisque proprium optimeque instructum Seminarium habeat — ad normas nempe Codicis Iuris Canonici,[1] ceterasque Ecclesiae praescriptiones — tum summopere opportunum est ut sacri eiusdem regionis Antistites vires fraterno animo coniungant, easque in commune Seminarium conferant, quod nobilissimo demandato muneri omnino respondeat.

Haud mediocres, quae inde orientur, utilitates procul dubio suscepta incommoda atque impensas resarcient; ac vel id, quod Episcoporum animos nonnumquam maestitia afficit — suos nimirum sacrorum alumnos cernere ab Pastore per temporis spatium abstractos, qui apostolicum, quo flagrat, studium in suos laboris socios transfundere percuperet, itemque a locorum finibus abductos, ubi aliquando ipsimet suam navabunt operam — id etiam, dicimus, satis superque idcirco compensabitur quod eos stato tempore excipient illa spiritualium rerum copia institutos conformatosque, quam maiore cum Dioecesis suae profectu, ceteris impertient. Quapropter id genus incepta non modo Nos provehere atque fovere numquam intermisimus, sed eadem etiam, occasione data, suasimus ac vehementer commendavimus. Ac pro Nostra parte, ut omnes norunt, magnis impensis curis grandique pecunia, haud pauca istiusmodi Seminaria, ubi necessitas hoc postulare videbatur, aut e solo excitavimus, aut amplificata voluimus, aut aptiora denique reddidimus; idque, quod in Ecclesiae utilitatem, si unquam aliud, cessurum esse reputamus, et in posterum, iuvante Deo, accuraturi sumus.

Hoc veruntamen, quod laudabiliter eo nititur, ut sacrorum alumni quam rectissime instituantur, parum sane profectus pepererit, si eorum delectus, quorum causa Seminaria exstant, haud consentanea diligentia fiat. Ad quem quidem delectum omnes, pro virili cuiusque parte, adiutricem operam conferant, quotquot cleri conformationi praeponuntur. Moderatores nempe, animorum disciplinae rector, ac confessarii — ad sui tamen cuiusque muneris fines ac terminos — quemadmodum hanc, divino instinctu inditam, ad ineundum sacerdotium inclinationem omni ope fovere ac roborare debent, ita eos eodem diligentiae studio opportunoque tempore a sacro Ordine arceant, quos non idoneos perspexerint atque adeo inutiles ad digne sacerdotalia officia sustinenda. Ac quamvis aptius sit haud nimio serius ad hanc electionem devenire, quod mora soleat

[1] Can. 1352-1371.

http://www.obrascatolicas.com/

hisce de rebus et errores inducere et detrimenta afferre, attamen, quaelibet remorandi causa fuerit, cum primum e recto itinere deerratum esse aperte patuerit, tum, nullo habito hominum respectu, vitio medendum est. Quibus vero hanc ineundi deliberationem officium est, eos non falsi nominis misericordia moveat, quae non modo in Ecclesiam, cui quidem iners vel indignus administer praeberetur, sed in iuvenem ipsum crimen evaderet, qui via deceptus, summo cum aeternae salutis discrimine, sibi ceterisque offensioni esset.

Neque is, qui prudenti vigilantique cura Seminario praeest, quique concreditos sibi iuvenes, alium ex alio, studiosa sollicitudine prosequitur, eorumque mentis dotes inpulsionesque diligenter rimatur, perdifficulter dispexerit atque compererit quisnam ex iis ad suscipiendum sacerdotium superno nutu advocetur. Quae quidem ad sacra capessenda munia proclivis inclinatio, uti probe nostis, Venerabiles Fratres, potiusquam ex intimo conscientiae invitamento sensuumque motu, quae interdum deesse possunt, ex recta eorum propensione eruitur intentioneque mentis qui sacerdotio inhiant, cum iis corporis animique virtutum ornamentis coniuncta, quae eosdem ad hoc officium amplectendum idoneos reddant. Qui ad sacrum huiusmodi institutum ea una nobilique de causa contendit, ut divino famulatui animarumque saluti se dedat, simulque et solidam pietatem et probatam vitae castimoniam, et consentaneam, ut diximus, doctrinam assecutus est vel assequi nititur, is profecto, ut perspicuo patet, ad sacerdotale ministerium a Deo vocatur. At qui, contra, ab improvidis forsan parentibus compulsus, hoc idem eo consilio complecti velit, ut terrena, quae captanda prospexerit, emolumenta ac commoda potiatur — quod quidem elapso tempore crebrius contingere poterat; — qui ab disciplina obtemperationeque plerumque abhorreat, parum sit ad pietatem proclivis, nec satis laboris animarumque salutis studiosus; qui, peculiari modo, ad libidinis illecebras sese pronum impertiat, neque iam diu experiendo ostenderit illius dehonestamenta effugere posse; qui denique ad disciplinarum studia ita haud idoneus evadat, ut portendi liceat praescriptum eorum curriculum non posse eum, satis moderatoribus facientem, perficere; hi omnes ad sacrum hoc munus ineundum non nati aptique sunt: atque adeo si ab Seminarii aedibus opportuno tempore non arceantur, difficilius in posterum inde se abducere poterunt, ac forsitan, quamquam non divino instinctu neque sacerdotalis animi studio ducti, gravissimi tamen huius officii vinculis se obstringent. Perpendant igitur Seminariorum rectores, animadvertant ii qui in id genus



domiciliis vel iuvenum animis moderantur vel sacras confessiones excipiunt, quam magni periculi — ad Deum, ad Ecclesiam et ad ipsos iuvenes quod attinet — auctores fiant, si suas cuiusque partes omni ope non expleant, ne eiusmodi erratum perpetretur. Quod vero diximus spiritualis etiam disciplinae moderatores itemque sacros confessarios hoc discrimen, pro concredito officio, in se recipere; hoc ita intellegendum est non quasi iidem possint extrinsecus quoque ac publice operam proferre suam — quod immo vel ex religiose suscepto munere, vel ex inviolabili sacramenti secreto iisdem vetitum est — sed ita potius, ut in cuiusque iuvenis animum efficacem vim exserant, eosque firma paternaque constantia regant, prout assequenda sempiternae salutis bona postulent. Quamobrem ipsi — tum praesertim, cum externae rei moderatores vel neutiquam, vel enervate ac languide, suas partes peragant — non aptos aeque atque indignos, humano nullo habito respectu, pro officio iubeant e sacris Seminarii saeptis, dum tempus est, recedere; aeque in causa pertractanda tutiorem semper sententiam amplectantur, quae quidem, ad rem quod attinet, multo magis sacrorum alumnis favet, cum eos ex itinere avertat, per quod ad aeternam ruinam adduci possent.

Quodsi interdum non luculenter satis huiusmodi officium pateat, eam saltem iidem auctoritatem adhibeant quae ex sibi credito munere paternaque in alumnos caritate oritur, ut eos ad sponte sua ab instituto recedendum inducant, quos non ita, ut oportet, animatos noverint. Habeant alte confessarii illa in animis insculpta, quae S. Alphonsus de Ligorio haud absimili de causa docet: « Ut plurimum, quo severius (hac in re) confessarius cum paenitentibus agit, eo tutius ipsorum saluti consulit; ac contra, eo se duriorem paenitentibus praestat, quo ipsis se faciliorem impertit. S. Thomas a Villanova confessarios id genus, aequo nempe leniores, *impie pios* vocabat. Huiusmodi caritas contra caritatem repugnat ».[1]

At rei, de qua dicimus, periculum in Episcopum, uti perspicuum est, potissimum recidit, cui ex districto Ecclesiae iure imperatur ut « sacros ordines nemini conferat, quin ex positivis argumentis moraliter certus sit de eius canonica idoneitate; secus non solum gravissime peccat, sed etiam periculo sese committit alienis communicandi peccatis ».[2] Quod legis praescriptum hanc S. Pauli ad Timotheum sententiam quodammodo refert: « Manus cito nemini

---

[1] S. Alf. M. de' Liguori, *Opere asc.*, vol. III, ed. Marietti, 1847, p. 122.
[2] Can. 973, § 3.

http://www.obrascatolicas.com/

imposueris, neque communicaveris peccatis alienis ».[1] « Quid est cito manus imponere — quemadmodum S. Leo Magnus, Decessor Noster, commentatur — nisi ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum oboedientiae, ante experientiam disciplinae, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis nisi et talem effici ordinantem, qualis est ille qui non meruit ordinari? »;[2] quandoquidem, ut Chrysostomus, Episcopum alloquens, dicit: « Peccatorum eius tam praeteritorum quam futurorum tu quoque poenam dabis, qui illi dignitatem dedisti ».[3]

Gravissima hac sententia, Venerabiles Fratres, maximopere formidolosum significatur onus, quo perterritus insignis Mediolanensium Episcopus S. Carolus Borromaeus aiebat: « Qua in re modica etiam negligentia mea maximam irrogare mihi potest culpam ».[4] Saluberrimum igitur S. Ioannis Chrysostomi monitum amplectamini: « Non post primam probationem, nec post secundam, vel tertiam, sed postquam circumspexeris et accurate examinaveris, tunc impone manus ».[5] Quod quidem de candidatorum sanctimonia in primis intellegatur oportet. Auctore enim piissimo Episcopo et Doctore, Alphonso nempe Maria de Ligorio: « Non sufficit quod Episcopus nihil mali noverit de ordinando, sed debet fieri certus de eius positiva probitate ».[6] Hac in causa, nimiae austeritatis invidiam, quae facile inde oritur, posthabentes, ita concredito vobis iure officioque utamini, ut hanc experimentis cognoscendam probitatem in antecessum expostuletis, ac, si quid dubii relictum fuerit, ad aliud tempus sacrorum ordinum collationem prolatetis. « Apta namque — ut S. Gregorius Magnus egregie docet — aedificationibus de silvis succiduntur, nec tamen adhuc viridibus aedificii pondus imponitur, nisi eorum viriditatem multorum dierum mora siccaverit et apta ad necessarium usum effecerit; quae observantia si forte negligatur, citius superimposita mole franguntur »;[7] cui comparationi haec Angelici Doctoris dilucida verba apprime resonare videntur: « Ordines sacri praeexigunt sanctitatem... unde pondus ordinum

[1] *I Tim.* V, 22.
[2] S. Leo Magnus, *Epist.* 12, in ML LIV, 647.
[3] S. Io. Chrysost., *Hom.* 16 *in Tim.*, in MG LXII, 587.
[4] S. Carol. Borr., *Hom. ad ordinandos*, die 1 iunii 1577, in *Homiliae*, ed. bibl. Ambros. Mediolani, 1747, t. IV, pag. 270.
[5] S. Io. Chrysost., l. c.
[6] S. Alph. M. de' Liguori, *Theol. mor. de Sacram. Ordin.*, n. 803.
[7] S. Gregor. Magn., *Epist.*, lib. IX, ep. 106, in ML LXX, 1031.



imponendum est parietibus iam per sanctitatem desiccatis... ab humore vitiorum ».[1]

Ceterum si, quoad suae cuiusque sunt partes, ecclesiasticis praescriptis plene perfecteque fuerit satisfactum itemque normis obtemperatum, quas hac super re per Sacrum Consilium Sacramentorum disciplinae praepositum paucos abhinc annos edidimus,[2] causae profecto magnam partem demovebuntur, cur catholica Ecclesia lacrimas fundat simulque christianus populus in sacerdotum moribus offendat. Ac verba Nostra hoc loco ad supremos moderatores Religiosorum Ordinum convertentes, eos monitos vehementer volumus, ut in instituendis ad sacerdotium alumnis, si quos forte habeant, non modo legibus obsequantur, non secus ad eos[3] atque ad saecularem clerum a Nobis datis, sed ad se etiam ea omnia spectare arbitrentur, quae hactenus de sacra iuventute colenda in universum perdocuimus; ea vel etiam de causa, quod Episcopus religiosos iuvenes sacris ordinibus initiaturus, ad moderatorum suorum iudicium rem ut plurimum defert.

Nec quidquam de debita severitate vel Episcopi vel religiosarum sodalitatum rectores remittant, eo ducti metu, ne aut in Dioecesi aut in religioso Instituto sacerdotum copia imminuatur. Hanc opinionis captionem S. Thomas Aquinas, ut iam occupaverat, ita, quo erat ingenii acumine sententiarumque planitate, revicerat: « Deus numquam ita deserit Ecclesiam suam, quin inveniantur idonei sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur et indigni expellerentur ».[4] Ceteroqui praeclarissimus idem Doctor, verba Concilii Oecumenici Lateranensis IV[5] ex verbis propemodum reddens, peropportune monet: « Si non possent tot Ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset habere paucos Ministros bonos quam multos malos ».[6] Qua quidem cum magni ponderis sententia id plane concinit, quod frequens Episcoporum ex Italia multitudo tum a Nobis excepit, cum undique gentium sacrorum alumni Romam convenerunt, iubilarem sacerdotii Nostri memoriam celebrandi causa; monuimus videlicet pluris esse procul dubium unum tantum-

[1] S. Thom. Aquin., *Summ. Theol.*, 2-2, q. 189, a. 1, ad 3.
[2] Instructio S. C. de Sacr. *Quam ingens*, diei 27 decembris 1930, in *AAS* XXIII (1931), 120-129.
[3] N. 363.
[4] S. Thom. Aquin., *Sum. Theol.*, *Suppl.*, q. 36, a. 4, ad 1.
[5] Conc. Later. IV (1215), can. 22, in Mansi XXII, 1010.
[6] S. Thom. Aquin., l. c.



http://www.obrascatolicas.com/

modo sacerdotem haberi, qui sit omni ex parte ad sacerrimum officium suum institutus, quam plures, qui aut nihil aut parum sint ad idem conformati. In his enimvero nihil spei Ecclesia reponere potest, ut ei non sit potius horum causa effuse lugendum.[1] Reformidandae equidem aliquando, Venerabiles Fratres, a nobis reddendae erunt rationes Pastorum Principi[2] eidemque supremo animarum Episcopo,[3] si populos rectoribus inertibus imperitisque magistris permiserimus!

At quamquam eorum qui probe sacrae iuventuti fingendae impendunt studia, nullo pacto oportet praecipuas curas de alumnorum copia esse, omnium tamen est conari ut, spiritualibus publicae rei augescentibus necessitatibus, strenuae simul peritaeque in vinea Domini operae augeantur. Cuius quidem optimae rei assequendae rationem prae ceteris efficacem adituque omnibus facilem, precandi nimirum assiduitatem, ex Iesu Christi praecepto commendamus, qui dixit: « Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam ».[4] Num qua vota sacratissimo Redemptoris Cordi his gratiora susceperimus? Quandonam citius copiosiusque nobis precantibus satis speremus fieri, quam cum haec rogamus, quae tantopere cum divinissimi illius Cordis studiis consentiunt? » « Petite — igitur — et dabitur vobis »;[5] precando videlicet, bonos sanctissimosque sacerdotes Ecclesiae suae a Deo excitari efflagitate. Non deerit profecto supplicationibus ille vestris, qui si tales nullo non tempore per saecula impertiit sacerdotes, vel frequentiores tunc largitus est, cum temporum morumque cursus magis videbatur sacrorum alumnis conscribendis inimicus; cuius rei, ut ceteros praetermittamus, testimonio sunt praestantissimi viri saeculo XIX ex utroque clero exorti; in quibus, siderum praecipuae magnitudinis instar, tres illi sanctitatis heroes, ob egregia etsi absimilis generis facinora, eminent, quos Ipsimet, summo cum animi solacio, in Sanctorum album rettulimus: Sanctos dicimus Ioannem Mariam Vianney, Iosephum Benedictum Cottolengo et Ioannem Bosco.

Nihilominus nullae ex homini permissis industriis curisque ne-

[1] Cfr. *L'Osservatore Romano*, an. LXIX, n. 21.022, an. 1929, n. 176, 29-30 luglio 1929.
[2] *I Petr.* V, 4.
[3] *I Petr.* II, 25.
[4] *Mt* IX, 37, 38.
[5] *Mt* VII, 7.



glegendae sunt, quae illuc in primis spectent ut, in generosis iuvenum animis divinitus acceptus afflatus quam diligentissime excitetur; quapropter et merita laude hoc loco extolimus, et, fausta cupientes, Nostra commendatione vehementer saluberrima illa praedicamus opera sedulaque incepta, Sancti quidem Spiritus instinctu exorta, quae, vel tuendis, vel provehendis iuvandisve ad sacerdotalia munia animorum propensionibus maxime conducant. Ita ut illud appareat a S. Vincentio a Paulo, insignis caritatis viro verissime dictum: « Quantumcumque cogitatione effecerimus, semper utique experiemur ad maioris momenti institutum numquam nos conferre potuisse operam, quam si bonos sacerdotes excitaverimus ».[1] Re enim ipsa nihil sive summo Dei numini acceptius, sive catholicae Ecclesiae honestius, sive denique hominum animis muneri dari salubrius potest, quam sancti sacerdotes. Si qui igitur calicem aquae ex Christi discipulis minimo praebuerit « non perdet mercedem suam »,[2] quam mercedem pretiumque eos esse laturos arbitramini, qui sacrum Calicem, Redemptoris sanguine rubescentem, integris adulescentis levitae manibus quasi porrexerint, eidemque iuveni, in extollendo ad caelum tanto pacis ac prosperitatis pro hominibus pignore veluti adiutores accesserint?

Atque heic denuo gratissimo animo Nostro Actio illa Catholica succurrit, tantopere a Nobis imperata, provecta atque propugnata, quae, ut laicos homines cum ecclesiastica hierarchia communione laborum coniungit, ita facere haudquaquam potest quin hoc tam magni ponderis negotium ad se potissimum pertinere putet. Enimvero pernobilem hanc militiam ut quovis christiane coeptorum genere, ita maxime praecellere libentissime videmus; cui plane laudandae navitati id Deus praemii tribuere amplissime videtur, ut quam plurimos e iuvenum consociationibus ad utrumque clerum educat atque deligat. Quod praeterea argumento est quam recte Actio Catholica vel cum frugifero agro comparari possit, ubi virtutum omne genus semina contineantur, vel verius cum diligenter consaepta impigreque exculta areola, ubi fragrantiores suavioresque flosculi, a periculis remoti, dehiscant. Intelligant igitur sodales quanto hisce de causis honore Actio Catholica afficiatur; habeantque sibi omnes persuasum laicos homines nullo potius pacto quam augendis utriusque cleri ordinibus, illam « regalis sacerdotii » se dignitatem

[1] Cfr. P. Renaudin, *St. Vincent de Paul*, chap. V.
[2] *Mt* X, 42.

http://www.obrascatolicas.com/

participaturos, quam Apostolorum Princeps universae redemptorum hominum multitudini asseruit. [1]

Verum enim vero, praecipuum nativumque viridarium, ubi propagandos in sacra ephebea flores germinare atque emergere oportet, est procul dubio habendus domesticus convictus, qui christiane quidem sapiat, christianeque agat. Re enim ipsa constat sacrorum Antistitum ac sacerdotum plerosque « quorum laudem nuntiat Ecclesia »[2] tum dignitatis tum sanctimoniae suae germina vel a patre accepisse christiana fide ac virtute spectato, vel a matre castimoniae ac pietati apprime dedita, vel a tota denique familia, cuius membra caritatis in Deum atque in proximos integre perfecteque formam referrent.

Quod contra minus saepe fit, clarius convincit quid sit ex communi providentissimi Dei ordine statutum. Ubi namque familia tam sancte sit informata ut parentes, Tobiae et Sarae progenitorum instar, frequentem a Deo deposcant posteritatem « in qua benedicatur nomen Domini in saecula saeculorum » [3] grateque coeleste donum carissimumque pignus divinitus acceptum, subolem nempe, a primis aetatulis ad Dei timorem, ad incensum erga Iesum eucharisticis velis delitescentem atque erga Deiparam Virginem amorem, ad sacrorum denique virorum locorumque observantiam effingant et alant; ubi liberis semet ipsos parentes absolutum probitatis, laboris, ac pietatis exemplar proponant; ubi item liberi parentes suos videant inter sese amare, sacra saepe per annum participare, ac non modo statis ab Ecclesia diebus certo ciborum genere abstinere ac ieiunii legi obtemperare, sed voluntariae etiam corporis castigationis studio permoveri; ubi cunctam videant in unum congregatam familiam communes Deoque gratas fundere preces; ubi iidem praeterea videant parentes, misericordia ductos, proximorum egestati pro potestate opitulari; tunc non contingere non potest ut et omnes filii vitam cuiusque suam parentum exemplis conforment, et unus saltem huic Divini Magistri assentiat vocatui: « Veni sequere me » [4] et « faciam te fieri piscatorem hominum ». [5] O fortunati coniuges qui, si ea animi excelsitate non sunt, ut, quod superioribus saeculis quam nunc crebrius fieri consueverat, divinos istiusmodi invitatus filiis suis precando a Deo concilient, cum tamen hi ad

[1] *I Petr.* II, 9.
[2] *Eccli.* XLIV, 15.
[3] *Tob.* VIII, 9.
[4] *Mt* XIV, 21.
[5] *Mt* IV, 19.



sacerdotalia munera vocantur, tantum abest ut iisdem obsistant, ut etiam insigni honore sese affectos, familiamque suam peculiari caritatis pignore donatam arbitrentur.

At vero, vel ex iis qui in catholica fide se iactant, parentes saepenumero non desunt — praesertim in sublimioribus atque eruditioribus Civitatis ordinibus — qui non modo aegre ferant Deo mancipari filios suos, verum etiam huic delectui eiusmodi fallaciis obniti non vereantur, quibus carissime subolis simul divinitus facta selectio, simul fides aeternaque salus periclitentur. Quae pessima exempla, e quibus necessario proficiscitur ut populi primores nonnisi perpaucos sacerdotali cohorti suppeditent adulescentes, non minori nunc probro ipsis vertunt, quam, anteactis temporibus, ad ecclesiastica ministeria vel invitos vel ineptos adegisse filios. [1] Etenim, si hodiernae vitae oblectamenta, si innumerabiles corruptelarum illecebrae, quae in frequentioribus nominatim urbibus iuventuti struuntur, si discendi ludi multis locis praecipua in causa sunt, cur in nobilium atque opulentorum domibus Christo invitanti, ut plurimum, aures non dentur, diffitendum tamen non est id palam quoque facere quatenus in huiusmodi domibus catholicae fidei acies hebescere coeperit. Si namque christiani coniuges ad fidei praecepta res omnes referrent, quamnam iidem filiis suis ampliorem dignitatem, quodnam munus exoptarent excellentius illo, quod hominum angelorumque religione dignum esse declaravimus? Res ipsa antiquo ac peracerbo experimento confirmat multas lacrimas tum liberis suis, tum sibi nullius consilii parentes excussisse, qui proditione quadam — vocem hanc ne habeatis aequo duriorem — subolem suam a divino delectu abduxissent. Atque utinam eorum lacrimae ne adeo effundantur serius, ut in aeternitatis aevum eliciantur.

## IV

Nunc autem vos, dilecti filii, patris animo compellamus, quotquot ex utroque clero ubique gentium versamini. Atque vobis « gloriae nostrae et gaudio » [2] qui « pondus diei et aestus » [3] viriliter animoque magno sustinentes, Nobis et Nostris in Episcopatu Fratribus adiutores in Christi pascendo grege vos impertimini, grata

[1] Can. 971.
[2] *I Thess.* II, 20.
[3] *Mt* XX, 12.

http://www.obrascatolicas.com/

equidem cum voluntate de impensis actuose laboribus, stimulos, ut tempora postulant, admovemus. Quo enim inclinatior videtur aetatis cursus, eo a vobis, qui « estis sal terrae, estis lux mundi », [1] acriores animi viresque ad hominum salutem paratiores optimo iure deposcuntur.

Sed, ut quam confertis operam, aspirante iuvanteque Deo, optatorum fructuum copiam pariat, vitae sanctitate excellatis oportet. Hoc praecipuum catholici sacerdotis ornamentum adeo valet, ut, eo remoto, ceterae animi laudes nihil fere possint; eo vero praesente, etsi ceterae dotes non eminent, res tamen mirabiles peragi possint; quod — ut duo instar plurium sint — S. Iosephus a Copertino ostendit, et recentiore aetate demississimi ille animi vir, Ioannes M. Vianney, quem universis animarum curatoribus exemplum eumdemque caelestem patronum statuimus. Quam ob rem « videte — cohortatione ad vos utimur Doctoris gentium — videte vocationem vestram »; [2] quia si haec animo cogitationeque contemplati fueritis, facere neutiquam poteritis, quin cotidie pluris gratiam aestimetis, vobis sacros suscipientibus ordines collatam, atque spiritus strenue sumatis ut « digne ambuletis vocatione, qua vocati estis ». [3]

Quod maxime salutare propositum ut ad effectum deducatis, uberi vobis fructui illud fore non dubitamus institutum, quod fel. rec. Decessor Noster Pius X in piissima ac saepe vobis pervolvenda « Exhortatione ad clerum catholicum » [4] potioribus rationibus accenset quibus sacerdotalis gratia alatur atque augeatur; quodque Nosmet ipsi haud semel, opportunitate data, ac praesertim per Encyclicas Litteras *Mens Nostra* [5] et christifidelibus omnibus enixe, et sacerdotibus enixius praecepimus: Spiritualia dicimus Exercitia. Et quemadmodum quinquagesimum sacerdotii Nostri natalem exeuntem apud filios Nostros utilius atque salubrius commemorandum non putavimus, quam si per Encyclicas, de quibus diximus, Litteras, eis auctores vehementer essemus ut in vitam aeternam salientem aquam [6] ex hoc iugi fonte derivarent, qui providentis Dei consilio in Ecclesia scatet; eodem sane modo nunc vos, dilecti filii, eo Nobis cariores quo Nobiscum elaboratis constantius ad

---

[1] *Mt* V, 13-14.
[2] *I Cor.* I, 26.
[3] *Ephes.* IV, 1.
[4] Litt. ap. *Haerent animo*, diei 4 augusti 1908, in *ASS* XLI (1908), 555-577.
[5] N. 355.
[6] *Io* IV, 14.



Christi regnum inter homines stabiliendum, maximopere iterum vos hortandos putamus, viam hanc sanctimoniae adipiscendae ne praetermittatis. Immo vero meliore qua poteritis ratione, pro datis a Nobis normis, identidem secedite ad sacras animi meditationes instituendas, non per temporis dumtaxat spatia, ecclesiasticis legibus praescripta, [1] sed, quoad licuerit, saepius etiam atque diutius; ac praeterea singulis mensibus, ab cotidianis negotiis remoti, peculiari secessui diem destinate, ut semper fuit piorum sacerdotum in more. [2]

E sacris huiusmodi secessibus id etiam profluere utilitatis quandoque potest, ut qui « in sortem Domini » non a Christo ipso adscitus, sed terrenis suis consiliis ductus venerit, « resuscitare gratiam Dei » [3] possit; nam cum et is iam sit Christo Ecclesiaeque perpetuo vinculo addictus, facere idcirco non potest quin illud S. Bernardi non amplectatur: « Bonas fac de cetero vias tuas et studia tua et ministerium sanctum: si vitae sanctitas non praecessit, sequatur saltem ». [4] Quae communiter a Deo datur gratia, daturque peculiari ratione sacramentum Ordinis suscipienti, haud dubie eidem, si modo reapse velit, opitulabitur non minus ad emendandum quod initio a se fuerit vitiose forte positum, quam ad sui muneris accuranda et exsequenda officia.

Omnes vero, cum e sacris hisce secessibus ac commentationibus abscedetis, fieri non potest quin incensior comitetur erga Deum caritas, de proximorum salute laboriosior sollicitudo, contra mundanas fallacias contentio vigilantior: quae omnia, si unquam alias, nostris potissimum temporibus, sacerdotes addecent, ubi si ex altera parte fides tam misere torpet vitaeque mores ad mollitiem labuntur: ex altera tamen, late in populis recalescente in Deum pietate, Spiritus Sanctus terrarum orbem ideo afflare cernitur, ut illum effectrice virtute sua renovet sancteque redintegret. [5] Quo si Spiritus Sancti afflatu vos eritis ipsi perfusi, tum divini amoris flammam, veluti ineluctabile incendium, in tantopere agitatum humanum genus inferentes, christiano sensu penitus illud imbuetis, atque adeo illud ad salutem adducetis, quippe cui, praeter Christum, qui est « vere Salvator mundi », [6] nulla iam salutis spes reliqua sit.

---

[1] Can. 126, 595, 1001, 1367.
[2] N. 355.
[3] *II Tim.* I, 6.
[4] *Epist.* 27, *ad Ardut.*
[5] *Ps.* CIII, 30.
[6] *Io* IV, 42.

http://www.obrascatolicas.com/

Sed ante quam scribendi finem facimus, ad vos iuvenes, qui ad sacerdotium adulescitis, mente cogitationeque Nos studiose convertimus, quamque maxime vos hortamur, ut ad praestantissimum, quod appetitis munus, diligenter digneque componatis animos. Vobis enim omnes innituntur Catholicae Ecclesiae et populorum spes; cum a vobis omnes salutis aeternae opes rationesque expectentur, quarum caput est agens illa et efficax Dei ac Christi Iesu cognitio, in qua sempiterna hominum vita vertitur. [1] In eo igitur opera vestra nunc praecipue certet, ut vosmet ipsos pietate, castimonia, vestri despicientia, obtemperatione, disciplina doctrinarumque studiis ornantes, tales aliquando exsistatis sacerdotes, quales Christus vos esse iubet. Vobis nimirum omnino persuasum habeatis quantumvis constantiae ac diligentiae illuc intenderitis, ut ita vestros conformetis animos, numquam sane vos esse, praeter quod res postulat, allaboraturos, quippe cum exploratum probe sit ex huiusmodi institutione vestra frugiferam sacerdotalis muneris perfunctionem fore magnam partem manaturam. Quapropter, omni quo potestis studio et contentione, efficite, ut iam nunc iis animi ornamentis fulgeatis, quae Ecclesia sacris vos initiatura ministeriis per haec verba a vobis postulabit: « Caelestis sapientia, probi mores et diuturna iustitiae observatio vos commendet », ut videlicet « sit odor vitae vestrae oblectamentum Ecclesiae Christi, ut praedicatione atque exemplo aedificetis domum, idest familiam Dei ». [2]

Ita solummodo catholici sacerdotii laudes per vos etiam in populorum admirationem usque florebunt, ac plurimum operis conferetis et ipsi, ut quam primum dies ille auspicatissimus civili hominum convictui illucescat, quo « Pacis Christi in Regno Christi » beneficiis cumulatissime perfruemur.

Extremum, daturi publice vobis, Venerabiles in Episcopatu Fratres, universisque, per vos, ex utroque clero filiis, grati ac benevolentis animi Nostri testimonium ob impigre idcirco collocatam operam, ut e celebrato divinae Redemptionis iubilari anno uberes perciperentur a fidelibus fructus; itemque facturi, ut perenni consignata monumento, diuturnior illius memoria et laus vigeat sacerdotii, cuius omnes Dei administri non intermissam communicant potestatem, opportunum duximus, adhibita in consilium Sacra Congregatione

---

[1] *Io* XVII, 3.
[2] *Pont. Rom.*, de ordinatione presbyt.



catholicis ritibus tuendis, propriam Summi et aeterni Sacerdotis Iesu Christi votivam Missam apparari, unaque cum hisce Litteris in lucem edi; quae quidem Missa, quavis feria quinta, ad liturgicas normas, celebrari poterit.

Iam nihil aliud restat, Venerabiles Fratres, quam ut Apostolicam ac paternam Benedictionem iis omnibus dilargiamur, qui eam a communi Patre expetunt ac praestolantur; quae sane, ut ex grato proficiscitur animo ob tot tantaque a superna largitate per iubilares divinae Redemptionis celebrationes impertita beneficia, ita mox exorienti anno sit felix faustumque omen.

*AAS* XXVIII (1936), 5-53; *Enchir. Cler.* 1379-1399; *Sylloge*, 197.

## SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

### 368

### De indulgentiis pro recitatione divini officii coram Ss. Sacramento a novitiis quoque et studentibus lucrandis

(Decretum *Quo ferventi*, diei 31 martii 1937)

Quo ferventi studio Ssmus D. N. Pius Pp. XI, quem difficillimis hisce temporibus supremum pastorem et rectorem Ecclesiae suae Deus praeesse voluit, Ssmae Eucharistiae honorem fovere cultumque amplificare et propagare indesinenter curet, paene innumera gloriosi sui Pontificatus acta testantur, quorum non ultimum insignes favores spirituales impertiti clericis in maioribus ordinibus constitutis, qui divinum officium vel aliquam eius partem coram Ssmo Sacramento, seu publicae venerationi solemniter exposito, seu etiam in sacro tabernaculo, ut de more, asservato, pie recitaverint. [a] Hac eadem mente, ut scilicet ineffabilis huius mysterii, miraculorum a Christo factorum maximi, Eiusque erga homines ardentissimae caritatis memorialis perpetui, cultores atque adoratores et numero et merito magis magisque in dies augeantur, nuperrime Sanctitas Sua, libentissime excipiens preces infrascripti Cardinalis Maioris Paenitentiarii, iam diu et pluribus ex orbis partibus ad id vehementer sollicitati, in audientia die 13 currentis mensis et anni eidem concessa, Indulgentias omnes et singulas pro recitatione divini officii

---

[a] *Enchir. Cler.* 1535, in notis.

http://www.obrascatolicas.com/

coram Ssmo Sacramento, ut supra dictum est, clericis in maioribus antea elargitas, ad clericos omnes, inde a prima tonsura, nec non ad novitios et studentes quorumcumque Institutorum Religiosorum, sive qui forte ex proprii Instituti constitutionibus, sive etiam qui nullo adhuc titulo ad eam recitationem adstringantur, benevolentissime, sub iisdem clausulis et conditionibus, suprema Sua auctoritate, extendere dignata est; mandans ad quos spectat ut suam hanc gratiam, modo quo solet, quamprimum publici iuris fiat. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

*AAS* XXIX (1937), 284-285; *Enchir. Cler.* 1535.

369

**Vota religiosa renovantibus indulgentiae conceduntur**

(Decretum diei 10 aprilis 1937)

*Religiosis cuiusvis Ordinis et Congregationis, qui post sanctam Missam celebratam vel post sacram Communionem susceptam, vota religiosa saltem corde contrito privatim renovaverint, conceditur Indulgentia trium annorum.*

*Preces et pia opera*, n. 695.

## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

370

**De servitio laboris publici**

(Responsum diei 10 aprilis 1937, ad Episcopum Limburgensem)

Circa servitium laboris publici « Arbeitsdienst » vocatum, quod in Germania iuvenes praestare debent ante servitium militare, applicentur normae decreti *Inter reliquas* diei 1 ianuarii 1911. [a]

In *AAS* non promulgatum. [b]

[a] N. 273. - Can. 574.
[b] *Comment. pro Relig.* XVIII (1937), 78, 141.



## SACRA CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

371

**De communione quotidiana habituali et pene generali in seminariis, collegiis, communitatibus etiam religiosis et de abusibus in eadem praecavendis.**

(Instructio *Postquam Pius*, diei 8 decembris 1938, ad Archiepiscopos, Episcopos, locorum Ordinarios necnon Superiores Maiores Ordinum ac Religionum clericalium)

Postquam Pius s. r. Papa X fideles ad frequentem ac quotidianam Communionem excitavit, edito die 20 decembris 1905 a S. C. Concilii decreto, *Sacra Tridentina Synodus*, [a] atque ad eandem pueros quoque vocavit per decretum *Quam singulari* S. H. C. diei 8 augusti 1910 [b] — quae decreta Codex iuris canonici sua fecit — [1] uti perspectum quisque habet, usus Communionis frequentis ac quotidianae diffusus est feliciter.

Qui usus, innumerabilium causa bonorum, nedum laudandus sed et ulterius diffundendus est, neque dumtaxat in fideles in genere, sed et in iuvenes puerosque iuxta praeceptum a praefatis decretis impositum et servatis normis ad rem ibi praestitutis.

« *Communio frequens et quotidiana... quam maxime promoveatur in clericorum Seminariis... item in aliis christianis omne genus ephebeis* ». [2] Et « *puerorum curam habentibus omni studio conandum est ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea omni devotione quam talis fert aetas* ». [3]

I. - Sed, ut laudanda Communio frequens ac quotidiana, ita urgenda est observantia conditionum, quae necessariae sunt, quaeque in *statu gratiae* atque *recta intentione* sunt positae. Item opportunae adhibeantur cautelae ad impediendum quominus indigne quis hunc Panem manducet. Ait enim Apostolus: « *Quicumque manducaverit*

[1] Can. 863.
[2] N. 251 sub 7.
[3] Decr. *Quam singulari*, n. 6.

[a] N. 251.
[b] *AAS* II (1910), 577-583.

*panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini* ».[1]

Etenim periculum Communionis haud rite sumendae, quod quasi ipsi inhaerere cernitur praxi sacrae Synaxis frequentis et quotidianae late diffusae, spectata hominum natura cui assueta vilescunt, augetur cum fideles praesertim iuniores, non singillatim sed generatim et universe ad S. Mensam accedunt, ut in Seminariis et communitatibus religiosis quotidie accidit, saepe vero in collegiis et ephebeis pro christiana iuvenum institutione et eruditione, atque interdum in conventibus, qui tempore paschali vel sollemni alia occasione, Ssm̃ae Eucharistiae suscipiendae causa, habentur.

Fieri enim potest ut quis, gravis peccati conscius, ad sacram Mensam nihilominus accedat exemplo sodalium permotus atque vano timore ne admirationi aliorum, praesertim Superiorum, exponatur adeoque suspicioni gravis culpae commissae.

II. - Itaque ad abusum omnem, quatenus fieri potest, praecavendum, huic Sacrae Congregationi visum est necessarium investigare opportuna remedia eademque communicare animarum Pastoribus. Sunt autem quae infra recensentur.

1. Concionatores atque spiritus moderatores, hortantes publice vel privatim fideles, adolescentulos praesertim, ad frequentem et quotidianam Communionem, in hac hortatione ne acquiescant, sed simul aperte doceant: *a*) *eam non praecipi; b*) *eandem fieri non posse nisi necessariis concurrentibus conditionibus.*

*a*) Frequens et quotidiana Communio, valde quidem commendatur, sed nulla lege praecipitur. Relinquitur ideo uniuscuiusque devotioni ac pietati. Quod adeo verum est, ut ipsa obligatio Communionis paschalis temperetur per clausulam « *nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam,* (fidelis) *ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum* ».[2] Ex hoc autem sequitur nulli admirationi vel suspicioni esse locum si quis, ubi Communionis quotidianae vigeat usus, ab eadem interdum abstineat. Qua veritate clara in luce posita, radicitus amputabitur vanus timor qui Communionis indigne sumendae occasio esse potest.

*b*) Sacra Communio, quae est *vita bonis*, eadem *mors est malis*. Ideo requiritur prae primis *status gratiae*. Maximopere inspirandus est sacrilegii horror, atque recolenda lex iuxta quam « *nemo, quem*

[1] *I Cor.* XI, 27.
[2] Can. 859, § 1.



*conscientia peccati mortalis gravat, quantumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram Communionem accedat...* ».[1]

Requiritur quoque *recta* seu pia *intentio*, quae « *in eo est ut qui ad sacram mensam accedit non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere* ».[2]

Praeterea, « *ut frequens et quotidiana Communio maiore prudentia fiat uberioreque merito augeatur, oportet ut confessarii consilium intercedat* ».[3]

2. Una cum Communione frequenti promovenda est frequens confessio: non quod singulis Communionibus praemittenda sit confessio, nisi quis de lethali sibi conscius sit, sed ut fideles in communitatibus viventes, non tantum statis diebus ad confessionem accedant, sed iisdem facultas fiat libere accedendi, sine ulla moderatorum animadversione, ad confessarium sibi benevisum, et, quod peculiaris est momenti, potestas detur peragendi confessionem etiam paullo ante Communionis tempus.

*a*) Itaque animarum Pastores omni ope contendant, ut in singulas communitates, pro membrorum numero, unum alterumve confessarium praestituant, ad quem quisque libere accedere valeat. Prae oculis autem habeant normam, iuxta quam, ubi frequens ac quotidiana Communio est in honore, ibi confessionis sacramentalis danda est, quatenus fieri potest, frequens ac quotidiana facultas. Optandum quoque est ut communitatibus omnibus frequentius dentur alii confessarii ex approbatis.

*b*) Quod ad Seminaria refert, in re prostant statuta can. 1358, 1361 et 1367 C. I. C., iuxta quae duo saltem confessarii ordinarii directorque spiritus adsint necesse est in quolibet Seminario, ac praeter ordinarios alii sunt designandi, ad quos libere alumni accedere possint: si hi confessarii extra Seminarium degant et alumnus eorum aliquem acciri postulet, illum rector arcessat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque se aegre id ferre demonstrans: si in Seminario habitent, ipsos alumnus libere adire potest, salva Seminarii disciplina. Gravem S. Alphonsi sententiam perpendant

[1] Can. 856.
[2] N. 251 sub 2.
[3] Ibid. n. 5.

http://www.obrascatolicas.com/

moderatores, nempe Seminarii alumnos in magno versari discrimine sacrilegia patrandi si peccata sua semper confiteantur confessariis sibi notis.[1] Episcopi autem curent ut alumni semel saltem in hebdomada ad sacramentum poenitentiae accedant.

*c*) Quoad vero communitates religiosas virorum et mulierum quaslibet, praecepta desumuntur ex can. 518 et seq., eaque sunt religiose servanda, ipsorum inspectis littera et spiritu. « *In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis* ».[2] « *Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur* ».[3] « ... *Si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci adprobatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis* ».[4] « *Unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius, qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae* ».[5] « *Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates exsistunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire* ».[6] « *Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat...* ».[7] « *Si qua pariter religiosa aliquem ex... confessariis* (a locorum Ordinariis designatis pro singulis domibus religiosarum) *expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre* ».[8] Immo, hisce non obstantibus « *si... aliqua religiosa, ad suae*

[1] Cfr. S. Alphon., *Regolamento per i Seminari*, § 1, n. 3.
[2] Can. 518, § 1.
[3] Can. 518, § 3.
[4] Can. 519.
[5] Can. 521, § 1.
[6] Can. 521, § 2.
[7] Can. 520, § 2.
[8] Can. 521, § 3.



*conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico* (aut quolibet alio loco legitime mulierum confessionibus destinato[1]) *peracta, valida et licita est revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur* ».[2] Item: « *religiosae omnes, cum graviter aegrotent, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere* ».[3]

Eadem facultate pollent et moniales clausurae lege adstrictae, quibus egredi non licet nec ad propriam ecclesiam aut oratorium semipublicum accedere: hae confessarium pro mulierum confessionibus adprobatum, quem malint, arcessere possunt ad monasterii ordinariam confessionalem sedem suas confessiones recepturum,[a] et, si graviter aegrotent, etiam ad proprium cubiculum, necessariis adhibitis cautelis, neque Antistitae id licet sive directe sive indirecte prohibere.

Ecclesiastici igitur deputati religiosarum communitatum omni studio avertere conentur Antistitas ab inquirendo etiam indirecte cur alium confessarium ad se arcessant subditae religiosae aut eundem adeant; easdemque Antistitas commonefaciant id ipsas nullimode prohibere posse. Iidem deputati probe sciant facile accidere posse, ut religiosae subditae nimis vereantur ab Antistita requirere extraordinarium confessarium, ac proinde suae conscientiae libere consulere nequeant. Attente igitur pervigilent ne in negotio tanti momenti minuatur libertas pro religiosis a sacris canonibus sapienter statuta.

Ceterum huiusmodi conscientiae libertatis exercitium congruenter aptetur oportet cum regulari uniuscuiusque communitatis disciplinae observantia, cuius integritati consulendum est ab Ordinariis locorum, quorum pariter est officium cavendi ne exinde abusus

[1] Pont. Commiss. Interpret. Cod., interpret auth., diei 24 novembris 1920, in *AAS* XII (1920), 575.
[2] Can. 522.
[3] Can. 523.
[a] Pont. Commiss. Interpret. Cod., interpret. auth., diei 28 decembris 1927, in *AAS* XX (1928), 61.

http://www.obrascatolicas.com/

irrepant, aut, quatenus irrepserint, ut iidem caute et prudenter removeantur, salva semper conscientiae libertate.[1]

Etiam in laicalibus virorum religionibus deputandus est confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religiosus aliquem specialem confessarium expostulet illum superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans.

*d*) In omnibus denique communitatibus adolescentulorum utriusque sexus sedulo pro viribus curandum est ut, quo tempore communitati distribuitur Communio, confessarius praesto sit, ad quem facilis sit accessus.

3. Praeter haec generalia remedia, singularum communitatum moderatores alia adhibeant ad eundem finem assequendum opportuna.

*a*) Superior apertissimis verbis dicat subditis, se laetari quidem in genere de frequenti eorundem accessu ad sacram Mensam, sed in singulis non accedentibus se nihil reprobatione dignum animadvertere, immo in iismet colligere signum libertatis ac timoratae delicataeque conscientiae. Idem vero dicta factis non neget, neque ullum prodat indicium quo videatur ipse adnotare eos qui frequenter ad Communionem accedant eosdemque extollere, reprobare vero ceteros.

In Seminariis vero aliisque id genus institutis, ubi statis temporibus iudicium profertur a Superioribus de unoquoque alumno quod ad *pietatem, studium* et *disciplinam* attinet, iidem Superiores, in promenda sententia de iuvenis in pietate profectu, de maiore vel minore assiduitate ipsius in Ssma Eucharistia sumenda rationem ne habeant.

*b*) Nunquam in communitatibus puerorum et puellarum indicetur *Communio generalis* singulari quadam sollemnitate peragenda, atque etiam extra communitates vel nuncupatio ipsa « Communio generalis » ne usurpetur quidem, vel huius appellationis sensus rite declaretur: invitari scilicet omnes ad S. Mensam, neminem vero ad eandem cogi, immo singulis relinqui plenam facultatem et libertatem ab Eadem abstinendi. Quod vero attinet ad communitates religiosas, animadvertatur praeterea ad ea quae referuntur in Decreto *Sacra Tridentina Synodus* ad n. 8: « *Si quae Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam in calendariis Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere directivae non tamquam* praeceptivae *putandae sunt* ».

[1] Can. 520, § 2.



*c*) Cum ad sacram Mensam acceditur, ea omnia vitentur, quae difficiliorem reddunt conditionem adolescentuli, qui abstinere quidem vult a Communione, ita tamen ut ipsius abstinentia minus advertatur; devitanda igitur sunt expressa ad S. Synaxim invitatio, rigidus atque pene militaris ordo accessus, insignia a communicantibus ferenda etc.

*d*) Caveat communitatis Superior ne Ssma Eucharistia deferatur infirmis eam expresse non postulantibus.

*e*) Promotores et moderatores iuvenilium conventuum, qui inducuntur ex. gr. in publicis scholis Communionis sumendae gratia, attendant in iis conventibus exsistere pericula haud dissimilia ab iis quae in communitatibus habentur, atque omnes cautelas ad ea propulsanda adhibeant, non tantum proclamando libertatem accessus ad sacram Mensam et congruam confessariorum copiam praebendo, sed etiam nitendo, ut omnia removeantur quae non accedentes admirationi aliorum exponere valeant, prout supra dictum est.

III. - Haec praecipua sunt remedia quae haec S. Congregatio suppeditanda censuit Excmis Episcopis, locorum Ordinariis ac Superioribus maioribus religiosis ad praecavendos abusus aut, si alicubi forte (quod Deus avertat) irrepserint, ad eosmet prorsus compescendos. Quibus remediis alia superaddere, quae accommodatiora reperiantur, spectatis cuiusque instituti locorum ac personarum adiunctis, Excmos Praesules valde in Domino adhortatur eadem S. Congregatio pro ipsorum prudentia atque zelo in salutem animarum. Attente enim advigilandum est atque cavendum, ne Sacramentum Ssmae Eucharistiae, quod in profectum atque spiritualem salutem hominum divinitus institutum est, ipsorum hominum malitia aut culpabili negligentia in praecavendis aut removendis abusibus, subversis ipsius Sacramenti institutionis ratione atque finibus, in detrimentum ac supremam animarum perniciem convertatur.

In Plenariis Comitiis die 22 iulii 1938 in Civitate Vaticana habitis Emi ac Revmi Patres Cardinales hanc Instructionem diligenter perpensam concordi suffragio approbarunt, eamque Ssmus Dnus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, in Audientia diei 3 augusti eiusdem anni, audita relatione infrascripti Secretarii Sacrae Congregationis, ratam habere et confirmare dignatus est, mandans praeterea ut eadem omnibus locorum Ordinariis necnon Superiori-



http://www.obrascatolicas.com/

bus Maioribus Ordinum ac religionum clericalium reservate notificetur ab ipsis adamussim observanda.

Placeat eisdem Revmis locorum Ordinariis Superioribusque Maioribus religiosis de huius Instructionis receptione certiorem facere hanc S. Congregationem.

In *AAS* non promulgata. [a]

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 372

### De servitio militari

(Responsum diei 14 aprilis 1939, ad Ministrum Generalem Fratrum Minorum)

Utrum etiam clericis professis votorum solemnium, qui ad militare servitium praestandum vocantur, vota solemnia, durante militari servitio, suspendantur, prout suspenduntur vota temporanea his in circumstantiis (ad normam decr. *Inter reliquas* et eiusdem subsequentium declarationum). [b]

*Resp.* Superioribus maioribus, praesertim in locis de quibus agitur, facultas tribuitur providendi, in singulis similibus casibus, durante necessitate et tempore militiae, per concessionem indulti exclaustrationis ad normam, quoad fieri possit, can. 639.

In *AAS* non promulgatum. [c]

## PIUS XII (1939)

### 373

### De methodo docendi et discendi

(Allocutio *Sollemnis conventus*, diei 24 iunii 1939, ad universos Clericos Studentes eorumque Moderatores)

Sollemnis conventus ad quem confluxistis, ut Iesu Christi in terris Vicario observantiae pietatisque vestrae testimonium exhibeatis, singulari Nos, filii carissimi, perfundit laetitia ac summopere delectat. Videmus enim ante oculos Nostros frequentiam huiusmodi,

[a] Vide: *Comment. pro Religiosis* XX (1939), 203 sqq.; XXI (1940), 69 sqq., 133 sqq.; *Il Monitore Ecclesiastico* LXIV (1939), 245 sqq.; *Revue des Communautés Religieuses* XV (1939), 119 sqq., 141 sqq.; *Periodica de re mor. can. lit.* XXVIII (1939), 317 sqq.

[b] N. 273. - Can. 574.

[c] *Comment. pro Relig.* XX (1939), 213-215.



in qua cum omnia rerum genera ornamenta congesta sunt, tum vero amplissimam ingenii abundantiam admirari necesse sit. Recreat quippe Nos electa manus doctorum in sacris disciplinis insignium, moderatorumque corona qui sollertissimam navant operam, ut alumni sibi concrediti sancte instituantur optimique evadant sacerdotes; sed mirifice Nos capit oblata species lectissimae iuventutis quae non huius Urbis modo aut Italiae, sed Europae universique terrarum orbis clericis coalescit. Quos cum cernimus eadem voluntatum conspiratione atque agendarum rerum similitudine coniunctos, ut apti fiant qui — Successore sancti Petri duce ac magistro — doctrinam et gratiam Iesu Christi in omnium hominum animos diffundant, temperare Nobis non possumus, quin maximas Omnipotenti Deo gratias agamus pro hac divinae vocationis plenitudine; idque eo magis, quod iuvenes, qui adsunt, velut vices gerunt illorum omnium ad milia bene multa, qui toto terrarum orbe sese sacerdotio vovere cupiunt.

Christus Dominus, ut omnibus compertum est, Apostolis dixit: « Vos estis lux mundi ». [1] Lux lucet, sol calefacit. Ecce igitur finis vester, ecce catholici sacerdotii assignatum propositum: solem esse supernaturalem qui hominum mentes veritate Christi illustret, eorumque animos inflammet amore Christi. Huic autem fini assignatoque proposito omnis etiam ad sacerdotium praeparatio ac conformatio respondeat oportet:

Si lux veritatis, quae ex Christo est, vos omnes fieri vultis, ipsi primum hac veritate illustrandi estis. Propterea in sacrarum disciplinarum studia incumbitis.

Si caritate Christi hominum animos informare cupitis, ipsi primum caritate illa incendi debetis. Cui quidem rei educatio vestra religiosa-ascetica inservit.

### I - *Veritate Christi illustrati*

Probe nostis, filii dilectissimi, clericorum studia praeclara illa Constitutione regi *Deus scientiarum Dominus*, quam Decessor Noster f. r. Pius XI edidit. [a] Qua in Constitutione sedulo discrimen statutum est, illudque diligenter in usum traducendum, inter discipli-

[1] *Mt* V, 14.

[a] N. 259.

http://www.obrascatolicas.com/

nas principales (ad quas accedunt auxiliares), et ceteras quae speciales audiunt. Illae — professores in ratione docendi et examinandi studiose hoc attendant — principem locum teneant et veluti centrum studiorum sint oportet; hae vero sic tradendae sunt atque exercendae, ut disciplinas principales apte comitentur atque compleant, at non nimium laboris sibi vindicent nec unquam ita, ut studium accuratum et vere summum praecipuarum doctrinarum detrimentum vel minimum patiatur.

Id sapientissime porro statutum est riteque servandum, ut « philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad *Angelici Doctoris* rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant ».[1] Ea enim est Aquinatis sapientia quae veritates rationi non impervias vivida luce illustratas aptissimo eodemque solido unitatis nexu mirifice colliget; ea est quae ad dogmata fidei declaranda et defendenda maxime aptetur; ea denique est quae grassantes primarios errores cuiusvis temporis efficienter valeat arcere et invicte debellare. Quapropter, dilectissimi filii, animum afferte plenum amoris et studii erga Sanctum Thomam: totis viribus incumbite ut luculentam eius doctrinam intellectu perspiciatis: quidquid ad eam manifesto pertinet et tuta ratione ut praecipuum ac certum in ea habetur, libenter amplectimini.

Haec praecepta a Decessoribus Nostris iampridem data, nostrarum partium ducimus in praesenti recolere et, si alicubi desiderentur, ex integro instaurare; simulque eorundem Decessorum Nostrorum monita Nostra facimus, quibus veri nominis in scientia progressum et legitimam in studiis libertatem tueri voluerunt. Probamus prorsus ac commendamus novis disciplinarum inventis antiquam sapientiam, ubi opus sit, aequari; ea de quibus bonae notae Angelici Doctoris interpretes disputare solent, libere agitari; nova vero subsidia ex historia deprompta in textibus Aquinatis plenius intellegendis adhiberi. Neque ullus privatus « se in Ecclesia pro magistro gerat »;[2] nec « quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia »;[3] neque denique vana dissidia foveantur.

[1] Can. 1366, § 2.
[2] Benedictus XV, litt. encycl. *Ad beatissimi*, diei 1 novembris 1914, in *AAS* VI (1914), 576.
[3] N. 346.



Quae omnia si, ut confidimus, praestabuntur, copiosa expectanda erunt disciplinarum emolumenta. Aemulatio enim in veritate quaerenda et propaganda per commendationem doctrinae Sancti Thomae non supprimitur, sed excitatur potius ac tuto dirigitur.

Verum, ut pretiosis fructibus institutio vestra cumuletur, necesse est, dilectissimi iuvenes, idque impense vos hortamur, ut doctrinae haustus quos studiorum cursus emetientes excipitis, non ad scholaria tantummodo specimina superanda dirigantur, sed ut potius quandam quasi formam animis vestris imprimant, quae sic permaneat, ut numquam elabatur, et ex qua, cum usus postulabit, quidquid qua voce qua scriptis ad catholicam veritatem propagandam hominesque ad Christum convectandos conducat, exprimere possitis.

Haec quae diximus, tum ad veritatem divinitus patefactam quod attinet valent, tum ad eius rationalia praemissa; ad principia scilicet *philosophiae christianae* sive illustranda sive defendenda. Relativismo illi, quem Decessor Noster immemoriae, Pius XI modernismo dogmatico exaequans et « impense reprobans » « modernismum moralem, iuridicum ac socialem »[1] nuncupavit, — utpote qui supremam normam veri et falsi, boni et mali non iam immutabiles recti iustique leges agnoscat, sed singulorum hominum, civilium ordinum, reipublicae, generis mutabilem utilitatem statuere contendat — huic, dicimus, modernismo vos, impavido pectore, ut Evangelii praecones decet, veritates perfectas atque absolutissimas obiicere debetis, quae ex Deo natae sunt, unde primaria officia et iura singulorum, domestici convictus ac Civitatum necessario permanant, et sine quibus civilis societatis dignitas et felicitas consistere nequeunt. Quod sane egregie praestabitis, si veritates huiusmodi ita mentes vestras occupaverint, ut pro iisdem, sicut pro sanctae fidei mysteriis nullum laborem refugere, nulla incommoda recusare parati sitis.

Illud quoque curandum vobis est, ut veritatem ita proponatis quae recte intellegatur et gustetur, perspicuo semper nec unquam ambiguo sermone adhibito, vitatisque superfluis et noxiis mutationibus quae veritatis substantiam facile inficiunt. Hic semper mos, haec consuetudo fuit catholicae Ecclesiae. Ad haec etiam illud S. Pauli quadrat, quod sc. « Iesus Christus... non fuit *est* et *non*, sed *est* in eo fuit ».[2]

[1] N. 343.
[2] *II Cor.* I, 19.

http://www.obrascatolicas.com/

Quodsi ad veritatis divinitus datae et ad mysteriorum fidei catholicae ordinem respicimus, verum quidem est ingentes progressus in investigandis et utendis naturae viribus, multoque magis strepitum, quo cultura de rebus mere terrenis disseminatur, plurimorum mentes perturbasse, ita ut supernaturalia vix iam percipere possint; ast non minus verum est sollertes sacerdotes veritatibus fidei intime imbutos et Spiritu Dei repletos maiores hodie et mirabiliores successus, quam fortasse nunquam antea, in hominibus Christo lucrandis reportare. Ut tales et ipsi efficiamini sacerdotes, auctore et exemplo sancto Paulo, nihil antiquius vobis sit studio *theologiae* sive biblicae-positivae sive speculativae. Alte insideat menti vestrae a fidelibus hodie bonos animarum pastores et confessarios eruditos summo desiderio quaeri. Pio ergo fervore in studium theologiae moralis et iuris canonici incumbite! Etiam iuris canonici disciplina ad animarum salutem dirigitur et omnibus normis legibusque suis in id denique potissimumque tendit, ut homines gratia Dei sancti effecti vivant et moriantur.

*Disciplinae historicae*, quatenus in scholis tractantur, non tam in quaestionibus criticis et mere apologeticis haereant, quamvis hae quoque suum momentum habeant, sed potius semper id spectent, ut actuosam Ecclesiae vitam demonstrent: quantum videlicet Ecclesia laboraverit; quanta passa sit; quibus viis et quo felici exitu sui muneris mandato satisfecerit; quomodo caritatem opere expleverit; ubinam pericula lateant, quae florescenti Ecclesiae statui obstent; qua in conditione publicae rationes inter Ecclesiam et Civitates intercedentes se bene habuerint, in qua vero minus bene; quantum Ecclesia politicae potestati cedere possit, quibusnam autem in adiunctis immobilis stare debeat: maturum denique de Ecclesiae conditione iudicium et sincerum erga Ecclesiam amorem — ecce quae schola historiae ecclesiasticae in alumno praestare et fovere debet, ac praesertim in vobis, dilectissimi filii, qui hac in Urbe versamini, in qua antiqua monumenta, bibliothecae instructissimae, ac patentia studio et conquisitioni tabularia, Ecclesiae catholicae vitam per decurrentia saecula velut ob oculos ponunt.

Ne autem constantiam et virtutem vestram labefactari sinatis, cotidie, dilecti filii, quantum fieri potest, ex inexhaustis Sacrorum librorum fontibus, Novi praesertim Testamenti, genuinos Iesu Christi et Apostolorum spiritus haurite, qui semper in mentibus, in verbis, in operibusque vestris resplendeant. Indefessi estote in labore, vacationum etiam tempore, ut qui vobis praesunt, fidentes dicere



possint: « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est ». [1]

## II - *Caritate Christi incensi*

Divinae est vocationis vestrae ad Iesu Christi amorem et gratiam viam in hominum animis sternere. Ad quod quidem assequendum vos ipsos primum amore illo incendi necesse est, Christi autem amorem in vobis incendite per coniunctionem cum Christo in *oratione et sacrificio*.

Per coniunctionem, dicimus, in oratione: siquidem si a Nobis quaeritis quodnam verbum initio Pontificatus Nostri ad Ecclesiae catholicae sacerdotes habeamus, respondemus: Orate magis magisque et instantius orate.

Per coniunctionem vero in sacrificio: in Sacrificio Eucharistico. At non solum in eucharistico, sed una simul in sui ipsius quodammodo sacrificio. Nostis enim ex effectibus Ssmae Eucharistiae unum esse, ut adstantibus et recipientibus robur ad sese veluti sacrificandum et abnegandum conferat. Variae christianae asceseos formae quoad secundaria multa differentes quidem sint et maneant; earum tamen nulla viam ad Dei caritatem novit citra sacrificium etiam sui ipsius. Id enim Christus a suis sectatoribus expostulat, qui dixit: « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me »; [2] qui viam ad amorem Dei in observatione mandatorum divinorum esse expressis verbis definivit; [3] qui denique — Apostolis suis potissimum — illam etiam mirabilem sententiam impertiit: « Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert ». [4]

Sacerdotale munus singularia a vobis, ut ita dicamus, sacrificia requirit, inter quae praecipuum illud ac sui ipsius plenum sacrificium obsequii erga Christum per caelibatum. Probate vos ipsos! Et si qui deprehenderint se impares esse ad illum servandum, eos obsecramus ut a Seminario discedentes alio se conferant, ubi aetatem honeste ac fructuose transigant, quam non sine salutis aeternae discrimine et

---

[1] *Mt* V, 16.
[2] *Lc* IX, 23.
[3] *Io* XV, 10.
[4] *Io* XII, 24-25.

http://www.obrascatolicas.com/

Ecclesiae dedecore in Sanctuario essent acturi. Eos vero qui in statu sacerdotali iam vivunt aut eum ingredi parati sunt, hortamur, ut se devoveant totos et animo magno. Cavete, ne in hac liberalitate ab innumeris fidelibus superemini, qui hodie pro Dei gloria et Iesu Christi fide durissima quaeque patienter ferunt; sed omnibus in hoc certamine exemplo vestro praelucete, vestroque labore devotioneque ipsis et omnibus divinam gratiam in vita et in morte procurate.

Porro « hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum ». [1] Hanc in proximos caritatem Iesus Christus signum ac veluti tesseram cuiusvis christiani hominis declaravit, [2] eademque multo magis catholici sacerdotis quasi insigne habenda est, quae ceteroquin a caritate in Deum dissociari nequit, ut aperte ostendit Paulus Apostolus, qui grandiloquo praeconio caritatem celebrans, Dei proximorumque amorem perbelle reciprocat. [3] Haec proximorum caritas limitum ignara ad omnes homines, linguas, nationes, genera sese porrigit. Iamvero, carissimi filii, optatissima et singulari opportunitate utamini, quam romana commoratio vobis praebet, huius caritatis exercendae erga tantam iuvenum multitudinem, qui licet ex diversissimis et maxime inter se dissitis nationibus, omnes tamen eiusdem sunt temporis, eiusdem fidei, eiusdem vocationis, eiusdem in Iesum Christum amoris, ac denique eiusdem omnino iuris in Ecclesia. Hac, dicimus, occasione utamini ad hanc fovendam caritatem, nec quidquam sive verbis sive re a vobis agatur, quod eam vel leviter laedat. Concertationes politicarum partium aliis relinquite; haec tractare vestrum non est. Vos communicate invicem quae apostolatum, curam animarum, conditionem Ecclesiae eiusque incrementa spectant et iuvare possunt.

Denique si amore Christi crescere vultis, foveatis oportet *obedientiam* qua filiorum, fiduciam, *amorem erga Iesu Christi Vicarium.* Christo enim in Eo reverentiam et obedientiam exhibetis, Christus in Ipso vobis praesens est. Perperam secernitur ecclesia iuridica ab ecclesia caritatis. Non ita, sed illa Ecclesia iure fundata, cuius caput Pontifex est, eadem est Ecclesia Christi, Ecclesia caritatis, universaque christianorum familia. Sensus illi, qui in familia vere christiana patrem cum filiis, filios vero cum patre arctissime

[1] *I Io* IV, 21.
[2] *Io* XIII, 35.
[3] *I Cor.* XIII.



coniungunt, inter Nos et vos regnent. Vos autem qui hac in Urbe degentes testes estis quomodo Apostolica haec Sedes, humanis posthabitis considerationibus, nil aliud cogitet, nil aliud quaerat nisi bonum, felicitatem, salutem denique fidelium totiusque humani generis, fiduciam illam quam de ea experiendo concepistis, cum fratribus vestris toto terrarum orbe communicate, ut omnes in caritate Christi cum Summo Pontifice unum sitis.

Sacerdotalis apostolatus vester divina veritate illuminatus et informatus amore Christi inter saevissimas mundi a veritate et amore aversi tempestates, mediisque in difficultatibus et aerumnis — quae omnium in apostolatu laborantium veluti privilegium sunt eosque quasi naturali necessitate comitantur — nec fructu uberrimo pro animarum salute nec beante illa consolatione, Dei favente gratia, carebit qua repletus Sanctissimus doctor gentium asseverabat: « Per Christum abundat consolatio nostra ». [1]

Unus scit Deus, per quas vias Providentia sua unumquemque vestrum ducturus sit, quae ascensiones et qui descensus, quot denique passus per saxeta et senticeta vos expectent. At unum definita certitudine vitae cuiusvis sacerdotis insidet, qui veritate et amore Christi imbuitur: spes scilicet in illum, « qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum ». [2]

Haec igitur supernaturalis victoriae certitudo in quibusnam altiores radices egerit, quam in vobis, qui ad Apostolorum sepulcra et ad catacumbas martyrum spiritus illos hausistis, qui anteactis temporibus hominum genus renovarunt, quippe etiam hodie Iesu Christi promissiones vigere validas sibi conscii sunt? Quapropter vobis, dilectissimi filii, ea graviter iteramus quae beatissimus Paulus laetus ac securus de fructu laboris apostolici profitetur: « Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles: abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino ». [3]

Hac spe repleti, uberrimas Aeterni Pontificis gratias super vos omnes et super unumquemque vestrum invocantes, illuminantis et corroborantis huius gratiae pignus vobis peramanter in Domino Benedictionem Apostolicam impertimus.

*AAS* XXXI (1939), 245-247.

[1] *II Cor.* I, 5.
[2] *I Cor.* XV, 57.
[3] *I Cor.* XV, 58.

http://www.obrascatolicas.com/

374

**Adhortatio apostolica ad sacerdotes et clericos in exercitus ordines adscitos**

(Adhortatio *Asperis commoti*, diei 8 decembris 1939)

Asperis commoti anxietatibus et sollicitudinibus belli, quod omni ope, at frustra deprecari conati sumus, vehementius vestram sortem condicionemque dolemus, dilectissimi Nobis sacerdotes et clerici, qui, subita correpti procella, sacri ministerii opera ac tranquilla doctrinae domicilia reliquistis et ad signa militaria, ad arma deducti estis.

Haud assuefacti vitae generi quam nunc ducitis, improviso rerum eventu stipendia meretis in castris stativis, in nosocomiis, in erraticis valetudinariis ipsa in bellantium acie utpote sacerdotes de militibus spiritalem curam habentes, magna autem ex parte obeuntes munia vocationi vestrae dissentanea.

Ubicumque estis, Vicarii castrenses seu Cappellani maiores vos sedulo, vigili, paterno prosequuntur obtutu. In ipsorum opere fidenter acquiescimus, quia id sapienti disciplina temperatum est, quia insomne est, quia salutaribus innititur consiliis. Qua re haud dubitandum est, quin ipsi in sua cuiusque patria operam navent quoquoversus magno in pretio habendam ac salutaribus fructibus opimam, quia officii conscientia permoti ad ardua quaevis agenda sunt parati. Tam sollertem navitatem confirmata fiducia Nostra honestamus vobisque libenter memoramus ut in provisores vestros sitis grati eisdemque docili voluntate obsequamini: praepositi enim mandata sibi commissa expedite persolvere valent, si subiecti sponte eorum praeceptis obsecundent.

Ut nec vos ipsi nec viri vestrae curae crediti spiritualibus careatis solaciis, in animo habemus facultatibus iam a Nobis Vicariis castrensibus seu Cappellanis maioribus nationum vel regionum ubi bellum aut ad arma convocatio est vel erit concessis, alias praeter ordinem adicere.[1]

Hac ex re patentior innotescet vobis effusus paternae caritatis affectus, quo vos in molestias et angustias adductos diligimus.

Vicariis castrensibus seu Cappellanis maioribus huiusmodi concredita a Nobis cura Nos e munere, quo tenemur, non eximit, vobis

[1] S. C. Consist., Index facultatum, diei 8 decembris 1939, in *AAS* XXXI (1939), 710-713.



directo sensus animi Nostri aperiendi itemque vos tanto in discrimine hortandi ut quae novae vitae ratio deposcit, diligenter animadvertatis et impigre perficiatis, vocationis vestrae consideratione et afflatu incitati.

*Licet vestis mutetur, spiritus Christi non est exuendus*

Spiritus, qui suetae actioni vestrae praesidebat, licet vestis mutetur, exuendus vobis non est. Inter tela is vos afflet, sicut tum contingebat, cum domi sacerdotii vestri partes explebatis. Caelestis Pater, qui vos ad altaria arcessivit, Ipse est, qui sivit vestras piorum studiorum laborumque consuetudines abrumpi. Ad Se vos vocavit — id mementote — non tantum divino cultui mancipandos, cuius absolutione nequaquam sacerdotium catholicae Ecclesiae terminatur, verum etiam hac de causa, ut sitis Dei verbi praecones, Evangelii satores, pro Christo legatione fungentes, Cuius debetis quam maxime diffundere notitiam, excitare desiderium, accendere amorem. Vestrum esto beatissimi Pauli Apostoli propositum, qui gloriabatur se nihil scire, nihil afferre gentibus nisi Christum et hunc crucifixum. Christum haud minus testimonio vitae quam oris is advehebat in omnia loca, omni tempore, privatim ac publice, sive cum posset caerulea convexa caeli suspicere, sive cum vinculis detineretur. In carcerem coniectus, ubi ad se ventitantes excipiebat et Dei regnum libere praedicabat, ad Philippenses scripsit: *Scire autem volo, fratres, quia quae circa me sunt magis ad profectum venerunt evangelii.*[1]

Permisit modo Deus, ut, suetis relictis muneribus, ad exercitum adiungeremini ad homines scilicet institutis, moribus, doctrina et artibus, religione varios, haud raro averso animo a Deo, Iesu Christi et Evangelii nescios, fidei vel rudimentorum expertes, de omnibus negotiis sollicitos potius quam de iis, quae ad animos spectant eorumque sempiternam beatitatem. Dei miseratio en vos misit ad eos, qui vos fortasse aspernabantur, qui recusabant a vobis accipere verbum salutis et gratiam Iesu Christi Servatoris nostri; hos ad vos allicit, vestrorum laborum et periculorum, vestrarum asperitatum et aerumnarum socios.

Iusto aestimate pretio quod fluens fert hora. Nolite ad hominum captum modumque adiuncta iudicare, unde praesens rerum asperitas consecuta est, sed in his inspicite caelestis Patris voluntatem,

[1] *Philipp.* I, 12.

http://www.obrascatolicas.com/

quae optima semper adoranda elicit e malis bona, quaeque, per vos ad militaria signa advocatos, tot inter ruinas, devios deerrantesque ad rectae fidei semitam et ad christianae disciplinae mores perducere cupit. Quod annitentibus cuncta vobis possunt prodesse, propterea quod quo magis sacerdos apostolico studio ardet ad strenue agendum, eo crebriores carpit secundas occasiones, eo patentiores invenit aditus. Quod autem praecipuum est, sub patriis signis militantes pro Ecclesia quoque ita militate, ut tamquam viva e forma Christi apostolatus relucescat. Ita vero, etiam tacentes, eritis, si in primis officiorum vestrorum fida custodia et absoluta morum integritate vocationi vestrae honorem detuleritis.

### *Pro Ecclesia militate*

Vos igitur eo monemus hortatu, quo Paulus Apostolus compellebat Philippenses, ut ii cum gentibus civium usus societatemque habentes, virtutum decore fidem, quam profitebantur, honestarent: *Digne Evangelio Christi conversamini.* [1] Et iterum: *Omnia autem facite sine murmurationibus et haesitationibus, ut sitis sine querela et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* [2]

Eluceat e vobis semper indoles administrorum Dei. Tales cum sitis, officii vestri estote retinentissimi, praepositis vestris in exemplum, salva Dei lege, obsequimini, dura hilares sustinete; at nullo pacto nulloque tempore iis indulgete, quae futilia, corrupta, vituperanda circa vos intuemini. Severis instructi moribus, nescientes cum malo pacisci aut id mulcere vel contrahere, exemplis saltem vestris aliena vitia castigate. Nequaquam autem prohibet, quin, evangelica mansuetudine comite, ipsi vos omnia omnibus faciatis ut omnes Iesu Christo lucrifaciatis, haec morum severitas, ceterum militari disciplinae consentanea, cuius singularis nota est impavidi pectoris fortitudo. Animi utique firmitate inter ceteros praestare debetis, ut ubique palam libere vos sacerdotes aut sacerdotii candidatos demonstretis.

Quodsi Evangelii spiritu inflati, qui quidem spiritus est libertatis, sicut et Apostolus gentium, efficitis vos omnium servos, cum liberi sitis ex omnibus, ut plures lucrifaciatis, [3] eiusdem Apostoli

[1] *Philipp.* I, 27.
[2] Ibid. II, 14-15.
[3] *I Cor.* IX, 19.



oportet crebro in memoriam revocetis salubria consilia, sapientiae plena, quae vestrum dirigant in agendis rebus iter: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia aedificant.* [1]

Si ita cogitaveritis, salutari auctoritate movebitis eos qui vos circumdabunt homines et, vel nescii vel conscii, in animorum praecordiis aliquid boni seminis ponetis, quod in terram iactum, testante Domino, germinat et succrescit, etiamsi deses maneat sator. [2] Vobis persuasum erit, vos non neglexisse fidei vestrae commissa mandata ac Iesum Christum, divinum praeceptorem vestrum, pro viribus, variis hominum classibus esse confessos.

Vos quidem unius cuiusque ordinis civibus, artes exercentibus liberales et operosas, doctis et indoctis, ingenio praeditis tractabili et moribus duris, inter strepentia arma, cognitum facietis evangelicum nuntium redemptionis et salutis, neque noxam committetis commilitones ad id opinandum inducendi, in Christi asseclis, imo in iis, qui ad sempiternam assequendam vitam sunt ductores, facta cum dictis discrepare. Ecclesiae multorum conciliabitis benevolentiam et gratiam ac, decore in patrio exercitu militantes, multos parabitis vobis amicos, quos haud difficulter ad fidei semitam traducetis aut vestros efficietis auxiliatores.

Numquam denique ex animo vestro excidat hortamen a Paulo Apostolo datum glorioso illo aevo fidelibus, cum per cruciatus et dolores maturescebat Ecclesiae triumphus: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* [3]

Videte igitur, dilecti Filii, quam latum agrum Dei Providentia generosa virtute excolendum attribuerit vobis e sacerdotalis ministerii tranquilla perfunctione et e sacris Seminariis dimotis. Est cur de his sincero pectore gloriemini pura haurientes solacia, quae etiamsi nequeant extinguere, minuant tamen cuncta adversa et aspera bello vobis illata.

### *Sacrificia apostolatum fecundant*

Ceterum nonne dolores quae dicimus, quae docemus, quae agimus fecundant? Patiendo utique magis quam operando Veritati bonum reddimus testimonium.

[1] *I Cor.* X, 22-23.
[2] *Mc* IV, 26 sqq.
[3] *Rom.* XII, 21.

http://www.obrascatolicas.com/

Multa praeterea vobis istis in adiunctis acquirenda sunt, quae animis vestris proderunt. E variis enim et aerumnosis militiae discriminibus quantum rerum hominumque usum desumere potestis, vestrae in agendo rationi sapientiam additurum et virtuti vestrae necnon apostolico labori vestro virilis roboris maturitatem quandam ingesturum. Non dispendia, sed commoda sacerdotio vestro afferet id temporis, quod in curriculo vitae vestrae perniciosum videtur intervallum, si prudentes fueritis, si coram Domino ambulaveritis, si numquam Eius averteritis manum, quae perpetua celebranda laude vos in terra deserta et invia et inaquosa sursum et ad potiora producit.

Verumtamen ambulare coram Deo ac Dei numquam relinquere ductricem dexteram idem est — hoc vos haud latet — ac studiose christianam colere pietatem, cuius ope tantum mens sublime ascendit et recte agendi assiduis votis inardescit. Potestne fieri, ut inter gladios et tela evangelicae pietatis flos redoleat? Ita vero est. Reliquis praetermissis documentis, revocate memoriam eorum hominum, sanctitatis lumine fulgentium, qui e militari ordine prodierunt. Qui, dum disciplina adstringuntur vestrae haud dissimili, vixere iunctissimi cum Deo et pro Deo, quoniam unum summopere quaerebant, videlicet cunctis satisfaciendo officiis divinam implere voluntatem. Vos ipsi ubicumque et semper Dei beneplacitum scrutari eidemque, etiam reluctante natura, adhaerere omni ope studete; hic vester cotidianus sit labor, hoc facile tutumque sit viae compendium ad eam pietatem, quae in praesenti statu et condicione sacerdotali vocationi vestrae fido tutamini erit ac toto vitae vestrae cursu ad optima quaeque exantlanda valido incitamento et stimulo.

### *Spiritus orationis praebet constantiam*

Ut autem complendae divinae voluntatis constanti voto et magno desiderio afficiamini, oportet — quis dubitet? — spiritus precum vobis, novorum officiorum perfunctione detentis, haud languescat et torpeat, sed intimo flammescente igne dilatetur. Assiduum ei praebeant alimentum cum Eucharisticum Sacrificium devote actum aut Panis fortium fervide sumptus, tum ea omnia, quae diuturno fidelium usu comprobata, Spiritus Sancti aspirante gratia, quam maxime eo conducunt, ut hominum animi se culpis abstineant et virtutes solidiores usque appetant. Difficulter christifidelibus praesertimque sacerdotibus tantae negotiorum molestiae contingere possunt,



ut prohibeantur, quin, quodammodo se introrsum inflectentes, crebro piis vacent meditationibus, bene et male acta in se attente inquirant, ardenti studio divinum Magistrum ac Dominum coram sacris Tabernaculis saepe, proh! dolor, desertis adorent, unde Is ad se venientes infusa gratia collustrare et corroborare solet.

Quam plurimum potestis, dilectissimi Nobis, hanc pietatem vobis comparate, hac ditamini. Qua comite, pericula ubi, sinente Deo, versamini, ita suscipietis, ut ipsi meritorum proventum assequamini, fratres autem commilitones vestri uberes colligant salutis fructus: nam administer Evangelii sive iuvamine operis sive miserentis animi indulgentia proximis suis cuncta est semper dare paratus.

Conspecti undique studiosa indagatione ab hominibus, vestrum honorate sacerdotium, honorate Ecclesiam, cuius bene multum in vos suscepistis onus. De patria ita insigniter merebimini, cuius cives arduo in discrimine exempli vestri praestantia erexeritis, eorum animos in tranquillum redigentes itemque ad fortiter agendum et ad maiora sibi imposita officia obeunda excitantes. Certatim vobis gratias persolvent matres et sponsae, quas ipsarum caros iuvando multipliciter solati eritis. Praemio vobis erit rei bene gestae conscientia, quae vobis intus susurrabit etiam ista tempestate non diminutum sacerdotium vestrum esse, sed Spiritus munere, actionis efficientia, devotionis propensione adauctum. Ante omnia autem — quod plurimi ducendum est — animadvertetis vos a Deo fallere nescio probari itemque ad vos ipsos humiles, verum puro gaudio gestientes quasi praevium iudicium coronaturi olim vos Iesu evangelicum adhiberi promissum: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego coram Patre meo, qui in caelis est.* [1]

Firma demum freti fiducia desiderii Nostri exspectationem impletum iri, vos, dilecti Filii, paternis prosequimur votis, valde cupientes, ut animo et corpore optime valeatis, et a periculis semper absitis. Ac, dum Deum exoramus, ut vobis et universis hominibus calamitosum belli tempus corripiat et, redintegrata cito populorum pace, vos ad quietas sacerdotalis ministerii sedes vel ad sacrarum disciplinarum optata studia restituat, Apostolicam Benedictionem, paternae Nostrae benevolentiae testem, libenti volentique animo vobis impertimus.

*AAS* XXXI (1939), 696-701.

[1] *Mt* X, 32.

http://www.obrascatolicas.com/

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

375

### De servitio militari

(Ex Epist. diei 23 ianuarii 1940, ad S. C. de Prop. Fide)

Decretum *Inter reliquas,*[a] respicit religiosos *primitus* ad militiam vocatos. Quoad eos qui *iterum* ad militiam, vel in casu mobilitationis (ut aiunt) generalis, vocantur: *a*) si iam emiserant vota perpetua, considerandi sunt ut exclaustrati ad normam iuris; *b*) si votis tantum temporaneis ligabantur, haec manent usque ad finem temporis ad quod prolata fuerant, at tempore servitii militaris admitti nequeunt ad vota perpetua nuncupanda, bene vero ad renovanda vota temporanea ad annum; *c*) ii vero qui adhuc definitive inhabiles declarati non sunt, nequeunt vota emittere perpetua durante hoc statu, et si dein habiles declarantur ac ad militiam vocantur sunt sicut « primitus vocati ».

In *AAS* non promulgata.[b]

## SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

376

### De recta cleri orientalis institutione in territoriis patriarchalibus

(Decr. *Apostolicae Sedi,* diei 27 ianuarii 1940)

Apostolicae Sedi id semper cordi fuit, ut quos sua Dominus benignitate ad sublimem sacerdotii honorem dignaretur vocare, spiritualibus atque ad scientiam pertinentibus disciplinis adprime imbuerentur, quatenus re quidem vera, sal terrae et lux mundi futuri essent atque haberentur.

Maternae huius sollicitudinis circa iuveniles sacros manipulos, spem sanctae Ecclesiae, futuros animarum pastores, haud ultimum sane argumentum his nostris temporibus Litterae Encyclicae exstitere *Ad catholici sacerdotii,*[c] necnon Constitutio Apostolica *Deus scientiarum Dominus*[d] f. r. Pii Pp. XI: quorum documentorum alte-

[a] N. 273. - Can. 574.
[b] SCHAEFER, *De Religiosis,* ed. 3, pp. 1124-1125. Cfr. etiam SARTORI, *Enchiridion Canonicum,* sub can. 574.
[c] N. 367.
[d] N. 359.



rum morum institutioni, alterum vero rationi studiorum clericalis militiae pressius consuluit.

Sacra haec Congregatio pro Ecclesia Orientali quae sub immediata Summi Pontificis directione, peculiari studio bonum fovet orientalium fidelium, ac proinde eorum praesertim qui, sacerdotali aucti dignitate, per multiplicem miramque varietatem sacrorum rituum, illorum animas ad Deum ducere atque comitari debent, plurimis atque in dies gravioribus regionum ac populorum sibi curae commissorum perspectis necessitatibus, officii sui censet, ut quae supra memoravimus documenta, quantum fieri possit, peculiarem applicationem sortiantur etiam pro iuvenibus levitis orientalibus, quos, praeter officia cuique sacerdoti communia, naturali quadam necessitate, missionales quoque esse oportet erga eos qui catholicam fidem non habeant, simulque apologetas erga dissidentes fratres, apud quos seu quibuscum vivere debent.

His porro, quae quidem gravissimae sunt, aliae quoque non minoris momenti accedunt rationes, si hodierna tempora ac res, quae ubique progrediuntur, prae oculis habeantur.

Si enim, anteactis temporibus, tantum in urbibus hic rerum progressus fieri consuevit, hodie contra, vel in oppidis et in vicis, patenter habetur; ubi quoque propterea sacerdotibus, sanctitate ac scientia praeditis, omnino opus est: huiusmodi nempe qui verbo apostolico, zelo ac doctrina omnibus duces se praebeant, arceantque periculum, ne Christifideles erroris malitiaeque facilis evadant praeda.

Neque vero praetereundum est cuique sacerdoti gravissimum officii munus incumbere praedicandi ubique atque docendi divinam veritatem, iuxta illud « vos estis sal terrae, vos estis lux mundi »:[a] gravissimum profecto munus, quod si omittere nefas est, adimpleri tamen quidem non potest, nisi sacerdotes scientiae thesauro ac virtutibus eximiis sint praediti.

Quod si in ceteris vitae institutis, utpote iurisperiti, magistratus, medici etc., per plures annos opportunis disciplinarum studiis est incumbendum, praescriptamque lauream oportet adipisci, immo si vel manualium artium cultores, antequam artem exerceant, diuturna indigent praeparatione, multo sane diuturniore ac diligentiore instituto opus est Christi administris, tum ob sublimem sacerdotii dignitatem, tum denique ob eidem adnexum gravissimum pondus, regimen scilicet animarum, de quibus Christo ab iisdem ratio est reddenda.

[a] *Mt* V, 13-14.



http://www.obrascatolicas.com/

Neque reapse cogitari possunt sacerdotes — quibus officium est pascere verbo vitae, veritatem docere, dirigere atque firmare per vias iustitiae caritatisque animas a Christo redemptas — minus docti ac parati quam ii, qui corporum solummodo rerumve terrenarum curam susceperint.

Eo igitur consilio ut, quantum fieri liceat, nobilissimum hoc propositum ad effectum deducatur, consulendi nempe sufficienti ac solidae institutioni morali ac doctrinali eorum qui in sortem Domini vocantur, et praecavendi abusus qui, sensim sine sensu, in conferendis sacris Ordinibus haberi forte potuerint, Sacra haec Congregatio, in Plenario Conventu Emorum Cardinalium, habito die 20 martii a. 1939, totam quaestionem sedulo examinavit, rebusque mature perpensis, haec quae sequuntur statuit ac decrevit:

## I - *De admissione candidatorum*

1° Ut quis in seminarium seu domum religiosam admittatur, ut postea Sacros maiores Ordines recipiat, testimonium exhibeat vitae irreprehensibilis, scripto datum ab ipsius parocho vel Ordinario, quod iidem ne tradant nisi sua onerata coram Domino conscientia.

2° In seminaria ne admittantur qui ex aliis seminariis, monasteriis, piisque institutis dimissi fuerint, nisi prius consulta S. Congregatione pro Ecclesia Orientali.

3° Si quem vero ad Sacros Ordines vocatum non constet, nec idoneum ad munera eisdem inhaerentia — sacramentorum nempe administrationem, praedicationem verbi Dei, christianam catechesim — neque viribus animoque obsistendi separatis ab unitate Ecclesiae sufficienter sit praeditus, is omnino neque in seminariis, neque in domibus clericalium studiorum, neque in religiosis institutis, uti alumnus, retineri potest, neque denique in sacris constitui, ac sacerdotio initiari.

## II - *De alumnorum in seminariis institutione*

4° Tum doctrinalis, tum vero moralis et ascetica alumnorum institutio in seminariis impertienda est, in collegiis nempe seu domibus reservatis tantum alumnis sacerdotio initiandis, quaeque ad huiusmodi finem apposite constituta et ordinata sint.

5° Expleto superiori curriculo litterarum, ad sacerdotium candidati unum *saltem* annum philosophiae studio, tres vero sacrae



theologiae impendere debent, firma tamen studiorum ratione Seminariorum atque Institutorum Religiosorum in quibus cursus philosophicus ac theologicus amplior et perfectior laudabiliter iam absolvitur. Patriarchae erit harum rationem disciplinarum seu, uti aiunt « programma » conficere et ad S. Congregationem pro approbatione transmittere.

6° Peculiari denique sollicitudine S. Congregatio commendat, ut candidati idoneos quoque se reddant ad docendum in scholis publicis, necessariamque attestationem, seu diploma, a civili auctoritate adipiscantur, ita ut ad munus publici magistri eligi possint.

## III - *De ascensu ad Ordines Sacros*

7° Nequit Episcopus manus cuiquam imponere, nisi prius moraliter ac positive certior factus fuerit de canonica idoneitate eligendi; alioquin non modo gravissime peccat, sed et periculo sese committit cum peccatis alienis communicandi. Quamobrem attestationem sibi procuret necesse est Superioris seminarii seu domus vel monasterii, ubi studiorum curriculum candidatus peregerit, necnon sententiam sive iudicium Commissionis, quam vocant, Ordinandorum Examinatricis, uti per ea quae sequuntur, statuitur.

8° Attestatio Superioris seminarii, monasterii seu domus piae, per secretum scrutinium et cum maiore parte suffragiorum exquirenda, in consilio professorum confici debet; inde vero Ordinario, seu Supremo Ordinis Moderatori, si de religioso agitur, scripto communicari, simulque Commissioni Ordinandorum Examinatrici.

9° Antequam Sacros Ordines conferat, Episcopus sedulo quoque perpendat, se, cum ad sacerdotium aliquem admittit, eum acceptare, suoque mancipare servitio, nempe dioecesi atque animabus suae curae commissis, ideoque sibi fieri obnoxium non modo quoad eiusdem statum vel condicionem, sed etiam quoad temporalem substentationem, nisi forte electum substentationis titulum personalem, securum, vereque sufficientem, habere constiterit.

10° Ex hoc gravissimo episcopali officio circa sacerdotum statum ac temporalem condicionem, necessario consequitur Sacros Ordines iis tantum esse conferendos quos animarum bonum expostulat. Sacrilegus reapse abusus plenitudinis sacri characteris censendus est, sacerdotalem conferre ordinem, alicuius familiae seu factionis favore, amicorum vel hominum potentium instantia, vel cuiuslibet humani commodi intuitu.

http://www.obrascatolicas.com/

11° Unusquisque ad Sacros Ordines maiores candidatus, cuiusvis sit aetatis vel condicionis, antequam Ordinem recipiat, coram Commissione Examinatrice se sistere debet, eique de sua ipsius praeparatione satisfacere.

12° Singuli Patriarchatus Commissionem Examinatricem, vi huius Decreti, habento. Haec vero:

*a*) aliquot membris constare debet nempe 5, 7, 9; numquam tamen minus tribus selectis ex clero saeculari ac regulari, alterius vel proprii ritus;

*b*) constituatur per patriarcham una cum Delegato Apostolico; ab eodemque Delegato, nomine huius S. Congregationis, approbetur;

*c*) examinatores Commissionis studiorum titulum in facultatibus theologicis ac philosophicis regulariter adepti sint, vel saltem bene compleverint integrum studiorum curriculum apud facultatem quamdam seu seminarium, notique sint probata doctrina;

*d*) Ordinario seu Superiori cuiusvis ordinandi officium sit conventum Commissionis Examinatricis tempestive promovere — nisi forte certa tempora Patriarcha statuerit — ad eamque mittere candidatos. Est autem penes Ordinarium seu Superiorem, ratione temporis vel commoditatis, ad Commissionem alterius Patriarchatus praesentare ordinandos;

*e*) Commissio sententiam det scripto exaratam duplicique exemplari, quorum alterum servetur in tabulario Eparchiae sive Ordinis ad quem pertinet candidatus, alterum in tabulario seminarii seu instituti ubi studia peracta fuerint;

*f*) Commissio quoties pro examinibus congregatur, tria saltem membra habeat, et iudicium proferat per suffragium secretum, quod unanimitatem prae se ferre debet ut quis ad Sacros maiores Ordines admitti possit. Candidatus vero qui unanimitatem non retulerit, Commissioni, aliquo elapso temporis spatio, denuo se sistendi ius habet, eique contra sententiam recursus patet ad Sacram Congregationem;

*g*) in examine coram Commissione subeundo unusquisque candidatus satisfacere debet: 1) de sua ipsius praeparatione morali et ascetica; 2) de scientia practica atque theologica cuiusvis Ordinis suscipiendi; 3) de institutione doctrinali, inspectis in primis theologia dogmatica, morali et sacramentaria, liturgia et iure canonico;



*h*) huiusmodi examen superandum est antequam candidatus ad Sacros maiores Ordines admittatur, atque iterum, secunda vice, priusquam sacerdotio initietur.

13° Ut vero recens ordinati suo munere, qua par est dignitate, fungi pergant, per integrum quinquennium ab inito sacerdotio tenentur singulis annis Commissioni Examinatrici se sistere, ut diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, satisfaciant et interesse peculiaribus curriculis seu collationibus, quae locorum Ordinarii ac Sacra Congregatio quotannis promovere curaverint.

Documentum comprobans exitum annui periculi ad Episcopum, vel, si agatur de religiosis, ad Superiorem Ordinis, necnon ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali mittatur.

14° Condicionibus, quas supra recensuimus, circa praeparationem et ascensum ad Sacros Ordines, omnes candidati obstringuntur, sive caelibes sive uxorati advocentur.

## IV - *Derogationes et sanctiones*

15° Quaevis derogatio seu dispensatio ab his quae praesenti decreto statuta sunt, maxime vero circa ea quae attinent ad obligationem ac tempus commorationis in seminario seu domo ecclesiastica, ad sententiam Superioris seminarii seu instituti pii, necnon Commissionis Examinatricis, S. Congregationi reservatur.

16° Qui sine praevia in aliquo seminario seu domo ecclesiastica, praescripta commoratione, vel non obtentis, quae supra enumerantur ac requiruntur, documentis favorabilibus, Sacris maioribus Ordinibus initiatus fuerit, ipso facto ab exercitio ordinis suspensus manet, et ad S. Sedem recurrere debet.

17° Suspensionem item a collatione Sacrorum Ordinum Episcopus ipso facto incurrit, qui scienter Sacros maiores Ordines candidato de quo in num. 16 contulerit.

Quae omnia, relata Ssmo D. N. Pio, div. prov. Papae XII, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali a secretis die 27 m. ianuarii a. 1940, Beatissimus Pater adprobare dignatus est et per praesens decretum iussit publici iuris fieri.

Contrariis quibuslibet minime obfuturis.

*AAS* XXXII (1940), 152-157.

http://www.obrascatolicas.com/

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS ET DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

### 377

### Normae circa studia religiosorum in Italia

(Litt. circ. *Le Relazioni*, diei 2 februarii 1941, ad Superiores Generales Ordinum et Congregationum religiosarum in Italia)

Le Relazioni, testè inviate alla S. C. dei Seminari e delle Università, circa gli studi che i Religiosi compiono per la loro formazione intellettuale, in ordine al Sacerdozio, hanno mostrato che, nella quasi totalità, si seguono le sapienti prescrizioni della Chiesa, e si tengono presenti i bisogni urgenti e crescenti delle anime.

Ora che in Italia la riforma introdotta dalla « Carta della Scuola » presenta inevitabili riflessi sull'ordinamento dei nostri programmi di studi secondari (Ginnasio, Liceo), ad evitare qualunque irregolarità nel corso di tali studi, si ritiene necessario impartire alcune norme secondo lo spirito del canone 1364, n. 3, C. I. C.

1. Prima del quadriennio teologico, si deve compiere un corso di studi della durata di almeno otto anni — dopo le classi elementari —, quanti ne sono prescritti per i Seminari.

2. Il suddetto corso dovrà dividersi in due *periodi*, rispettivamente di tre anni (Scuola media) e di cinque anni (Liceo classico), a misura che andrà attuandosi questa nuova divisione nelle scuole pubbliche. Il Liceo classico sarà altresì suddiviso in due *periodi*, rispettivamente di due anni, corrispondenti alle classi IV e V dell'attuale corso ginnasiale, e di tre anni, corrispondenti alle tre classi dell'attuale Liceo classico.

3. Il periodo triennale della « Scuola media », iniziata quest'anno in base alla Legge 1 luglio 1949, n. 899, deve essere organizzato in accordo con il metodo tradizionale della Chiesa, in modo da dare maggiore svolgimento allo studio della Religione, del Latino e dell'Italiano, come vuole il can. 1364, nn. 1 e 2, tenuti presenti i programmi delle Scuole pubbliche e conformemente allo spirito dello stesso canone, n. 3. Lo stesso dovrà farsi per il Liceo.

4. È necessario che gli alunni religiosi, tutti, per quanto sarà possibile, salvo eccezioni giustificate, si provvedano dei titoli legali di studio, a tempo opportuno, secondo gli intervalli prescritti dalle Leggi, nell'ordine seguente:



*a*) per l'ammissione al corso medio è necessario il titolo legale di studio, detto « Ammissione alla Scuola media »;

*b*) inoltre, alla fine del triennio di Scuola media, gli alunni saranno obbligati a munirsi del titolo di « licenza », da conseguirsi a norma dell'art. 14 della Legge sopra menzionata, perchè, senza tale titolo, non potranno essere ammessi alla prima classe del Liceo classico quinquennale, nè, successivamente, alla fine di questo, presentarsi all'Esame di Stato, che dà adito alle varie Facoltà Universitarie.

Pertanto, gli aspiranti religiosi che, quest'anno, non avessero potuto premunirsi del titolo di ammissione alla Scuola media, prima di entrare nell'Istituto, dovranno conseguirlo nella prossima sessione di esami.

Intanto, nel periodo transitorio, sino alla compiuta attuazione della Carta della Scuola, gli alunni di quinta ginnasiale siano preparati in modo da poter conseguire il titolo legale d'ammissione al Liceo classico, senza il quale non potranno poi, a distanza di tre anni, presentarsi all'Esame di Stato di maturità.

5. Gli esperimenti di lavoro manuale, da introdursi a norma dei programmi della Scuola media di Stato, devono essere naturalmente conformi, il più possibile, alle attitudini dell'aspirante religioso. Potrebbero organizzarsi esercitazioni di orticultura, floricultura, apicultura, di legatoria e tipografia, di intaglio, intarsio e traforo, di impianti e applicazioni elettriche, di decorazione murale ecc., lavori tutti che potranno avere pratica utilità anche per un Religioso. Nella prima classe della Scuola media i programmi di Stato assegnano al lavoro manuale due ore settimanali.

6. Lo studio della Filosofia, di cui ai canoni 589, § 1, 1365, § 1, 1366, §§ 1 e 2 C. I. C., potrà essere compiuto — attualmente, nel *periodo transitorio*, durante il corso triennale di Liceo — in seguito, negli ultimi tre anni del Liceo quinquennale; sempre però con la debita cura e solidità, secondo lo spirito dei citati canoni, e a norma della Costituzione Apostolica *Deus scientiarum Dominus* (art. 25, 2° *a*) 29 *c*); 30 § 2; cfr. *Ordinationes*, art. 16, 18, 21, 24),[a] essendo esso necessario fondamento allo studio della sacra Teologia.

Si procuri di osservare nel miglior modo quanto prescrive l'art. 21 delle *Ordinationes* sull'uso del Latino nell'insegnamento della Filosofia scolastica e sulla piena ed accurata intelligenza dei termini tecnici, l'uno e l'altra tanto necessari al susseguente studio della

[a] Nn. 359, 360.

http://www.obrascatolicas.com/

Teologia. Si userà la lingua italiana solo per quel che si riferisce alla preparazione degli alunni agli esami di Stato di maturità, per lo studio cioè di alcuni autori e per la storia della Filosofia.

7. I Professori devono essere sufficienti per numero e competenza, muniti di congrui titoli di studio. Di regola vi sarà un Professore per ciascuna classe per le materie letterarie.

8. Per assicurare alla scuola il regolare andamento ed il necessario profitto negli studi, si deve avere un conveniente numero di alunni, di modo che vi siano, per i singoli anni del corso, classi distinte. Nel caso che non si potessero organizzare convenientemente le classi distinte, per lo scarso numero di alunni, o per difetto di insegnanti, si procederà a norma del can. 587, C. I. C.

Per eventuali informazioni e chiarimenti la P. V. potrà sempre rivolgersi alla Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.

I sottoscritti Cardinali, nel render noto quanto precede alla P. V. Revma, hanno l'onore di comunicare altresì l'Apostolica Benedizione dell'Augusto Pontefice.

In *AAS* non promulgatae. [a]

## 378

### De alumnis in seminarium vel in familiam religiosam admittendis

(Decretum *Consiliis initis,* diei 25 iulii 1941)

Consiliis initis inter S. Congregationem de Religiosis et S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus, decreta sunt quae sequuntur:

Antequam in Seminarium admittantur qui, quocumque titulo, ad familiam Religiosam pertinuerint, Ordinarius ad Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus recurrat, quae de iudicio suo Ordinarium certiorem faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat.

Itemque antequam familiae Religiosae adscribantur qui, quavis de causa, e Seminario egressi sint, Superiores Religiosi ad S. Congregationem de Religiosis recurrant, quae de suo iudicio Superiores certiores faciet, peractis iis omnibus quae casus ferat.

---

[a] *Il Monitore ecclesiastico* LIII (1941), 34-36.



Quae omnia Ssmus D. N. Pius Div. Prov. Papa XII approbare atque confirmare dignatus est atque publici iuris fieri mandavit. [a]

*AAS* XXXIII (1941), 371.

## SACRA CONGREGATIO
## DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

## 378 [a]

### De cursu peculiari ad Psalmos interpretandos in Seminariis introducendo

(Litt. circ. *La Santità,* diei 5 augusti 1941, ad Supremos Pontificiorum Seminariorum Italiae Moderatores)

La Santità di Nostro Signore Pio Pp. XII, felicemente regnante, nella Sua vigile sollecitudine per tutto ciò che concerne la vita interiore e la pietà del Clero, desidera che si dedichi cura particolare all'intelligenza dei Salmi, perchè la recita del Divino Ufficio, la quale costituisce per il Sacerdote la preghiera di tutta la vita e di tutte le ore, sia compiuta con maggiore attenzione e devozione.

In ossequio all'augusto desiderio del Santo Padre, questa Sacra Congregazione è venuta nella determinazione che, a partire dal prossimo anno scolastico 1941-42, nel programma degli studi Teologici dei Pontifici Seminari Regionali venga introdotto un corso sul Salterio secondo le seguenti norme:

1) Il Corso è biennale per gli alunni riuniti del III e IV anno di Teologia, con una lezione settimanale.

L'ora necessaria allo scopo viene presa dal corso affine di Liturgia, che è quindi limitato al primo biennio, rimanendo però integro l'insegnamento delle sacre Cerimonie da impartirsi settimanalmente da un superiore a tutti gli alunni di Teologia in orario extra scolastico.

2) Il Corso è affidato al Professore di Sacra Scrittura, il quale d'ora innanzi dovrà tenere complessivamente dieci lezioni per settimana come gli altri insegnanti di Teologia.

3) Il Corso ha scopo eminentemente pratico e deve comprendere la spiegazione di tutto il Salterio.

---

[a] Decretum non respicit eos qui e Seminario vel Collegio exeant ad amplectendam vitam perfectionis religiosae in aliquo Instituto Religioso, de quibus satis provisum in can. 544, § 3. - Cfr. Responsum S. C. de Rel., diei 25 iunii 1942, in *Comment. pro Religiosis* XXIII (1942), 238; *Acta O. F. M.* LXI (1942), 126; *Analecta O. F. M. Cap.* LVIII (1942), 109.

http://www.obrascatolicas.com/

4) Perchè sia possibile dare ai Chierici, con una cinquantina di lezioni, — quante se ne possono tenere nel biennio — una comprensione abbastanza esatta dei 150 Salmi è bene:

*a*) premettere la introduzione al Salterio, con tutte le questioni inerenti (sensi biblici, poesia ebraica ossia parallelismo e ritmo, ecc.) nel primo anno di Teologia;

*b*) raggruppare i Salmi in serie secondo l'argomento: così è anche più facile evitare inutili ripetizioni e raggiungere maggior chiarezza nell'esposizione;

*c*) svolgere i Salmi messianici e qualche altro dei più importanti nella scuola ordinaria di esegesi, con l'ampiezza che meritano;

*d*) *il* Professore si preoccupi che gli alunni comprendano bene il senso del testo Volgato, che è quello del Breviario: per maggiore speditezza può usare la lingua italiana.

Egli, premessa per ogni Salmo una brevissima introduzione (circostanze storiche che vi hanno dato origine, argomento, divisione, caratteristiche principali letterarie e dottrinali) legga il testo latino, lo traduca e dove il senso presenti qualche difficoltà, ne dia brevemente la spiegazione, ricorrendo al testo ebraico soltanto quando la Volgata non sia chiara, omettendo però sempre ogni discussione.

5) All'inizio del Corso si legga e si commenti brevemente la bolla di Pio X di s. m. *Divino afflatu* (1 novembre 1911),[a] e si insista sull'alto valore e l'uso liturgico dei Salmi.

6) Al termine del terzo e del quarto anno di Teologia gli alunni devono sostenere un esame sui Salmi letti e spiegati.

7) Sarebbe bene che il Professore prescrivesse un testo unico e lo seguisse. Se non esiste ancora un libro di testo che possa dirsi sotto ogni riguardo completo e soddisfacente, non mancano certo esposizioni e volgarizzazioni del Salterio. Mons. Vincenzo Tarozzi di s. m. nel suo aureo opuscoletto *Psallite sapienter,*[b] a chi non abbia modo e tempo di attingere a copiose esposizioni suggerisce tra i moderni *Il nuovo Salterio del Breviario Romano,* dell'egregio Sulpiziano L. Cl. Fillion, testo, traduzione e commento disposto secondo le riforme di Papa Pio X.[c] Ma nessuno è più competente del

---

[a] Const. ap., diei 1 novembris 1911, in *AAS* III (1911), 633-638.
[b] Roma, Tipografia poliglotta vaticana, 1919.
[c] Trad. di S. Mondino e V. Terreno, ed. 2, Mondovì, Tip. ed. Vescovile, 1914. Fillion, L. C., P. S. S., *Le nouveau Psautier du Breviaire romain*, ed. VI°, Paris, I. Gaballda, V. Lecoffre, 1913.



Professore anche nella scelta della traduzione e del commento che meglio rispondano alle giuste esigenze dei suoi alunni, i quali potrebbero giovarsi molto del Salterio contenuto nella ormai celebre *Biblia Sacra Vulgatae Editionis*, pubblicata da P. Michele Hetzenauer.[a]

Il Revm̃o Prefetto degli Studi di ciascun Seminario Regionale alla fine del prossimo anno scolastico farà ampia relazione circa i risultati del Corso all'Eccm̃o Presule Commissario per gli Studi, il quale ne informerà questo Sacro Dicastero, e questi ne approfitterà per migliorare, eventualmente, il Corso stesso.

Non dubitiamo che la suddetta iniziativa, particolarmente benedetta dal Vicario di Gesù, produrrà i frutti desiderati.

Invocando a tale scopo le più elette Benedizioni Celesti su quanti prestano la loro encomiabile opera perchè gli alunni del Santuario diventino veri uomini di Dio, animati dallo spirito di preghiera, con sensi di particolare ossequio e con i più cordiali auguri nel Signore mi professo dell'Eccellenza Vostra Revm̃a devm̃o in G. C.

In *AAS* non promulgatae.[a]

## 379

### Normae a clericis et utriusque sexus religiosis studiis academicis apud Universitates civiles vacare cupientibus observandae

(Decretum *Nessun ecclesiastico,* diei 20 augusti 1942)

1. - Nessun ecclesiastico può chiedere l'iscrizione ad Istituti civili di Studi Superiori (Universitari) se questa Sacra Congregazione non ha dato in antecedenza il suo *nulla osta.*

2. - Nessun ecclesiastico potrà essere inviato ad una Università se non è già sacerdote, se non ha compiuto lodevolmente il regolare

---

1. *Nemo e clero inscriptionem petere potest apud Instituta civilia Studiorum superiorum (Universitaria), nisi postquam haec Sacra Congregatio suum* Nihil obstat, *quod vocant, dederit.*

2. *Nullus ecclesiasticus ad Universitates mitti potest nisi sacerdotio sit iam auctus, regulare studiorum curriculum philosophicum-*

---

[a] P. Michael Hetzenauer, O. F. M. Cap., tom. II, Oeniponte, 1906.
[b] *Acta O. FF. Minorum* LXI (1942), 119-120.

http://www.obrascatolicas.com/

corso di studi filosofico-teologici, e se non è esemplare sia per particolari doti d'ingegno e di volontà sia, soprattutto, per virtù e spirito di pietà.

3. - Gli Ordinari, nell'inviare i loro sacerdoti alle Università, abbiano come scopo quello di provvedere alle necessità e utilità delle proprie Diocesi.

4. - Per la iscrizione a qualsiasi Università gli Ordinari chiedano direttamente a questa Sacra Congregazione il necessario *nulla osta*, inviando le opportune informazioni circa il candidato.

5. - I sacerdoti che frequentano l'Università dovranno dimorare, durante gli studi, in un Convento ecclesiastico o in una Casa religiosa o, in mancanza dell'uno e dell'altra, presso qualche buon sacerdote, designato dall'Ordinario del luogo.

6. - Se l'Università è fuori della propria Diocesi, l'Ordinario raccomanderà il suo sacerdote al Vescovo del luogo, col quale prenderà gli opportuni accordi per la dimora. Il sacerdote studente si

---

*theologicum laudabiliter absolverit, et simul sit exemplaris tum ob peculiares ingenii et voluntatis dotes, tum, praesertim, ob virtutis pietatisque spiritum.* [a]

3. *Ordinarius in destinando sacerdotes suos ad Universitates nullum alium scopum prae oculis habeat nisi propriae dioecesis necessitati ac utilitati providere.* [b]

4. *Pro inscriptione alumni in quacumque Universitate, Ordinarii directe petant ab hac Sacra Congregatione necessarium* Nihil obstat, *ideoque opportunas informationes circa candidatum mittant.*

5. *Sacerdotes qui Universitates celebrant hospitandi sunt, quamdiu studiis vacant, vel in Instituto aliquo ecclesiastico, vel in aliqua domo religiosa, vel denique, his non exstantibus, apud aliquem probatum sacerdotem ab Ordinario loci designatum.* [c]

6. *Si Universitas sita sit extra propriam dioecesim, Ordinarius suum sacerdotem commendet Episcopo loci, cum quo etiam conveniat ea omnia quae ad commorationem alumni spectant. Sacerdos*

---

[a] Nn. 235 sub V, 323 sub 1; cfr. etiam Secretariae Status litt. circ. *Non di rado*, diei 18 novembris 1920, n. 1, in *Il Monitore Ecclesiastico* XXXIX (1927), 72-75 (italica lingua); *Periodica de re canonica et morali* XVI (1927), 61-65 (italice et latine).

[b] Nn. 235 sub II, 323 sub 2; Secr. Stat., proëm.

[c] N. 235 sub VII; Secr. Status, n. 3.



presenterà al Vescovo della Diocesi ove ha sede l'Università e sarà a lui soggetto, oltre che al proprio Ordinario, durante la sua permanenza nella Diocesi stessa.

7. - I sacerdoti studenti non sono affatto esentati dagli esami prescritti dal Codice Canonico (can. 130; cfr. 590).

8. - Gli Ordinari procureranno che, durante gli studi, gli ecclesiastici universitari non abbiano a ricevere alcun danno dalla lettura dei libri, stampe, giornali o dalla compagnia di elementi non buoni, e li esorteranno vivamente, non solo a non trascurare le pratiche di pietà, ma ad intensificare la loro vita spirituale.

9. - I sacerdoti studenti non daranno il proprio nome ad associazioni studentesche; eviteranno altresì di prendere parte a circoli e manifestazioni che siano in contrasto con la dignità sacerdotale.

10. - I Vescovi di Diocesi in cui si trovano Università istituiscano una Associazione per gli Universitari ecclesiastici, affidando ad un sacerdote particolarmente idoneo l'ufficio di Assistente e pro-

---

*studens se sistere debet Episcopo dioecesis ubi Universitas sita est et usquedum in ipsa dioecesi commorabitur, ei, praeterquam proprio Ordinario, subiectus erit.* [a]

7. *Sacerdotes alumni ab examinibus quae in Codice I. C. praescribuntur (can. 130; cfr. can. 590), minime eximantur.* [b]

8. *Ordinarii curabunt ne, durantibus studiis, ecclesiastici universitarii damnum capiant ex lectione librorum, ephemeridum vel periodicorum libellorum, vel ex familiaritate cum personis non laudandis; eosque enixe hortentur ut praxes pietatis minime omittant, quin potius vitam spiritualem foveant intensioremque faciant.* [c]

9. *Sacerdotes Universitates frequentantes ne dent nomen studentium consociationibus, neque unquam adsistant circulis aut manifestationibus quae dignitati sacerdotali quovis modo dedeceant.* [d]

10. *Episcopi sedem habentes in civitatibus Universitatum curent aliquam Associationem pro studentibus ecclesiasticis fundare, adhibendo ad hoc operam alicuius sacerdotis, quem peculiariter idoneum*

---

[a] N. 235 sub VIII; cfr. Secr. Status, n. 4; S. C. Conc. Decr. *Cum plures*, diei 22 februarii 1927, n. VIII, in *AAS* XIX (1927), 99-100.

[b] N. 323 sub. 3.

[c] N. 235 sub XI-XII.

[d] Ibid. sub XII.

http://www.obrascatolicas.com/

muovendo opportune adunanze di carattere religioso e scientifico.

11. - Qualora un sacerdote, non ostante le cautele su accennate, tenesse una condotta aliena dallo spirito ecclesiastico, sarà cura del suo Vescovo di richiamarlo, e non permettergli più la frequenza dell'Università, dandone comunicazione a questo Sacro Dicastero.

12. - Terminati gli studi, i sacerdoti rimarranno sotto la piena giurisdizione del proprio Ordinario, e perciò non sarà loro lecito assumere incarichi o uffici civili senza l'espresso consenso dell'Ordinario medesimo.

13. - Il *nulla osta,* che la Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi concede per la iscrizione ad una Università civile, è subordinato alla fedele osservanza delle presenti Norme.

Le medesime Norme — in quanto possono loro riferirsi — valgono anche per i religiosi e le religiose.

---

*iudicaverint, qui Assistentis ecclesiastici munere fungatur, et opportunos indicendo conventus religiosos et scientificos.* [a]

11. *Si vero, non obstantibus cautelis hucusque indicatis, Episcopus noverit aliquem sacerdotem a recto tramite spiritus sacerdotalis declinare, eum ab Universitate revocet et hanc Sacram Congregationem de huiusmodi re certiorem faciat.* [b]

12. *Expletis studiis, sciant sacerdotes se sub plena iurisdictione proprii Episcopi manere. Quam ob rem nemini fas erit munera officiave civilia, sine ipsius Ordinarii consensu, suscipere.* [c]

13. *Concessio* Nihil obstat *ab hac S. Congregatione, pro inscriptione in Universitate civili, fideli harum Normarum observantiae subordinata est.*

*Hae ipsae Normae — prout ipsis applicari possint — valent etiam de religiosis tum viris tum feminis.*

In *AAS* non promulgatae. [d]

---

[a] Ibid. sub XIII.
[b] Ibid. sub XV.
[c] N. 323 sub 4; S. C. Conc., n. II.
[d] *Perfice munus* XVII (1942), 517-518; *Comment. pro Relig.* XXIV (1943), 3-6.



## PIUS XII

### 380

### De sacrorum bibliorum studiis opportune provehendis

(Ex Litt. encycl. *Divino afflante Spiritu,* diei 30 septembris 1943)

Neminem autem fugit haec omnia a sacerdotibus rite perfici non posse, nisi ipsimet, dum in Seminariis commorati sunt, Sacrae Scripturae actuosum ac perennem imbiberint amorem. Quare sacrorum Antistites, quibus Seminariorum suorum paterna incumbit cura, diligenter vigilent, ut in hac quoque re nihil omittatur, quod ad eiusmodi finem assequendum iuvare possit. Sacrae autem Scripturae magistri totam de re biblica institutionem in Seminariis ita perficiant, ut adulescentes ad sacerdotium atque ad divini verbi ministerium efformandos ea Sacrarum Litterarum cognitione instruant, eoque erga illas imbuant amore, sine quibus uberes apostolatus fructus haberi nequeunt. Quare exegetica explanatio ad rationem potissimum theologicam spectet, supervacaneis vitatis disputationibus, atque iis praetermissis, quae curiositatem potius nutriant, quam veram foveant doctrinam solidamque pietatem; sensum *litteralem,* quem vocant, ac praesertim theologicum, ita solide proponant, ita scite explicent, ita ardenter inculcent, ut id quodammodo eorum alumnis contingat, quod Iesu Christi discipulis evenit Emmaus euntibus, qui, auditis Magistri verbis, exclamarunt: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum aperiret nobis Scripturas? ». [1] Sic Divinae Litterae futuris Ecclesiae sacerdotibus fiant et propriae cuiusque vitae spiritualis fons purus atque perennis, et sacri concionandi muneris, quod suscepturi sunt, alimentum ac robur. Quod quidem si gravissimae huius disciplinae in Seminariis magistri assecuti fuerint, se ad animorum salutem, ad rei catholicae profectum, ad Dei honorem et gloriam summopere contulisse, seseque opus perfecisse apostolico officio coniunctissimum, laeti sibi persuadeant.

*AAS* XXV (1943), 321-322.

---

[1] *Lc* XXIV, 32

http://www.obrascatolicas.com/

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 381

### Erigitur Commissio iuvenum sodalium educationi instructionique praeposita

(Decretum *Quo efficacius,* diei 24 ianuarii 1944)

Quo efficacius atque fructuosius Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita munere sibi per canonem 251 concredito perfungi valeat, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, in audientia diei 24 ianuarii 1944 infrascripto Secretario concessa, adprobare dignatus est, auctoritate apostolica, erectionem atque constitutionem in sinu eiusdem Sacrae Congregationis, specialis Coetus seu Commissionis virorum idoneorum, quae omnes quaestiones ac negotia quavis ratione ad adspirantium et novitiorum iuniorumque sodalium, cuiuslibet religionis ac societatis, in commune viventium sine votis, religiosam et clericalem educationem atque in litteris scientiisque et ministeriis institutionem spectantia pertractet.

Constitutae Commissioni incumbent praesertim munera quae sequuntur:

*a*) definiendi et delineandi criteria cardinalia et peculiares notas, quibus educatio ac institutio religiosorum duci iugiter debet;

*b*) vigilandi circa ordinationes a Superioribus et Capitulis in rebus ad educationem et instructionem pertinentibus latas; necnon inspiciendi et recognoscendi relationes a Superioribus vel ab Apostolicis Visitatoribus quoad hoc exhibitas.

Commissio autem ad sessiones ordinarias vel extraordinarias, plenarias vel partiales, prouti negotiorum agendorum natura ac momentum ferre videantur, convocabitur. Sessiones habebuntur praeside ac moderante Sacrae Congregationis Secretario. Discussiones ac decisiones in acta opportune referentur.

Omnia illa quae a Commissione tractanda sunt quaeve singulorum Commissariorum vel Peritorum studio ac examini erunt subiicienda colligere, ordinare et convenienter praeparare Officialium erit Sacrae Congregationis, quorum etiam erit acta et documenta ad Commissionem pertinentia in Archivo asservare, decisiones sub ductu et auctoritate Praesidis executioni mandare aliaque ad rem spectantia ad praxim deducere et expedire.



Contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

*AAS* XXXVI (1944), 213-214.

### 382

### Universa ratio studiorum referenda expostulatur

(Litt. circ. *Quantum conferat,* diei 10 iunii 1944, ad omnes Religiones clericales)

Quantum conferat recta adspirantium, novitiorum et iuniorum religiosorum institutio cuiuslibet religionis prosperitati, necnon Sanctae Ecclesiae utilitati, neminem fugere potest. Porro iam inde ab editis praeclaris normis Codicis Iuris Canonici (cc. 538-591) et subsequentibus ordinationibus seu instructionibus (Epist. apost. Pii Pp. XI *Unigenitus Dei Filius,* 19 martii 1924;[a] Instr. *Quantum Religiones,* 1 decembris 1931),[b] quibus sane disciplinam atque studia religiosorum haud parum profecisse omnibus compertum est, non destitit Mater Ecclesia advigilare, praesertim per inspectionem relationum quinto quoque anno a Superioribus Sanctae Sedi exhibendarum (Decr. 8 martii 1922[c] et Instr. 25 martii 1922),[d] ut alumnorum institutio ad illas normas fidelius in dies sese conformaret. Nunc autem opportunum visum est accuratius ad rem tanti momenti animum advertere.

Cum vero ad hanc Sacram Congregationem, salvo can. 256, exclusive spectent ea quae disciplinam et studia religiosorum sodalium respiciunt (can. 251 § 1), apud ipsam Decreto n. 2090/44 diei 24 ianuarii 1944[e] erecta est Commissio permanens, cuius erit iis quae ad disciplinam simul et institutionem alumnorum religionum pertinent invigilare, opportunis instructionibus providere, maiorem efficaciam conferre.

Quo munere ut fructuosius fungatur, multum proderit, immo necessarium est ut de modo quo studia humaniora, philosophica et theologica in singulis religionibus ordinantur et peraguntur documenta certa et satis completa Sacra Congregatio possideat. Ad hunc finem obtinendum Sacra Congregatio approbante Ssmo Domino Nostro decrevit, ut ad Superiores Generales religionum et societatum

---

[a] N. 348.
[b] N. 363.
[c] N. 339.
[d] N. 340.
[e] N. 381.



http://www.obrascatolicas.com/

de quibus agitur in c. 673 ss., elenchus quaestionum mitteretur quibus clare, distincte et singulatim responsa darent. Praesides Congregationum adnexas quaestiones cum singulis monasteriorum sui iuris Superioribus communicabunt; hi autem respondere poterunt sive directe ad Sacram Congregationem sive per tramitem Praesidis suae cuiusque Congregationis Monasticae.

Etsi temporum adiuncta commercium litterarum cum provinciis vel his aequiparatis religionum districtibus non permittant, apud omnes illarum Superiores iam ea prostare documenta censendum est quibus conspectus sufficiens hodiernae studiorum ordinationis praeberi possit. Responsa dari debent intra mensem octobrem c. a. Quod si ad singulas quaestiones responsionis elementa deficiant, satis erit ea referre quae in promptu habentur, quae cum fausta tempora permittent, compleri poterunt, per alias relationes statis temporibus ad Sanctam Sedem mittendas.

Si vero Superior quaedam adiungenda censuerit quibus responsa illustrari putet, id facere minime prohibetur. Statuta vero et Instructiones, si quae sint, sive generalia sive provincialia, quae ad ordinationem studiorum humaniorum, philosophicorum et theologicorum spectent, duplici exemplari simul cum relatione et responsis exhibere ne omittat.

*Elenchus quaestionum*

1. Nomen Religionis (Ordinis, Congregationis monasticae, Monasterii sui iuris, Societatis, etc.).

2. Locus Domus Generalitiae vel Sedis principalis (circumscriptio ecclesiastica et civilis).

3. Quot sunt provinciae, districtus, missiones independentes, domus autonomae? Detur earum elenchus.

4. Habent ne singulae provinciae, districtus, missiones independentes, domus autonomae suas sedes studiorum humaniorum, philosophicorum, theologicorum, iuxta praescriptum can. 587 § 1?

Detur elenchus domorum in quibus docentur litterae humaniores, philosophia, theologia, iisque adnexae disciplinae.

Detur elenchus domorum in quibus erecta est cum adprobatione Sanctae Sedis facultas philosophica, theologica vel iuridica ad normam Ordinationum Sacrae Congregationis de Seminariis et Universitatibus Studiorum ad exequendam Const. *Deus scientiarum Dominus* editarum.[1]

Si religio vel provincia, etc., sedibus studiorum rite instructis careat, ubinam sodales studia peragunt, ad praescriptum can. 587 § 3?

[1] N. 360.



5. Cuisnam auctoritatis (Capituli generalis aut, et quorumnam Superiorum iuxta can. 587 § 1) approbationi subest erectio et translatio sedium studiorum? Item deputatio seu nominatio et remotio singulorum cuiuslibet sedis moderatorum?

Detur prospectus officiorum quae, iuxta cuiuslibet religionis constitutiones seu statuta, in qualibet studiorum sede constitui solent, pro regimine, disciplina atque institutione alumnorum.

6. Estne praefectus studiorum pro tota religione, pro singulis provinciis vel aequiparatis districtibus, pro singulis domibus in quibus studia peraguntur?

7. Quot fuerunt, ultimo decennio, alumni missi ad Athenaea Romana, ut gradus academicos obtinerent in philosophia, in theologia, in iure canonico, in re biblica, aliisve facultatibus?

8. Quot alumni iisdem studiis vel aliis vacarunt in aliis Universitatibus catholicis?

9. Quot alumni studuerunt in Universitatibus civilibus? Quibusnam disciplinis vacarunt?

10. Ubinam se recipiunt religiosi studentes qui Universitates colunt vel qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur? Servaturne praescriptum can. 587 § 4?

11. An a candidatis ad religionem exigitur ut iam cursum studiorum humaniorum, secundum morem regionis, perfecerint? quomodo providetur iis qui eadem non peregerunt?

12. Exigiturne ab omnibus qui studia philosophica incepturi sunt solida linguae latinae cognitio?

13. Quot anni completi consecrari solent studiis humanioribus, antequam alumni ad curriculum philosophicum promoveantur?

14. Quot anni completi ab omnibus consecrantur studiis philosophiae scholasticae? Philosophia scholastica doceturne una cum aliis disciplinis ad ipsam non spectantibus an separatim? Quot annis in utroque casu?

15. Quot anni adhibentur theologiae scholastica methodo simul et positiva docendae et discendae?

16. Quot horae in hebdomada tribuuntur: *a*) tractatibus philosophiae scholasticae; *b*) theologiae dogmaticae; *c*) theologiae morali; *d*) scripturae sacrae; *e*) iuri canonico; *f*) historiae ecclesiasticae?

17. Quandonam incipit annus scholaris? Quandonam cessat, i. e. finis scholis imponitur? Quaenam feriae conceduntur: nataliciae, paschales, aestivae? Quot circiter diebus in anno schola vacat ob festa religionis vel status propria? Quot ob alia motiva?

18. Quot diebus summatim in anno docetur? Habeturne kalendarium scholasticum? Quisnam ipsum approbat?

19. Quomodo ordinantur vel dividuntur feriae aestivae ut spiritus religionis non intepescat et studiis privatis opportuna facultas detur?

http://www.obrascatolicas.com/

20. Quaenam sunt exercitia pietatis scholaribus religionis praescripta: singulis diebus (oratio mentalis, etc.), hebdomadibus, mensibus, annis...?

21. Quaenam est ordinatio examinum quinquennalium, iuxta can. 590?

22. Quandonam conferuntur ordines minores... subdiaconatus... diaconatus... presbyteratus...?

23. Existuntne statuta generalia studiorum pro tota religione (congregatione monastica, etc.) et pro singulis provinciis?

24. Datae suntne instructiones speciales de studiis humanioribus, philosophicis et theologicis, praesertim ab anno 1938?

In *AAS* non inveniuntur.

## SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

### 383

### De studio paedagogiae

(Epist. *La formazione pedagogica*, diei 21 decembris 1944, ad Ordinarios)

La formazione pedagogica, didattica, catechistica dei Seminaristi è stata sempre oggetto per questo Sacro Dicastero di molte cure e gravi preoccupazioni.

Dalle pagine del Vangelo, dalle Lettere apostoliche, da tutta la Storia ecclesiastica risulta chiaramente che il Sacerdote di Cristo non è soltanto un ministro del culto, un officiale della liturgia, ma è altresì educatore, istruttore, formatore di intelligenze e di coscienze. Anzi, nel mandato di Cristo agli Apostoli il *magistero* precede il *ministero* sacramentale e liturgico: *Andate, istruite tutte le genti, battezzandole nel nome del Padre, del Figliuolo e dello Spirito Santo.* [1]

Gli Apostoli, in conformità a questo mandato divino, anteposero realmente il magistero a qualsiasi altra attività; tanto che S. Paolo ha potuto affermare: *Cristo non mi ha mandato a battezzare, ma a predicare il Vangelo.* [2]

La ragione di questa precedenza del magistero è evidente: non si può arricchire un'anima della grazia, se prima non è stata illuminata dalla verità.

Di qui l'importanza somma, per i Sacerdoti, della *Pedagogia,* che tratta dell'educazione in generale, della *Didattica* che si riferisce all'insegnamento in generale e al suo metodo, della *Catechetica* che è didattica applicata all'insegnamento della Religione.

[1] *Mt* XXVIII, 19.
[2] *I Cor.* 1, 17.



Si potrebbe obiettare che le leggi fondamentali dell'educazione si ricavano da facili esperienze, e che le buone disposizioni naturali, congiunte con le virtù cristiane e gli ausili della grazia, hanno sempre portato abbondanti frutti nel campo pedagogico. Ma è pur vero che l'arte perfeziona la natura, e, quando trattasi di educazione religiosa, è proprio il caso di chiamarla *arte delle arti.*

L'importanza di siffatta preparazione è grandemente aumentata negli ultimi tempi. I sacerdoti devono spesso esercitare l'ufficio di Assistenti di Azione Cattolica e Direttori di associazioni religiose, e tali uffici hanno un compito prevalentemente educativo. « Agli Assistenti ecclesiastici — diceva Sua Santità Pio XII fel. regn. — spetta in modo speciale il plasmare e l'istruire i soci dell'Azione Cattolica, alimentandoli e crescendoli nei pascoli di una sicura, sana e intima spiritualità ». [1]

Più recentemente al Clero s'è aperto un nuovo campo nelle scuole governative, dove è chiamato a insegnare la Religione. Ora quegli ambienti, che accolgono la maggioranza dei giovani che si danno agli studi, presentano — come è stato più volte rilevato — speciali esigenze e difficoltà che richiedono nel maestro doti pedagogiche non comuni, dalla mancanza delle quali dipende in gran parte la scarsità dei frutti ricavati finora.

Appare quindi chiaro che oggi, più che nei tempi passati, occorre dare ai candidati al Sacerdozio una conveniente istruzione anche in materia di pedagogia e di didattica.

Perciò si dispone quanto segue:

#### I - *Corso filosofico*

Si istituisca un corso teorico-pratico (biennale per un'ora settimanale) di *Pedagogia* e *Didattica;* che può essere affidato al Professore di Filosofia, essendo quelle discipline strettamente connesse con la Psicologia e l'Etica.

In tale corso non sarà possibile fare un'ampia trattazione dei vari argomenti, ma si dovranno impartire, con chiarezza e precisione, i princìpi e le direttive generali:

Concetto dell'educazione;

Fine, leggi, mezzi dell'educazione;

Natura dell'educando nel suo svolgimento educativo attraverso l'età;

[1] Discorso ai Dirigenti dell'A. C. I. *Se a temperare,* del 4 settembre 1940, in *AAS* XXXII (1940), 368.

http://www.obrascatolicas.com/

L'educatore: suoi doveri e doti;
Diritto educativo: Chiesa, Famiglia, Stato;
Ambiente educativo: Famiglia, Scuola, Collegio, Istituzioni educative: Oratorio, Associazioni, ecc. Sport;
Didattica: suo concetto, sistemi, metodi più acconci ai vari insegnamenti.

Tutte queste nozioni devono essere volta per volta illustrate dall'attuazione che le medesime ricevettero dai grandi Santi e dai grandi educatori, di cui è ricca la storia antica e recente della Chiesa.

Vanno poi aggiunti, come complemento, cenni di Storia della Pedagogia, allo scopo di formare nei giovani il retto criterio per ben discernere quello che vi ha di vero e di buono da quanto è erroneo e pericoloso nelle varie teorie e nei vari metodi.

Così i futuri Sacerdoti — oltre che non saranno da meno dei maestri elementari, ai quali è stata insegnata pedagogia e la sua storia durante i corsi magistrali — sapranno meglio orientarsi nelle varie mansioni del sacro ministero, e particolarmente nell'insegnamento della Religione.[1]

Sarà di non poca utilità il suggerimento di far svolgere dai Seminaristi, in forma di lezioni — a studenti di scuole medie superiori, a persone colte e a circoli di cultura — alcune di quelle tesi studiate nel corso filosofico che più si oppongono agli errori contemporanei (p. es.: la spiritualità, l'immortalità, la libertà dell'anima umana, il fine dell'uomo, la legge morale e la sua sanzione, ecc.). Del pari si procurerà di far discutere i Seminaristi tra loro, sotto la direzione del Professore, sui metodi più adatti per presentare e per dimostrare efficacemente tali verità, abituandoli a utilizzare in pratica quanto hanno appreso in teoria.

[1] Nelle presenti, difficili circostanze, in mancanza di manuali di pedagogia adatti e dottrinalmente sicuri, il professore detterà ai giovani le nozioni essenziali che svolgerà nelle lezioni, e, tenendo sempre presente l'Enciclica di Pio XI di v. m. *De christiana iuventae educatione* (vide n. 356), si servirà, potendo, della trattazione magistrale, fondata sulla filosofia perenne, di A. Franchi, *Pedagogia*, con prefazione del P. M. Cordovani, O. P., Maestro del S. Palazzo, edizione Salani, Firenze 1941; dei due volumi del P. D. Valle, S. I., *La Pedagogia* e *La Didattica*, ed. Marietti, Torino 1928; della commendevole opera, in due volumi, del Canonico Prof. G. Milanese, *Pedagogia e Metodica* e *Storia della Pedagogia*, Treviso 1884-85; della *Storia della Pedagogia* del P. Ruiz Amado, S. I., tradotta, con aggiunte per l'Italia, del P. Valle, S. I., Marietti, Torino 1913; e del *Manuale di Storia della Pedagogia* dei RR. D. C. Borla e P. C. Testore, S. I., ed. Paravia 1935.



## II - *Corso Teologico*

Si istituisca un corso pratico di Catechetica, con speciale riguardo all'insegnamento religioso per gli alunni delle scuole. Più che di istituzione, si dovrebbe parlare di valorizzazione e specificazione del corso di Catechetica, che è già inclusa nella Teologia Pastorale. Pertanto, delle quattro ore destinate alla Pastorale due verranno assegnate alla Catechetica.

I giovani teologi svolgeranno per iscritto e oralmente argomenti di Teologia che hanno attinenza con la Catechetica, non solo a modo di omelia e di spiegazione del Vangelo, ma anche in forma di *lezioni a studenti* delle varie scuole, sotto la guida del Professore, e discuteranno sul miglior metodo d'impartire tali lezioni.

Occorrerà inoltre introdurre, quando non fossero in uso, esercitazioni pratiche di insegnamento catechistico (cfr. C. I. C. can. 1365 § 3) — oltre che in qualche Parrocchia — in una scuola (pubblica o privata) o nello stesso Seminario. Per esempio i giovani del quarto anno di Teologia potrebbero tenere qualche lezione agli alunni di Liceo, sempre però sotto la guida del Professore di Catechetica che, alla fine del corso teologico, darà il suo motivato giudizio sulla idoneità e sulla attitudine dei singoli seminaristi all'insegnamento della Religione nelle scuole.

* * *

Si noti bene che nelle esercitazioni scritte e orali, sia durante il corso filosofico sia in quello teologico, si deve mirare alla parte positiva, cioè a *stabilire chiaramente e solidamente la verità*, evitando polemiche inutili e tanto più le invettive nel confutare erronee dottrine.

Si persuadano i giovani leviti che l'insegnamento della Religione non è soltanto l'insegnamento della più nobile delle scienze, ma è la trasmissione del *verbum vitae*, che il Signore farà fruttificare nel cuore degli ascoltatori. Non è quindi un semplice compito di dottrina, cui basta la preparazione scientifica, ma è soprattutto un apostolato, per il quale è indispensabile la grazia di Dio e la cooperazione del buon esempio da parte dell'insegnante.

Non dubitiamo che le norme contenute nella presente verranno applicate a cominciare dal prossimo mese di gennaio; gradiremmo tuttavia un cenno di assicurazione al riguardo.

*AAS* XXXVII (1945), 173-176.

http://www.obrascatolicas.com/

## 384

### De Breviario iuvenibus levitis explicando

(Litt. circ. *Nell'opera,* diei 2 februarii 1945, ad Rectores, Patres Spirituales et scientiarum sacrarum Professores in Seminariis)

Nell'opera per la formazione degli alunni del Santuario alla vita sacerdotale, vita santa e di santificazione delle anime, una tra le principali cure di coloro che ne sono responsabili, è certamente quella di ben prepararli a corrispondere degnamente alle intenzioni della Chiesa nel prescrivere, ai chierici *in sacris,* il compimento di quella parte della sua preghiera pubblica, che è detta *Ufficio Divino.*

È vero che la preparazione immediata alla recita consapevole e degna del Divino Ufficio può compiersi in un periodo di parecchi mesi, durante i quali il novello Suddiacono ha modo di addestrarsi convenientemente, acquistando abitudini sante e insieme salde e sicure, così da non essere poi mai abbandonate per tutto il corso della vita. Ma questa preparazione sarà tanto più efficace se si radicherà nel Seminarista, anche se ancora lontano dagli Ordini Sacri, una grande stima di così sublime preghiera.

Pertanto gli educatori delle speranze della Chiesa si industrieranno di fare apprezzare il santo Breviario, spiegandone ed illustrandone le molteplici parti: Salmi e altri brani della Divina Scrittura, antifone e responsori, inni e orazioni, lezioni dei Ss. Padri e vite dei Santi. Ottime considerazioni suggerirà altresì l'*ordine liturgico,* che svolge davanti all'occhio e al cuore del Sacerdote i profondi misteri ed i mirabili avvenimenti della Redenzione, con al centro Gesù, il dolcissimo Redentore, a cui fanno corona la sua e nostra Madre Celeste, gli Angeli e i Santi. Ma soprattutto la dignità del Divino Ufficio risulta *dalle sue altissime finalità,* essendo esso « totius Ecclesiae vox una » come lo chiama Sant'Agostino,[1] la *preghiera unisona di tutta la Chiesa,* la quale, per mezzo dei Sacerdoti, degnamente adora, loda, ringrazia, propizia e supplica Iddio per tutti i suoi figli e per tutta l'umanità.

Dal che si vede quale doviziosa fonte di grazia e santità sia per la vita sacerdotale il Divino Ufficio. In esso infatti la fede è alimentata dai grandi misteri che via via nell'anno liturgico vengono commemorati e celebrati; la speranza è ravvivata dalle frequenti e

[1] *Prol. in Ps. 111,* in ML XXXVII, 1467.



commoventi espressioni di fiducia, che erompono dai Salmi e dall'esempio confortatore dei Santi; soprattutto la carità viene ridestata incessantemente dai sentimenti di viva contrizione, di santo timore filiale e di puro amore di Dio e della sua santa legge, onde riboccano i passi della Sacra Scrittura e tutto il complesso del Breviario.

Pertanto l'ora consacrata a questa preghiera, tutta propria del Sacerdote, dovrebbe essere l'ora di elevazione della mente e del cuore alle cose celesti e di filiale conversazione con Dio; dal quale intimo colloquio il Sacerdote non dovrebbe uscire senza sentirsi più ricco di grazie celesti, più illuminato nella mente, più generoso nella volontà, più pronto al compimento dei doveri. Allora, nonchè considerarne la recita come un peso, esclamerebbe egli pure con Sant'Agostino: *Psalterium meum, gaudium meum.*[1]

Orbene, ad ottenere sì opportune disposizioni e salutari effetti, devono concorrere tutti coloro che, in qualità di Superiori o Professori, hanno l'alta missione della diretta educazione degli alunni del Santuario.

Il Professore di teologia dogmatica, procurando ai giovani una cognizione sempre più approfondita dei dogmi, come, in generale, pone basi sicure per una pietà soda, così, in particolare, nell'esposizione della dottrina, tra le fonti del domma, traendo opportunamente partito dalla Sacra Liturgia e quindi anche dall'Ufficio Divino, ne metterà in valore il pregio, ricordando che esso, insieme con la santa Messa, è un richiamo continuo ed efficace alle grandi verità della fede, secondo la sentenza di S. Celestino I: *Legem credendi lex statuat supplicandi.*[2]

Il Professore di morale, parlando della preghiera e particolarmente di questa preghiera obbligatoria per il Sacerdote, pur segnando i giusti limiti, oltre i quali si cadrebbe nella colpa — perchè si formino coscienze rette e santamente spigliate — non manchi di inculcare che il Sacerdote, l'uomo di Dio, non può e non deve trattare con Dio dosando quasi il suo servizio, ma deve essere pronto ad adempiere generosamente il sublime incarico di pregare per tutto il popolo cristiano; motivo questo che può essere ripreso ancora meglio dal Professore di ascetica, il quale saprà additare il Breviario, come già abbiamo notato, quale un grande mezzo di santificazione per il Sacerdote.

[1] *In Ps. 137,* in ML XXXVII, 1775.
[2] Denzinger, *Enchir. Symb.,* 139.

http://www.obrascatolicas.com/

Parte precipua dell'ammaestramento dei giovani Chierici intorno al Breviario, spetta, evidentemente, al Professore di Liturgia. Questi dedicherà cura particolare all'esposizione della storia e della struttura del Breviario romano. Anzichè insistere esclusivamente o anche principalmente su punti di erudizione, che ai giovani potrebbero riuscire gravi e noiosi, inquadrerà la storia complessa delle successive riforme e innovazioni, nelle aspirazioni ardenti della spiritualità monastica ed ecclesiastica di attuare il precetto divino: *oportet semper orare*.

Potrà inoltre accordarsi con i Professori di lettere perchè in liceo facciano tradurre gli inni del Breviario (in connessione, per es., con lo studio di Sant'Ambrogio, Prudenzio, S. Gregorio Nazianzeno, S. Paolino di Nola) e indichino agli alunni le buone traduzioni italiane dei Salmi e degli inni.

E poichè la Sacra Scrittura è tanta parte del Breviario, largo contributo alla recita sempre più consapevole del Divino Ufficio dovrà portare il Professore di Scienze Bibliche, il quale da questo S. Dicastero [1] ha già l'incarico di tenere un corso speciale sui Salmi.

Vorremmo ora insistere perchè in questo corso sia messo in risalto il significato di *preghiera* (lode, ringraziamento, propiziazione, supplica, abbandono in Dio) che è l'anima di tutti i Salmi. Mostri il Professore quanto queste preghiere siano accomodate ai più differenti bisogni del cuore umano e a tutte le vicende della vita. Nè ometta di far vedere quanto belli e profondi siano i pensieri dei Salmi su Dio e sulla sua provvidenza, sulla natura e sui doveri degli uomini verso Dio e verso gli altri uomini. In tal modo la serie delle osservazioni storiche e filologiche non soffocherà il tema fondamentale, ed i giovani sentiranno palpitare nei Salmi la pietà e l'ardore degli affetti che liricamente prorompono dall'anima dell'Autore ispirato.

L'azione coordinata dei Professori, [2] i quali sapranno cogliere di-

[1] *Circolare* 855-41-7 del 5 agosto 1941. N. 378a.

[2] Suggeriamo alcuni libri, tra i migliori, intorno al Breviario, che potranno essere utilmente adibiti nei Seminari, oltre quelli già indicati a proposito del Salterio. Torniamo a raccomandare l'ottima opera del P. C. Willi, *Il Breviario spiegato*. Utilissima ai Professori di Liturgia (e agli altri) sarà la *Storia del Breviario* di Bäumer in due volumi in-8° (traduzione francese di Biron, Paris, Letouzey, 1905), nonchè Pierre Batiffol, *Histoire du Bréviaire Romain*, 3e ed. Paris, Gabalda 1911. Potrà essere messa in mano agli alunni la concisa opera di J. Baudot O. S. B., *Le Bréviaire* (Paris, Bloud et Gay, 1928), precedentemente uscita in traduzione italiana sulla prima edizione (Roma, Desclée, 1909).



scretamente le varie occasioni, presentate dal loro insegnamento, per aiutare il giovane Seminarista a meglio comprendere ed apprezzare il Divino Ufficio, non potrà non influire favorevolmente e con frutto sugli alunni del Santuario, che dall'opera convergente dei Superiori, anche di quelli incaricati della formazione intellettuale, riceveranno una formazione e intellettualmente e spiritualmente piena e profonda.

È però evidente che in prima linea dovranno adoperarsi il Rettore e il Direttore spirituale, che hanno in questo campo responsabilità dirette ed insieme maggiori possibilità.

Il Rettore dovrà rivelare ai giovani le grandezze e le bellezze di quel mirabile « corpus » di preghiere e di insegnamenti, così atto ad ottenere che « reveletur... per Ecclesiam multiformis sapientia Dei ».[1] Il risalto dato ai periodi e alle solennità della liturgia, il canto dei Vespri domenicali e festivi, l'accuratezza del canto gregoriano, le ufficiature solenni eseguite in varie ricorrenze, debbono formare un « ambiente » che attragga il chierico a partecipare alla vita della Chiesa orante, che commenti alla sua mente e al suo cuore la « vox sponsae ». Sarà sollecito il Rettore che la preghiera ufficiale collettiva fiorisca, nell'anima di ognuno, in preghiera personale. Non pago delle apparenze, cercherà, con paterna discrezione, di accertarsi se il novello Suddiacono ami il Breviario, ne apprezzi la svariata ricchezza e ne gusti la multiforme bellezza. Seguirà e farà seguire ciascun Suddiacono nell'adempimento di questo sacro dovere e avrà in ciò uno degli elementi più sicuri (anche se meno avvertiti) per giudicare con sicurezza della pietà vera del giovane.

Ci piace qui ricordare le sapienti regole date da S. Carlo nelle sue *Admonitiones ad Clerum:* [2] « Horas dicite attente, pie, decore, supplicique mente, puro corde et casto corpore, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu; rite, religiose, divinas laudes concelebrate, cantantes in cordibus vestris Deo ». Questi santi richiami, quasi eco dell'esortazione della Chiesa di recitare il Breviario « pie, attente ac devote » potranno, particolarmente nella parte esterna, servire di norma ai Superiori, ai quali anche in questa azione nobilissima spetta assistere, vigilare, e se occorre correggere il giovane perchè si avvezzi a dare all'Ufficio Divino il tempo necessario, secondo le indicazioni liturgiche, e a recitarlo in luogo conveniente e con atteggiamento

[1] *Eph.* III, 10.

[2] C. 2, a. 12.

http://www.obrascatolicas.com/

anche esternamente dignitoso. Soprattutto i Superiori non permettano mai che il Breviario sia sacrificato alle apparenti necessità dello studio, con una recitazione affrettata o spezzettata, nè relegato alle ore più disagiate del giorno: l'esempio di S. Tommaso insegna che la preghiera non solo non è mai a detrimento dello studio, ma lo conforta, lo eleva, lo rende fecondo: specialmente allorchè si tratta di studi sacri.

Il prezioso insegnamento guiderà il giovane anche per l'avvenire, quando, fatto Sacerdote, sarà tentato, per l'attività esterna in opere di apostolato, di rimandare la recita del Divino Ufficio alle ore più stanche della giornata, o a recitarlo in ambiente di evidente dissipazione, o ad accumularne più parti o a sbrigarsene con una recita affrettata. Fedele alle sante abitudini del Seminario e alle sapienti indicazioni ricevute, ricorderà che appunto con la recita devota, attenta e dignitosa del Breviario, le sue fatiche apostoliche riusciranno feconde.

Infine spetterà particolarmente a chi dirige e forma spiritualmente le anime dei giovani Chierici, l'alto compito di guidarli ad elevare l'ora del Breviario in un'ora di unione intima con Dio, e renderla uno degli elementi decisivi della loro formazione. La recita del Breviario non è infatti e non deve essere un puro esercizio di intelligenza e di memoria, un vago ricordo di studi fatti o una semplice lettura: essa è e deve essere una *preghiera:* la mente e il cuore del giovane levita devono rispondere a quanto egli legge, sì da riportare dal Breviario una luce più viva di fede e un fuoco più ardente di amore divino.

Perciò il Direttore spirituale si studierà di far comprendere ai chierici che il Divino Ufficio attua la « conversatio in coelis » voluta dall'Apostolo. Terrà appropriate istruzioni sull'argomento e raccomanderà ai chierici *in sacris* di sempre fondere insieme i due elementi essenziali alla formazione sacerdotale — pietà ed azione — e quindi di porre a fondamento di una energica ed instancabile azione esterna una solida vita interiore. Esorterà i giovani a fare spesso convergere gli esami particolari e generali di coscienza sul compimento di questo sacro dovere. Raccomanderà di vedere nel Breviario *la voce della Chiesa,* di fare spesso la meditazione su brani o pensieri tratti dal Breviario; di avvezzarsi gradatamente alla triplice attenzione: materiale, letterale, spirituale; di variare le intenzioni col variare delle ore canoniche.

Così avrà cura di rappresentare al Seminarista il Divino Ufficio



(come poi la S. Messa) in armonia con l'apostolato, che dovrà essere il frutto spontaneo della sua vita interiore.

Già abbiamo accennato, ma qui insistiamo di proposito, sulla necessità di preparare i giovani leviti ad un apostolato generoso ed operoso.

In questi tempi di rivolgimenti straordinari, mentre purtroppo si contano così numerosi gli indifferenti, i disorientati, i delusi, è necesario che il Sacerdote ricerchi e percorra ogni via per avvicinare, influire, sostenere, convertire. Fortunatamente le conquiste non sono difficili nè rare, quando il Sacerdote sia veramente « l'uomo di Dio », pieno il cuore dell'amore di Dio, dello zelo della sua gloria, e quindi della salvezza delle anime.

Già in Seminario il giovane può partecipare a questo grande apostolato, offrendo, ad esempio, le Ore canoniche sia per coloro che maggiormente hanno bisogno dell'assistenza spirituale e dell'opera sacerdotale, sia per le molteplici istituzioni e congregazioni che lavorano in questi campi, sia in generale per i Sacerdoti e per l'Azione Cattolica che più da vicino collabora con il Sacerdote. Sarà, in Seminario, solo preghiera, che però si ripercuoterà efficacemente nel futuro, rendendo più naturale, spontanea, vibrante nel novello Sacerdote l'attività apostolica, e tanto più fruttuosa quanto più sostenuta e fomentata dalla preghiera. Il Santo Breviario diventa in tal modo la forma più efficace dell'Apostolato della preghiera, ancora di recente lodato e raccomandato dall'Augusto Pontefice felicemente regnante, Pio XII.

Che anzi sapendosi già unito a migliaia e migliaia di Sacerdoti nel coro delle lodi divine e nella implorazione delle grazie necessarie per tutto il popolo cristiano, il Seminarista proverà più vivo il senso della santa solidarietà sacerdotale e dell'impegno comune di portare le anime a Cristo, e più facilmente farà tesoro dei molti eccitamenti che il Breviario presenta per accendersi l'animo di ardore apostolico. E da questa amata preghiera quotidiana, meditata e gustata fin dal Seminario con profondo senso di pietà, saprà il seminarista, fatto Sacerdote, attingere come da miniera inesauribile, temi di esortazioni e di conforti da proporre ai fedeli, sia dal pergamo, sia al tribunale di penitenza.

Così illustrato, il Breviario procurerà ai cuori dei giovani leviti una delle ore più belle e spiritualmente feconde della giornata. E non avverrà, come purtroppo è da deplorare in alcuni, che, decadendo dal primiero fervore, vengano a considerarlo come un peso impor-

http://www.obrascatolicas.com/

tuno e a ridurlo ad un affrettato meccanismo di labbra, con il cuore lontano da Dio.

Se Superiori e Professori, con l'esempio, e con le sagge esortazioni, con continuità e con azione concorde, attenderanno ad indirizzare tutti e ciascuno dei giovani ad essi affidati, particolarmente se già negli Ordini Sacri, nel santo uso di questo nobilissimo strumento di bene, così come abbiamo creduto di suggerire, ne raccoglieranno essi stessi sicuri vantaggi. Preghiera che accompagna le ore della giornata, quale luce sicura alla mente e valido sostegno alla volontà, avrà felici ripercussioni non solo nella vita spirituale, intellettuale e disciplinare di ciascun giovane, ma sullo stesso andamento collettivo dei corsi maggiori, dai quali principalmente dipende la vita del Seminario intero.

Ci ottenga Maria Ssma, sublime modello della lode a Dio nel *Magnificat,* che questa nostra esortazione, ispirata dal desiderio vivissimo di preparare alla Chiesa santi Sacerdoti, trovi in tutti gli animi a cui è diretta una pronta e docile corrispondenza per la sua felice attuazione.

In *AAS* non promulgatae.

## PIUS XII

### 385

### De tertio probationis anno

(Ex Allocutione *Quamvis inquieti,* diei 17 septembris 1946, ad Patres S. I. in XXIX Congregatione generali Electores)

Tertius probationis annus, quem aliae religiosae familiae vos imitatae sibi adsumpserunt et cuius beneficio intimae spiritalis vitae vena in vobis uberior succrescit: meditationis et silentii consuetudines praesertimque de alumnorum institutione a maioribus receptae normae indemnes serventur. Haec vero sueta vobis institutio diuturna est, at hac de causa actuosa et efficax. Quemadmodum ut robustae quercus solidentur, longa temporis intervalla necessaria sunt, ita longa patientia ad formandum virum Dei semper requiritur. Refrenetur igitur iuvenum generosa audentia, qua ii ad agendum intempestive rapiuntur: nimis propera operositas magis disperdit quam aedificat, eaque tum agenti tum ipsis apostolicis operibus nocet.

*AAS* XXXVIII (1946), 383.



### 386

### De genuino sensu dictionis « ad Angelici Doctoris rationem doctrinam et principia » [a]

(Ex Allocutione *Par est,* diei 22 septembris 1946, ad Patres Capitulares Ordinis Fratrum Praedicatorum)

Quod quidem praescriptum quanti faciendum sit, Decessorum Nostrorum consilia vestigiaque secuti, alias animadvertimus. [1] Hac autem in re nunc minoris videntur esse momenti quaestiones, in quibus sub ecclesiastici magisterii ductu auspicioque semper libera fuit opinandi et disputandi potestas, quantaecumque eaedem in philosophicis et theologicis indagationibus et disceptationibus ducendae sunt. Eoque minus nunc sermo est de illis doctrinarum ad physica seu ad rerum naturam attinentium opinationibus et formulis, quae praeteriti temporis propriae et peculiares erant, aut de illarum consectariis, quatenus quidem opiniones illas nostra aetate reperta et inventa humanarum disciplinarum exsuperarunt et praetergressa sunt: quibus repertis et inventis Ecclesia favet, nedum adversetur, ea provehit, nedum metuat.

Nunc vero agitur de ipsis philosophiae perennis et theologiae fundamentis, quae quaelibet ratio et disciplina, re ac nomine catholica aestimanda, agnoscit et veretur; agitur de scientia et de fide, de earum natura ac mutua ratione; agitur de ipsa fidei basi, quam nullum censurae iudicium labefactet; agitur de veris a Deo patefactis, an nempe mentis acies ea certis notionibus penetrare atque ex eis ulteriora colligere possit. Paucis dicimus: de hac re quaeritur, an videlicet quod S. Thomas Aquinas aedificavit, ultra et supra quodlibet tempus una compositis et compactis elementis, quae omnium temporum christianae sapientiae cultores suppeditaverant, solida rupe innitatur, perpetuo vigeat et valeat, catholicae fidei depositum efficaci praesidio etiam nunc tueatur, novis quoque theologiae et philosophiae progressibus securo usui et moderamini sit.

Id sane Ecclesia asserit, cum id sibi persuasum habeat hoc itinere ad veritatem cognoscendam et solidandam tuto procedi. Ideo Constitutione Apostolica *Deus scientiarum Dominus,* die 24 maii anno 1931 edita, [b] ipsa memoratam praescriptionem Codicis

[1] N. 373.
[a] Can. 1366, § 2.
[b] N. 359.

http://www.obrascatolicas.com/

Iuris Canonici confirmavit. Philosophia proponatur oportet — hoc ibidem praecipitur — « ita ut auditores plena cohaerentique synthesi doctrinae ad methodum et principia S. Thomae Aquinatis instituantur »; et in theologia, « veritatibus fidei expositis et ex sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam S. Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur ». [1]

*AAS* XXXVIII (1946), 387-388.

## 387

## De Institutis saecularibus

(Const. ap. *Provida Mater Ecclesia,* diei 2 februarii 1947)

Provida Mater Ecclesia, quanto studio maternoque affectu contenderit, ut suae praedilectionis filios, [2] qui totam vitam Christo Domino mancipantes, Ipsum per viam consiliorum libere et ardue sequuntur, tam coelesti proposito et angelica vocatione [3] dignos iugiter redderet ac eorum vivendi rationem sapienter ordinaret, frequentissima Pontificum, Conciliorum, Patrum documenta et monumenta testantur, atque integer historiae ecclesiasticae cursus omnisque canonicae disciplinae ratio, ad nostra usque tempora, luculenter demonstrat.

Profecto, inde a primis rei christianae incunabulis, Christi [4] et Apostolorum doctrinam atque exempla ad perfectionem allicientia, [5] Ecclesia reapse magisterio illustrare sategit, secure docendo qua ratione vita perfectioni dicata ducenda esset apteque componenda. Opera autem ministerioque suo ita impense plenam Christo deditionem et consecrationem fovit et propagavit, ut primis temporibus communitates christianae consiliis evangelicis bonam terram semini paratam optimosque fructus secure promittentem ultro offerebant, [6]

---

[1] Art. 29.

[2] N. 358.

[3] Cfr. TERTULLIANUS, *Ad uxorem*, lib. I, c. IV (ML 1, 1281); AMBROSIUS, *De virginibus*, I, 3, 11 (ML 16, 202); EUCHERIUS LUGDUN., *Exhortatio ad Monachos*, 1 (ML 50, 865); BERNARDUS, *Epistola CDXLIX* (ML 182, 641); id., *Apologia ad Guillelmum*, c. X (ML 182, 912).

[4] *Mt* XVI, 24; XIX, 10-12, 16-21; *Mc* X, 17-21, 23-30; *Lc* XVIII, 18-22, 24-29; XX, 34-36.

[5] *I Cor.* VII, 25-35, 37-38, 40; *Mt* XIX, 27; *Mc* X, 28; *Lc* XVIII, 28; *Act.* XXI, 8-9; *Apoc.* XIV, 4-5.

[6] *Lc* VIII, 15; *Act.* IV, 32, 34-35; *I Cor.* VII, 25-35, 37-38, 40; EUSEBIUS, *Historia ecclesiastica,* III, 39 (MG 20, 297).



pauloque post, ut ex Patribus Apostolicis et antiquioribus ecclesiasticis scriptoribus facile comprobari potest, [1] in diversis ecclesiis vitae perfectionis professio adeo iam floruerit, ut ipsius sectatores, veluti ordinem classemque socialem variis nominibus — ascetarum, continentium, virginum, aliisque — clare recognitam et multis probatam atque honoratam, [2] in ecclesiasticae societatis sinu inciperent constituere.

Saeculorum decursu, Ecclesia Christo Sponso fidelis sibique semper constans, sub Spiritu Sancti ductu, continuato certoque incessu, usque ad conditum hodiernum Canonici Iuris Codicem status perfectionis disciplinam pedetemptim evolvit. In illos maternae inclinata, qui animo volenti diversis formis externe ac publice vitae perfectionem profitebantur, eisdem omnimodis in tam sancto proposito, duplici respectu favere numquam destitit. Singularem in primis, semper tamen coram Ecclesia et publica ratione factam, perfectionis professionem — ut priscam illam ac venerandam, quae liturgice peragebatur, virginum benedictionem et consecrationem [3] — Ecclesia ipsa non solum recepit ac recognovit, sed sapienter sanxit strenueque defendit, plures etiam eidem attribuens canonicos effectus. Praecipuus tamen Ecclesiae favor diligentiorque cura, erga illam perfectionis plenam professionem strictius publicam, a primis temporibus, post pacem constantinianam adeptam, iure meritoque conversa sunt atque exercita, quae in societatibus collegiisque emittebatur ex ipsius venia, approbatione, iussu, erectis.

---

[1] IGNATIUS, *Ad Polycarp.*, V (MG 5, 724); POLYCARPUS, *Ad Philippen.*, V, 3 (MG 5, 1009); IUSTINUS PHILOSOPHUS, *Apologia I pro christianis* (MG 6, 349); CLEMENS ALEXANDRINUS, *Stromata* (MG 8, 224); HYPPOLYTUS, *In Proverb.* (MG 10, 628); id., *De Virgine Corinthiaca* (MG 10, 871-874); ORIGENES, *In Num., hom.* 2, 1 (MG 12, 590); METHODIUS, *Convivium decem virginum* (MG 18, 27-220); TERTULLIANUS, *Ad uxorem*, lib. I, c. VII-VIII (ML 1, 1286-1287); id., *De resurrectione carnis*, c. VIII (ML 2, 806); CYPRIANUS, *Epistola XXXVI* (ML 4, 327); id., *Epist. LXII*, II (ML 4, 366); id., *Testimon. adv. iudaeos*, lib. III, c. LXXIV (ML 4, 771); AMBROSIUS, *De viduis*, II, 9 et sqq. (ML 16, 250-251); CASSIANUS, *De tribus generibus monachorum*, V (ML 49, 1094); ATHENAGORAS, *Legatio pro christianis* (MG 6, 965).

[2] *Act.* XXI, 8-10; cfr. IGNATIUS ANTIOCH., *Ad Smyrn.*, XIII (MG 5, 717); id., *Ad Polyc.*, V (MG 5, 723); TERTULLIANUS, *De virginibus velandis* (ML 2, 935 sqq.); id., *De exhortatione castitatis*, c. VII (ML 2, 922); CYPRIANUS, *De habitu virginum*, II (ML 4, 443); HIERONYMUS, *Epistola LVIII*, 4-6 (ML 22, 582, 583); AUGUSTINUS, *Sermo CCXIV* (ML 38, 1070); id., *Contra Faustum Manichaeum*, lib. V, c. IX (ML 42, 226).

[3] Cfr. OPTATUS, *De schismate donatistarum*, lib. VI (ML 11, 1071 sqq.); *Pontificale Romanum*, II: *De benedictione et consecrationee virginum*.



http://www.obrascatolicas.com/

Quam arcte atque intrinsece, historia sanctitatis Ecclesiae et apostolatus catholici, cum historia fastisque vitae religiosae canonicae, Spiritus Sancti iugiter vivificantis gratia, mira varietate in dies subcrescentis et nova magis magisque altiore atque firmiore unitate roboratae, coniuncta sit, in comperto apud omnes est. Nihil mirum, si Ecclesia, etiam in iuris provincia, agendi rationem fideliter retinens, quam providens Sapientia Dei clare innuebat, ita statum canonicum perfectionis, consulto prosequuta fuerit et ordinaverit, ut iure meritoque supra ipsum, aedificium ecclesiasticae disciplinae, tamquam supra unum ex angularibus lapidibus superaedificare voluerit. Hinc, in primis status publicus perfectionis inter tres praecipuos ecclesiasticos status recensitus fuit, atque ex ipso Ecclesia secundum personarum canonicarum ordinem gradumque unice petivit (c. 107). Res sane digna quae attente ponderetur: dum alii duo canonicarum personarum ordines, scilicet clericorum et laicorum, divino iure, cui ecclesiastica adiungitur institutio (cc. 107, 108, § 3), ex Ecclesia petuntur, quatenus ipsa est Societas hierarchice constituta et ordinata; haec media, inter clericos et laicos, religiosorum classis, quae utrisque clericis et laicis communis esse potest (c. 107), ex arcta peculiarique relatione ad Ecclesiae finem, sanctificationem nempe, efficaciter, rationibusque adaequatis prosequendum, tota desumitur.

Neque haec fuerunt satis. Ne professio publica ac solemnis sanctitatis frustraretur atque in cassum cederet, Ecclesia, hunc canonicum perfectionis statum, semper maiore rigore in societatibus recognoscere tantum voluit ab ipsa erectis atque ordinatis, scilicet in Religionibus (c. 488, 1°), quarum generalis forma et ratio, post maturum lentumque examen, magisterio suo probaverat, quorum in singulis casibus institutum atque statuta non solum doctrinaliter et abstracte, semel iterumque ad trutinam revocaverat, sed facto et reapse experta erat. Haec in iure Codicis ita sunt severe et absolute definita, ut nullo in casu, ne per exceptionem quidem, admittatur canonicus status perfectionis, nisi ipsius professio in Religione emittatur ab Ecclesia approbata. Denique, canonica status perfectionis, qua status publici, disciplina, ita ab Ecclesia sapienter ordinata fuit, ut pro Religionibus clericalibus, in illis generatim, quae clericalem religiosorum vitam respiciunt, Religiones vice dioeceseos fungerentur, et adscriptio Religioni, incardinationis clericalis dioecesi locum obtineret (cc. 111 § 1, 115, 585).

Postquam Codex Pianus-Benedictinus, in Parte Secunda, lib. II



Religiosis dicata, diligenter collecta, recognita, atque accurate expolita Religiosorum legislatione, statum canonicum perfectionis, sub respectu etiam publico, multipliciter confirmaverat atque inceptum opus Leonis XIII f. m. in sua immortali Constitutione *Conditae a Christo* [1] sapienter perficiendo, Congregationes votorum simplicium inter stricte sumptas Religiones admiserat, nihil in disciplina status canonici perfectionis addendum esse videbatur. Ecclesia tamen, magna qua gaudet animi mentisque largitate, tractuque vere materno, brevem titulum legislationi religiosae, veluti peropportuni complementi gratia, adiungendum censuit. In ipso (tit. XVII, lib. II) ad statum canonicum perfectionis, satis plene Ecclesia aequiparare statuit Societates, de ipsa et frequenter etiam de civili societate optime meritas, quae quamvis aliquibus iuridicis sollemnitatibus ad statum perfectionis canonicum completum necessariis, ut votis publicis (cc. 488, 1° et 7°; 487), carerent, tamen in ceteris quae ad vitam perfectionis substantialia reputantur, veris Religionibus arcta similitudine et veluti necessitate coniunguntur.

His omnibus sapienter, prudenter ac peramanter ordinatis, amplissime provisum fuerat animarum multitudini, quae relicto saeculo amplecti cuperent novum statum canonicum stricte dictum, perfectioni adquirendae unice atque ex integro consecratum. Verum benignissimus Dominus, qui absque personarum acceptione, [2] omnes fideles semel iterumque ad perfectionem ubique sequendam et exercendam invitavit, [3] mirabili Divinae suae Providentiae consilio disposuit ut etiam in saeculo, tot vitiis depravato, nostris praecipue temporibus, plures floruerint ac floreant animarum selectarum copiae quae, nedum perfectionis individualis studio aestuent, sed peculiari Dei vocatione in mundo manentes, optimas novas invenire possint Consociationum formas, temporum necessitatibus apprime respondentes, in quibus vitam ducere queant adquirendae christianae perfectioni admodum consentaneam.

Spiritualium Moderatorum prudentiae ac studio ex animo commendantes, singulorum nobiles perfectionis conatus, in foro interno, de Associationibus nunc solliciti sumus quae coram Ecclesia in foro, uti dicitur, externo ad vitam solidae perfectionis proprios sodales quasi manu ducere satagunt atque nituntur. Non tamen de omnibus

[1] N. 241.
[2] 2 *Par.* XIX, 7; *Rom.* II, 11; *Eph.* VI, 9; *Col.* III, 25.
[3] *Mt* V, 48; XIX, 12; *Col.* IV, 12; *Iac* I, 4.

http://www.obrascatolicas.com/

Consociationibus hic quaestio est, quae in saeculo perfectionem christianam sincero corde sectantur, sed de iis tantum, quae in interna constitutione, in hierarchica regiminis ordinatione, in plena nullisque aliis vinculis limitata deditione, quam a membris proprie dictis requirunt, in consiliorum evangelicorum professione, in ratione denique ministeria et apostolatum exercendi, propius quoad substantiam accedunt ad status canonicos perfectionis, ac speciatim ad Societates absque votis publicis (tit. XVII), quamvis non vita communi religiosa, sed aliis externis formis utantur.

Hae Consociationes, quae inde « Institutorum saecularium » nomine venient, non sine speciali Divinae Providentiae afflatu, primo elapsi saeculi dimidio condi ceperunt, ut fideliter « consilia evangelica in saeculo sequerentur et caritatis officia maiore libertate obirent, a quibus per temporum nequitiam exercendis, religiosae familiae aut paene aut omnino prohibebantur ».[1] Cum antiquiora eiusmodi Instituta bonum de se specimen dederint, et operibus factisque satis semperque magis comprobarint per severam prudentemque suorum sodalium selectionem, per accuratam satisque longam eorum formationem, per adaequatam, firmam simul et agilem vitae ordinationem, etiam in saeculo peculiari Dei vocatione favente, divinaeque gratiae auxilio, obtineri certo posse satis strictam atque efficacem suipsius, non internam tantum sed externam et fere religiosam, Domino consecrationem, et instrumentum valde opportunum penetrationis et apostolatus haberi, hac multiplici de causa « istae fidelium Societates, non secus ac verae religiosae Congregationes a Sancta Sede laudatae » non semel fuerunt.[2]

Ex felici horum Institutorum incremento in dies clarius apparuit quam multiplici respectu eadem in efficax Ecclesiae et animarum subsidium verti possent. Ad vitam perfectionis semper et ubique serio ducendam; ad ipsam etiam in pluribus casibus amplectendam in quibus vita religiosa canonica possibilis vel conveniens non erat; ad impensam familiarum, professionum ac civilis societatis christianam renovationem per contactum intrinsecum et quotidianum cum vita perfecte et omnino sanctificationi consecrata; ad multiformem apostolatum et ad ministeria exercenda locis, temporibus et rerum adiunctis sacerdotibus religiosisque vetitis, vel imperviis, haec Insti-

[1] S. C. Episcoporum et Regularium, Decr. *Ecclesia Catholica,* diei 11 augusti 1889, in *ASS* XXIII (1889), 634.
[2] Ibid.



tuta adhiberi et converti facile possunt. Ex adverso, experientia comprobatum est difficultates ac pericula non defuisse, quae haec perfectionis vita libere ducta, et absque externo religiosae vestis subsidio, communisque conviventiae auxilio, absque vigilantia Ordinariorum, a quibus reipsa facile ignorari poterat, Superiorumque, qui non raro longe aberant, interdum, immo et faciliter secum ferebat. Disputari etiam coeptum fuit de natura iuridica horum Institutorum, et de Sanctae Sedis mente in illis approbandis. Heic opportunum ducimus mentionem facere illius Decreti *Ecclesia Catholica,* quod Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium edidit, et die 11 mensis augusti a. 1889 a Decessore Nostro im. mem. Leone XIII confirmatum fuit.[1] In ipso non vetabatur horum Institutorum laudatio et approbatio, edicebatur tamen Sacram Congregationem, quando haec Instituta laudabat vel approbabat, ea voluisse laudare et approbare, non quidem ut Religiones votorum solemnium, aut veras religiosas Congregationes votorum simplicium, sed tantum ut pias sodalitates, in quibus, praeter alia, quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, religiosa professio proprie dicta non emittitur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica, quae nomine Ecclesiae a legitimo Superiore acceptantur. Haec insuper sodalitia — ita addebat Sacra eadem Congregatio —, sub hac essentiali conditione laudantur vel approbantur, quod plene perfecteque Ordinariis innotescant cuiusque suis, ac eorum omnino subsint iurisdictioni. Haec Sacrae Congregationis Episcoporum ac Regularium praescripta ac declarationes, ad effingendam naturam horum Institutorum opportune contulerunt, eorumque evolutionem atque progressum ordinaverunt quin tamen impedirent.

Nostro hoc saeculo Instituta saecularia multiplicata silenter sunt, pluresque, satis inter se diversas, formas sive autonomas, sive diversimode Religionibus Societatibusve unitas induerunt. De ipsis nihil cavit Apostolica Constitutio *Conditae a Christo,* quae tantum de Congregationibus religiosis fuit sollicita. Codex etiam Iuris Canonici consulto de his Institutis siluit, et quae pro ipsis essent constituenda, cum adhuc matura non viderentur, reliquit futurae legislationi.

Haec omnia Nobiscum, pro conscientiae Nostrae officio, et pro paterna illa dilectione qua erga animas ferimur, quae in saeculo tam generose sanctitatem sectantur, semel iterumque considerantes;

[1] Ibid.

http://www.obrascatolicas.com/

itemque eo consilio ducti ut sapiens nempe ac severa fieri valeat Societatum discriminatio, illaque tantum ut vera Instituta agnoscantur, quae plenam perfectionis vitam authentice profiteantur; ut pericula vitentur erectionis novorum semper Institutorum — quae non raro imprudenter atque inconsulto conduntur —; ut illa autem Instituta, quae approbationem mereantur, talem obineant peculiarem iuridicam ordinationem, quae eorum naturae finibus, adiunctis apte pleneque respondeat, id ipsum pro Institutis saecularibus perficere cogitavimus ac decrevimus, quod im. mem. Decessor Noster Leo XIII pro Congregationibus votorum simplicium per Apostolicam Constitutionem *Conditae a Christo* tam prudenter atque sapienter praestitit. Igitur statutum generale Institutorum saecularium, quod a Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii ad competentiam suam quod spectat, examinatum diligenter fuerat et a Sacra Congregatione de Religiosis accurate, iussu ductuque Nostro, ordinatum ac expolitum fuit, per praesentes has Litteras approbamus; atque ea omnia, quae sequuntur, Apostolica auctoritate Nostra declaramus, decernimus ac constituimus.

Hisce autem ut supra constitutis, ad ea omnia exsecutioni mandanda Sacram Congregationem de Religiosis deputamus, cum omnibus facultatibus necessariis atque opportunis.

## Lex peculiaris Institutorum saecularium

### Art. I

Societates, clericales vel laicales, quarum membra, christianae perfectionis adquirendae atque apostolatum plene exercendi causa, in saeculo consilia evangelica profitentur, ut ab aliis fidelium communibus Associationibus (Pars Tertia, lib. II, C. I. C.) apte distinguantur, Institutorum seu Institutorum saecularium proprio nomine veniunt, atque huius Constitutionis Apostolicae normis subiiciuntur.

### Art. II

§ 1. Instituta saecularia, cum nec tria publica religionis vota (cc. 1308 § 1 et 488, 1°) admittant, nec communem vitam seu commorationem sub eodem tecto suis membris, ad normam canonum, imponant (cc. 487 sqq. et 673 sqq.):

1° Iure, ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt



Religiones (cc. 487 et 488, 1°) vel Societates vitae communis (c. 673 § 1);

2° Religionum aut Societatum vitae communis proprio peculiarique iure non obligantur, neque ipso uti possunt, nisi quatenus aliquod huius iuris praescriptum, illius praecipue quo Societates absque votis publicis utuntur legitime ipsis, per exceptionem, accommodatum fuerit atque applicatum.

§ 2. Instituta, salvis communibus iuris canonici normis quae ipsa respiciant, tamquam proprio iure, peculiari eorum naturae et conditioni arctius respondenti, his praescriptis reguntur:

1° Generalibus huius Constitutionis Apostolicae normis, quae omnium Institutorum saecularium veluti proprium statutum constituunt;

2° Normis quas Sacra Congregatio de Religiosis, prout necessitas ferat atque experientia suffragetur, sive Constitutionem Apostolicam interpretando sive ipsam perficiendo atque applicando pro omnibus vel pro aliquibus ex his Institutis edere censuerit;

3° Particularibus Constitutionibus, ad normam Articulorum qui sequuntur (Art. V-VIII), approbatis, quae generales iuris atque peculiares supra descriptas normas (nn. 1° et 2°), singulorum Institutorum finibus, necessitatibus, adiunctis, non parum inter se diversis, prudenter accommodent.

### Art. III

§ 1. Ut aliqua pia fidelium Consociatio, ad normam Articulorum qui sequuntur, erectionem in Institutum saeculare consequi valeat, haec (§§ 2-4), praeter alia communia, habeat necesse est requisita:

§ 2. Quoad vitae consecrationem et christianae perfectionis professionem.

Sodales, qui ut membra strictiore sensu sumpta, Institutis adscribi cupiunt, praeter illa pietatis et abnegationis exercitia, quibus omnes, qui ad perfectionem vitae christianae adspirant, incumbant necesse est, ad ipsam peculiaribus etiam rationibus, quae hic recensentur, efficaciter tendere debent:

1° Professione nempe coram Deo facta coelibatus et castitatis perfectae, quae voto, iuramento, consecratione in conscientia obliganti, ad normam Constitutionum, firmetur;

2° Obedientiae voto vel promissione, ita ut stabili vinculo ligati totos Deo et caritatis seu apostolatus operibus se dedicent, et in om-

http://www.obrascatolicas.com/

nibus sub manu et ductu semper moraliter sint Superiorum, ad normam Constitutionum;

3° Paupertatis voto vel promissione, vi cuius bonorum temporalium usum non liberum habeant, sed definitum ac limitatum, ad normam Constitutionum.

§ 3. Quoad incorporationem Sodalium Instituto proprio et quoad vinculum ex ipsa ortum.

Vinculum quo Institutum saeculare et ipsius membra, proprie dicta, inter se coniungi oportet, debet esse:

1° Stabile, ad normam Constitutionum, sive perpetuum sive temporarium, elapso tempore renovandum (c. 488, 1°);

2° Mutuum ac plenum, ita ut, ad normam Constitutionum, Sodalis se totum Instituto tradat, et Institutum de Sodali curam gerat atque respondeat.

§ 4. Quoad communes Institutorum saecularium sedes ac domos.

Instituta saecularia, etsi communem vitam seu commorationem sub eodem tecto suis membris ad normam iuris non imponant (Art. II, § 1), tamen pro necessitate, vel utilitate unam vel plures communes domos habere oportet, in quibus:

1° Residere valeant qui Instituti regimen, supremum praecipue vel regionale, exercent;

2° Commorari vel ad quas convenire queant Sodales, ad institutionem accipiendam et complendam, ad exercitia spiritualia peragenda et ad alia huiusmodi;

3° Recipi possint Sodales, qui ob infirmam valetudinem, vel ob alia rerum adiuncta sibi providere non valeant, vel quibus non expediat, ut apud se vel apud alios ipsi privatim remaneant.

## Art. IV

§ 1. Instituta saecularia (Art. I) a Sacra Congregatione de Religiosis dependent, salvis iuribus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ad normam c. 252 § 3, quoad Societates et Seminaria Missionibus destinata.

§ 2. Consociationes, quae rationem non habent seu plene finem non profitentur in Art. I descriptum, illaeque etiam, quae aliquo ex elementis carent in Art. I et III huius Constitutionis Apostolicae recensitis, iure reguntur Associationum fidelium, de quibus in cc. 684 sqq. et a Sacra Congregatione Concilii dependent, salvo praescripto c. 252 § 3, quoad territoria Missionum.



## Art. V

§ 1. Instituta saecularia Episcopi, non autem Vicarii Capitulares vel Generales condere et in personam moralem, ad normam cc. 100 §§ 1 et 2, erigere possunt.

§ 2. Ea tamen Instituta Episcopi ne condant neque condi sinant, inconsulta Sacra Congregatione de Religiosis, ad normam c. 492 § 1 et Art., qui sequitur.

## Art. VI

§ 1. Ut Episcopis, de erectione Institutorum ad normam Art. V § 2 in antecessum consulentibus, Sacra Congregatio de Religiosis licentiam concedat eadem erigendi, de iis, congrua congruis ipsius iudicio referendo, edoceri debet, quae pro erectione Congregationis Societatisve vitae communis iuris dioecesani in Normis ab eadem Sacra Congregatione impertitis definiuntur (nn. 3-5) atque de aliis quae ex stilo et praxi eiusdem Sacrae Congregationis inducta sunt, vel in posterum inducentur.

§ 2. Obtenta ab Episcopis Sacrae Congregationis de Religiosis licentia, nihil obstabit quominus, ipsi iure proprio uti libere possint et erectionem peragere. De erectione peracta officiale nuntium eidem Sacrae Congregationi Episcopi mittere ne omittant.

## Art. VII

§ 1. Instituta saecularia, quae approbationem vel laudis decretum a Sancta Sede consequuta fuerint, iuris pontificii efficiuntur (cc. 488, 3°; 673 § 2).

§ 2. Ut Instituta saecularia iuris dioecesani laudis vel approbationis decretum consequi valeant, illa generatim, congrua congruis Sacrae Congregationis de Religiosis iudicio referendo, requiruntur quae ex Normis (nn. 6 sqq.) et ex eiusdem Sacrae Congregationis stilo ac praxi pro Congregationibus et Societatibus vitae communis praescripta et definita sunt, vel in posterum definientur.

§ 3. Ad horum Institutorum eorumque Constitutionum primam, ulteriorem, si casus ferat, ac definitivam approbationem ita procedatur:

1° Causae, de more paratae et unius saltem Consultoris voto ac dissertatione illustratae, in Consultorum Commissione, sub ductu Excmi eiusdem Sacrae Congregationis Secretarii aliusve ipsius vices gerentis, prima fiet disceptatio;

http://www.obrascatolicas.com/

2° Inde res tota, praeside Emo Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto, atque invitatis ad causam diligentius excutiendam, prout necessitas seu utilitas suggerat, peritis seu peritioribus Consultoribus, pleni Sacrae Congregationis Congressus examini ac decisioni subiiciatur;

3° Congressus resolutio ab Emo Cardinali Praefecto vel ab Excmo Secretario Audientia Ssmo Domino referenda Ipsiusque supremo iudicio submittenda erit.

Art. VIII

Instituta saecularia, praeterquam propriis, si quae adsint vel in posterum ferentur legibus, ad normam iuris pro non exemptis Congregationibus et Societatibus vitae communis vigentis, Ordinariis locorum subiecta sunt.

Art. IX

Regimen internum Institutorum saecularium hierarchice ad instar regiminis Religionum et Societatum vitae communis, congrua congruis eiusdem Sacrae Congregationis iudicio referendo, pro ipsorum Institutorum natura, finibus, et adiunctis ordinari potest.

Art. X

Quoad iura et obligationes Institutorum, quae condita iam sunt et ab Episcopis, consulta Sanctae Sede, vel ab ipsa Sancta Sede fuerunt approbata, hac Constitutione Apostolica nihil immutatur.

Haec edicimus, declaramus ac sancimus, decernentes pariter Apostolicam hanc Constitutionem firmam, validam et efficacem semper esse ac fore, suosque plenos et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibuslibet non obstantibus, peculiarissima etiam mentione dignis. Nulli igitur hominum liceat hanc Constitutionem a Nobis promulgatam infringere, vel eidem temerario ausu contraire. [a]

*AAS* XXXIX (1947), 114-124.

[a] Nn. 389, 391, 392.



## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 388

### De Actione Catholica

(Litt. circ. *I nuovi,* diei 2 februarii 1947, ad Superiores et Superiorissas Ordinum et Congregationum Religiosorum)

I nuovi e più difficili compiti assegnati all'Azione Cattolica non possono non interessare anche gli Istituti Religiosi che costituiscono l'altra ala poderosa dell'Esercito combattente della Chiesa. Già dal 1 marzo 1924 l'Eminentissimo Cardinale Laurenti, Prefetto di questa S. Congregazione, con lettera diretta alla Presidenza della Gioventù Femminile dell'Azione Cattolica Italiana, faceva rilevare la necessità di armonizzare perfettamente tra loro, con una reciproca intesa e con una efficace cooperazione, l'opera organizzativa dell'Azione Cattolica e invitava le Superiore degli Istituti di educazione in Italia a presentare delle proposte concrete per la desiderata cooperazione. Con un'altra lettera del 21 gennaio 1927, diretta all'Assistente Generale dell'Unione femminile C. I. lo stesso Eminentissimo comunicava le disposizioni ricevute dal Santo Padre nell'Udienza dell'11 gennaio dello stesso anno, perchè gli Assistenti Generali e gli altri Assistenti di detta Unione, scelti di comune accordo potessero fornire alle Religiose, nel modo che fosse ritenuto più opportuno, quelle notizie di organizzazione e di tecnica che valessero ad illustrare meglio la situazione per ottenere la desiderata collaborazione.

Il Cardinale Lépicier, successore del Cardinale Laurenti nella stessa Congregazione, nella lettera del 29 maggio 1930, diretta all'Assistente Gen. dell'U.F.C.I. dopo aver comunicato il compiacimento dell'Augusto Pontefice per la cooperazione delle benemerite Suore degli Istituti educativi all'Apostolato dell'Azione Cattolica, insisteva perchè questa cooperazione fosse sempre più stabile ed efficace.

L'Eminentissimo Card. Pacelli, allora Segretario di Stato, nello splendido documento del 15 marzo 1938 indirizzato a nome del S. Padre Pio XI a tutti i Superiori degli Ordini e Congregazioni Religiose maschili e femminili, lodando l'impegno generoso con cui alcuni Ordini e Congregazioni Religiose maschili e femminili avevano messo a disposizione dell'A. C. I. i loro membri, i quali con la penna, con la parola e con l'assistenza, ne avevano favorito lo

http://www.obrascatolicas.com/

sviluppo e assicurati i frutti, inculcava ai Religiosi i nuovi mezzi d'adottare per rendere più valido il loro aiuto all'A. C. Tra questi mezzi Colui che doveva ascendere alla Cattedra di Pietro indicava particolarmente i corsi di studio perchè i Religiosi e le Religiose meglio si preparassero ai nuovi compiti dell'Apostolato. Ed ancora recentemente, nella lettera di approvazione del nuovo « Statuto dell'A. C. I. » il S. Padre Pio XII, spiegando tutto il significato che assume la sanzione pontificia data alle norme di tale Statuto, scrive: « Veda il clero nell'A. C. affermato il bisogno, reso impellente dalle condizioni della vita moderna e dalla scarsezza di sacerdoti, di crearsi fra i laici collaboratori generosi ed offerto il metodo ben provato per procedere alla loro formazione ed organizzazione ».

Nè d'altra parte, l'appello rivolto ai Religiosi per una loro efficace cooperazione all'A. C. I. intende menomare la vitalità delle loro specifiche organizzazioni e dei loro sodalizi, giacchè, come è detto nell'ultimo capoverso dell'art. 2° del nuovo Statuto « benchè sia l'ordinamento principe dei cattolici militanti, l'A. C. I. comporta accanto a se stessa Associazioni pure dipendenti dall'Autorità ecclesiastica, di cui alcune aventi fini e forme di Apostolato, da essa considerate collaboratrici dell'Apostolato gerarchico ».

Questa preparazione si rende tanto più necessaria e urgente, quanto più spaventevoli sono le rovine materiali e spirituali accumulate dall'immane guerra, di cui le pagine della storia non registrano l'uguale. Occorre ricostruire dalle fondamenta l'edificio sociale tremendamente sconvolto. Ai compiti ordinari svolti finora dall'A. C. I. altri, e ben più gravi, incombono su quanti sono chiamati a propagare, diffondere, attuare la dottrina sociale della Chiesa. L'Augusto Pontefice nei suoi magistrali e mirabili messaggi non cessa d'indicare e illuminare le vie che popoli e nazioni devono battere per ritrovare con una pace sicura l'ordine necessario per ricostruirvi le nuove convivenze sociali. È necessario, per tanto che i Religiosi completino la loro cultura con la conoscenza dei messaggi Pontifici e della dottrina sociale della Chiesa, per farne oggetto dell'abituale predicazione e dei corsi specializzati di studio.

Anche le Religiose addette alla educazione della gioventù femminile, dovranno essere istruite su tali problemi, per volgarizzarli fra le loro alunne, non potendosi ritenere completa una educazione che da essi prescinda. A tale scopo sarà bene che siano promossi dai competenti Superiori religiosi Corsi di aggiornamento sull'Azione cattolica e sull'Azione sociale.



Detti Corsi onde evitare doppioni o contrasti, dovranno essere organizzati d'accordo con la Commissione Episcopale per l'Alta direzione dell'A. C. I.

Passando dal campo della cultura a quello dell'attuazione, sia i Religiosi che le Religiose aiuteranno l'A. C. nel promuovere tutte quelle opere nuove che sono destinate a sollevare le classi lavoratrici e premunirle dai gravi pericoli di false ideologie attuando un piano di vera giustizia sociale. Converrà, in primo luogo, osservare se essi, per i primi, con i loro dipendenti, attuino nella lettera e nello spirito le riforme di giustizia promosse dai Pontefici nelle loro Encicliche sociali, senza illudersi di supplirvi con la carità.

Altri problemi non meno preoccupanti esigono il concorso dei Religiosi anche perchè rivestono un carattere internazionale. Ricordiamo tra l'altro, il problema del Cinema, della Radio, della Stampa.

Le famiglie religiose con la diffusione in tutte le nazioni sono in grado di meglio comprendere la portata di questi problemi e affrettarne la soluzione con gli scambi di vedute e i reciproci aiuti. L'A. C. potrebbe così contare non solo sulla collaborazione di scelti elementi, forniti appunto dalle Famiglie Religiose, ma sul loro appoggio per le nuove istituzioni che occorrerà creare, per opporle ai vari fronti disgregativi e per facilitare l'azione civilizzatrice e conquistatrice della Chiesa.

E poichè la realizzazione di tali istituzioni esige anche mezzi finanziari non indifferenti, quelle famiglie religiose che non hanno sentito le conseguenze della guerra, senza dimenticare i propri fratelli, più provati, potrebbero aiutare con generosi contributi il sorgere e l'affermarsi delle nuove istituzioni. Nel promuovere opere cattoliche di Apostolato sociale come pure nello sviluppare gli Enti che sono rivolti ad influire nella formazione cattolica della pubblica opinione (Stampa, Cinema, Teatro e Radio) si tengano presenti le Opere già esistenti (A. C. L. I., C. I. F., ecc.) e gli Enti esistenti presso l'A. C. I., per il necessario coordinamento per mezzo della Consulta Generale, in conformità all'art. 13 del nuovo Statuto. Per quanto riguarda la costituzione di opere nuove, sarà bene tener conto delle particolari esigenze e delle situazioni locali che consentono ed esigono forme specifiche di apostolato, e raggruppamenti adeguati. È superfluo poi avvertire che, ove trattasi di iniziative di apostolato di natura diocesana, occorrerà provocare il consenso dell'Ordinario secondo le forme consuete canoniche.

http://www.obrascatolicas.com/

Una maggiore intesa fra l'opera educativa dei Religiosi e delle Suore con quella dell'A. C., gioverà ai comuni intenti e ci darà una gioventù meglio preparata a superare i pericoli a cui è esposta e a difendere i diritti della Chiesa.

Da ricordare, infine, che essendo stato esteso anche alla donna il suffragio elettorale, è indispensabile che le Suore siano in grado di compiere questo nuovo dovere con piena cognizione di causa, in modo di sapersene valere anche nella loro opera educatrice e nei loro contatti colle persone che avvicinano.

Siamo sicuri che gl'Istituti Religiosi accetteranno con prontezza e generosità d'animo queste esortazioni e renderanno così ancor più prezioso il loro contributo all'opera ricristianizzatrice della società, mostrando ancora una volta come la Chiesa costituisca la potente armatura della convivenza umana.

In *AAS* non promulgata.

## 389

### De quinquennali relatione a Religionibus, a Societatibus vitae communis et ab Institutis saecularibus facienda

(Decretum *Cum transactis,* diei 9 iulii 1947)

Cum, transactis iam viginti quinque et amplius annis a publicatione Decreti *Sancitum est,* sub die 8 martii 1922, [1] quo ordinabatur relatio quinquennalis a Supremis Religionum Moderatoribus ad Sanctam Sedem mittenda (c. 510), experientia clare docuerit quaenam ex ibi praescriptis confirmanda definitive videantur, quaenam illis addenda, quaenam autem demenda aut corrigenda sint, prout a dicto Decreto iam innuebatur, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita in coetu plenario Eminentissimorum Patrum diei 4 iunii 1947, quae sequuntur statuenda decrevit:

I. Ad normam Codicis (can. 510) Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae (can. 488, 8°), Moderator Supremus cuiusvis Religionis et Societatis vitae communis absque votis publicis (can. 675) pariterque Moderator Supremus Instituti saecularis iuris pontificii et Praeses cuiuscumque Foederationis domorum Religionum, Societatum in communi viventium vel Institutorum saecu-

[1] N. 339.



larium, ipsisque deficientibus vel impeditis, eorumdem Vicarii (can. 488, 8°), quinto quoque anno relationem de statu Religionis, Societatis, Instituti vel Foederationis ad Sanctam Sedem, scilicet ad hanc Sacram Congregationem Negotiis Religiosorum praepositam, mittant, etiamsi annus pro exhibenda relatione assignatus, ex toto vel ex parte, in primum biennium ab inito regimine inciderit.

II. Quinquennia sint fixa et omnibus, uti supra (n. I), communia, ipsaque a die prima ianuarii 1923 computari pergent.

III. In relationibus exhibendis ordo, prout sequitur, servetur:

1° Ex Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus ac Foederationibus iuris pontificii virorum relationem mittent:

primo quinquennii anno: Canonici Regulares, Monachi, et Ordines militares;

secundo anno: Mendicantes et Clerici ceterique Regulares;

tertio anno: Congregationes clericales;

quarto anno: Congregationes laicales;

quinto anno: Societates vitae communis, Instituta saecularia et Foederationes.

2° Ex Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus et Foederationibus iuris pontificii mulierum, habito respectu ad regionem in qua de iure domus princeps exstat, relationem mittent:

primo quinquennii anno: Superiorissae Religionum ex Italia, Hispania et Lusitania;

secundo anno: Superiorissae Religionum ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia et Hibernia;

tertio anno: Superiorissae Religionum ex reliquis Europae regionibus;

quarto anno: Superiorissae Religionum ex Americae regionibus;

quinto anno: Superiorissae Religionum ex aliis orbis partibus et insuper Superiorissae Societatum vitae communis, Institutorum saecularium et Foederationum totius mundi.

IV. Ut Sacra Congregatio necessarias ipsasque certas et authenticas notitias sibi comparare valeat illorum omnium Monasteriorum domorumque sui iuris, virorum et mulierum, iuris pontificii quae ad quinquennalem relationem transmittendam ex can. 510 non obligantur, necnon Congregationum, Societatum vitae communis et Institutorum saecularium iuris dioecesani haec observanda sunt:

http://www.obrascatolicas.com/

1° Superiores maiores Monasteriorum seu domorum sui iuris virorum quae, etsi iuris pontificii, nec ad Congregationem monasticam pertinent nec foederata aliis sint, tempore et ordine supra definitis (n. III, 1°), summariam quinquennii relationem ab ipsis et a propriis Consiliariis subscriptam Ordinario loci deferent. Ordinarius autem exemplar relationis a se subsignatum, propriis, si casus ferat, additis animadversionibus, ad Sacram Congregationem intra annum ipsum quo relatio facta est transmittere sataget.

2° Superiorissae maiores Monasteriorum Monialium cum proprio Consilio, iuxta ordinem supra (n. III, 2°), pro Generalibus Moderatricibus statutum, brevem ac concinnam relationem quinquennii ab omnibus subscriptam Ordinario loci, si Moniales eidem subiectae sint, secus Superiori Regulari mittant. Ordinarius loci vel Praelatus regularis relationis exemplar, a se subsignatum, propriisque, si res ferat, animadversionibus additis, ad Sacram Congregationem intra annum ipsum quo relatio exarata fuit diligenter transmittendam curabit.

3° Moderatores Supremi Congregationum, Societatum vitae communis et Institutorum saecularium iuris dioecesani relationem quinquennalem a se et a proprio Consilio subsignatam Ordinario loci in quo Domus princeps invenitur tempore et ordine supra (n. III, 1° et 2°) statutis exhibeant. Hanc relationem Ordinarius loci aliarum Domorum Ordinariis communicare non omittat eiusque exemplar a se subsignatum et, proprio aliorumque Ordinariorum circa Congregationem, Societatem vel Institutum saeculare addito iudicio, ad hanc Sacram Congregationem intra ipsum annum transmittat.

4° Domus religiosae sui iuris aut autonomae domusque Societatis sine votis vel Instituti saecularis, quae in Foederationem non coadunantur, sive iuris dioecesani sint sive iuris pontificii, ordine supra (n. III, 1° et 2°) definito, summariam quinquennii relationem deferent Ordinario loci. Ordinarius autem eiusdem relationis exemplar, a se subscriptum ac propriis, si casus ferat, additis animadversionibus ad Sacram Congregationem pariter intra ipsum annum transmittat.

V. In exarandis relationibus omnes Religiones, Congregationes monasticae, Societates vitae communis, Instituta saecularia et Foederationes iuris pontificii, etsi exemptione fruantur, adamussim elenchum quaestionum, qui a Sacra Congregatione proponetur ac directo eisdem communicabitur, sequantur.



Monasteria Monialium, Domus autonomae Religionum, Societatum vel Institutorum saecularium iuris pontificii, Congregationes, Societates atque Instituta saecularia iuris dioecesani breviores pro ipsis probandas formulas adhibeant.

VI. Responsa propositis quaestionibus danda, onerata pro rei gravitate conscientia, sincera semper sint atque, accuratis praemissis informationibus, pro viribus completa. Si in illis quae necessaria videntur deficiant vel responsa incerta vel parum secura appareant, Sacra Congregatio ex officio, prout opportunum iudicaverit, non exclusis, si opus sit, immediate ab ipsa factis investigationibus, ea complenda curabit.

VII. Relatio, antequam a Superiore et a singulis Consiliariis seu Assistentibus ex officio subsignetur, praevio maturo, personali ac collectivo examini subiicienda est.

In mulierum Religionibus, Societatibus vitae communis, Institutis saecularibus ac Foederationibus iuris pontificii Moderatrix suprema relationem, a se et a suo Consilio subscriptam, Ordinario loci Domus generalitiae transmittat, ut ipse, ad normam iuris (can. 510) eidem relationi subscribere valeat; relationem ab Ordinario loci subsignatam Moderatrix generalis ad hanc Sacram Congregationem remittendam tempestive curabit.

VIII. Si quis vero ex Superioribus vel Consiliariis, quibus onus incumbit subscribendi relationi, aliquid non parvi momenti eidem obiiciendum habeat, quod suo voto modificare non potuit, vel aliquid circa ipsam quoquo modo Sacrae Congregationi significandum putaverit, id per privatas litteras praestare poterit et, iuxta casus, ex conscientiae officio ad id tenebitur. Verumtamen memor sit ipse conditionis suae et probe sciat conscientiam suam graviter oneratam iri, si quid a veritate alienum secretis his litteris exponere praesumpserit.

IX. Sub cuiusque anni exitu omnes sive iuris dioecesani sive pontificii, tam Religiones, quam Societates vitae communis et Instituta saecularia ac Foederationes prospectus annuos iuxta schemata in formulis a Sacra Congregatione exarandis ac communicandis contenta, praecipuorum quod ad statum personarum, operum aliorumve quae sive Sacrae Congregationis sive Superiorum magis interesse videntur, directo Sacrae Congregationi de Religiosis transmittant.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII, in Audientia habita ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis de Religiosis, die 9



http://www.obrascatolicas.com/

iulii 1947, praesentis Decreti tenorem approbavit et ab omnibus servari et publici iuris fieri mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.[a]

*AAS* XL (1948), 378-381.

## PIUS XII

### 390

### De sacrae Liturgiae studiis provehendis

(Ex Litt. encycl. *Mediator Dei*, diei 20 novembris 1947)

At est aliquid etiam maiorisque momenti, Venerabiles Fratres, quod peculiari modo sedulitati studioque vestro apostolico commendemus. Quidquid ad externum religionis cultum attinet suam profecto habet gravitatem; attamen pernecesse potissimum est christianos Liturgiae vitam vivere, eiusque supernum alere ac refovere afflatum.

Alacriter igitur consulite ut adolescens clerus, cum ad asceticas, theologicas, iuridicas ac pastorales disciplinas instituitur, ita etiam concordi ratione conformetur, ut sacras caerimonias intellegat, earum maiestatem pulchritudinemque percipiat, easque normas diligenter addiscat, quas rubricas vocant. Idque non modo culturae causa, non ea solummodo ratione, ut debito ordine, decore dignitateque sacrorum alumnus religionis ritus peragere aliquando valeat, sed ea praesertim, ut arctissima cum Christo sacerdote coniunctione devinctus educetur, ac sanctus fiat sanctitatis administer.

*AAS* XXXIX (1947), 591-592.

## PONTIFICIA COMMISSIO INTERPRETATIONIS CODICIS

### 390[a]

### De litteris ad Ordinarium loci libere mittendis

(Interpret. auth., diei 27 novembris 1947)

*Dubium:* An religiosi exempti, in casibus in quibus Ordinario loci subiiciuntur, libere possint, ad normam can. 611, litteras nulli obnoxias inspectioni ad eundem Ordinarium mittere et ab eodem recipere.

*Responsum:* Affirmative.

*AAS* XL (1948), 301.

[a] N. 394.



## PIUS XII

### 391

### De Institutorum saecularium laude atque confirmatione

(Motu proprio *Primo feliciter*, diei 12 martii 1948)

Primo feliciter elapso anno a promulgata Apostolica Nostra Constitutione *Provida Mater Ecclesia*,[1] cum ob oculos multitudinem habeamus tot animarum absconditarum « cum Christo in Deo »,[2] quae in saeculo ad sanctitatem adspirant totamque vitam « corde magno et animo volenti »[3] in novis Institutis Saecularibus laetanter Deo consecrant, facere non possumus quin Divinae Bonitati gratias referamus, de novo hoc agmine, quod exercitum consilia evangelica profitentium in saeculo adauxit; itemque de valido subsidio quo nostris hisce perturbatis luctuosisque temporibus catholicus apostolatus providentissime roboratus est.

Spiritus Sanctus, qui faciem terrae tot tantisque malis in dies desolatam et deturpatam recreat et renovat incessanter,[4] multos dilectissimos filios et filias, quibus peramanter in Domino benedicimus, magna specialique gratia ad se vocavit ut, in Institutis Saecularibus, collecti et ordinati, insulsi ac tenebricosi mundi, de quo non sunt[5] et in quo tamen ex divina dispositione remanere debent, sal indeficiens sint quod, vocationis ope renovatum, non evanescit;[6] lux, quae inter ipsius mundi tenebras, lucet et non extinguitur;[7] ac modicum sed efficax fermentum, quod semper et ubique operans omnibusque civium ordinibus, ab imis ad summos, permixtum, eosdem singulos universos verbo, exemplo cunctisque modis attingere ac permeare nititur, donec integram massam ita informet ut fermentata in Christo sit tota.[8]

Ut ob consolantem eiusmodi Spiritus Iesu Christi[9] effusionem tot Instituta ubique gentium orta, ad normas Constitutionis Aposto-

[1] N. 387.
[2] *Col.* III, 3.
[3] *II Mac.* I, 3.
[4] *Ps. CIII* 30.
[5] *Io* XV, 19.
[6] *Mt* V, 13; *Mc* IX, 49; *Lc* XIV, 34.
[7] *Io* IX, 5; VIII, 12; *Eph.*, V, 8.
[8] *Mt* XIII, 33; *I Cor.* V, 6; *Gal.* V, 9.
[9] *Rom.* VIII, 9.

http://www.obrascatolicas.com/

licae *Provida Mater Ecclesia* efficaciter dirigantur, atque eos optimos sanctitatis fructus, qui sperantur, copiosissime ferant; itemque, ut solide et sapienter in aciem ordinata, [1] praelia Domini fortiter in peculiaribus ac communibus apostolatus operibus praeliari valeant, memoratam Apostolicam Constitutionem magna cum laetitia confirmantes, matura deliberatione adhibita, Motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae plenitudine potestatis haec, quae sequuntur, declaramus, decernimus ac constituimus:

I. Societates, clericorum vel laicorum, perfectionem christianam in saeculo profitentes, quae elementa ac requisita in Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* praescripta certa plenaque ratione habere videantur, non debent neque possunt inter communes fidelium Associationes (cc. 684-725) arbitrio, quovis praetextu, relinqui, sed ad propriam Institutorum Saecularium naturam et formam, quae ipsorum characteri ac necessitatibus apprime respondet, reducendae atque elevandae necessario sunt.

II. In hac Societatum fidelium ad superiorem Institutorum Saecularium formam elevatione (cfr. n. I), atque in omnium Institutorum, sive generali sive etiam singulari ordinatione perficienda, illud prae oculis semper habendum est, quod proprius ac peculiaris Institutorum character, *saecularis* scilicet, in quo ipsorum existentiae tota ratio consistit, in omnibus elucere debet. Nihil ex plena christianae perfectionis professione, evangelicis consiliis solide fundata et quoad substantiam vere religiosa, detrahendum erit, sed perfectio est *in saeculo* exercenda et profitenda; ac, proinde, cum vita saeculari in omnibus, quae licita sunt et quae cum eiusdem perfectionis officiis et operibus componi valent, accommodetur oportet.

Integra vita sodalium Institutorum Saecularium, professione perfectionis Deo sacra, in apostolatum converti debet, qui ita ex puritate intentionis, ex interiori unione cum Deo, ex generosa oblivione fortique sui ipsius abnegatione, ex animarum amore, est perpetuo sancteque exercendus, ut non minus interiorem spiritum prodat, quo informatur, quam ipsum continuo alat et renovet. Hic apostolatus, qui totam vitam complectitur, tam profunde ac sincere in his Institutis persentiri iugiter solet, ut, Divinae Providentiae ope atque consilio, animarum sitis et ardor non tantum occasionem vitae consecrationis dedisse feliciter, sed magna ex parte suam propriam

---

[1] *Cant.* VI, 3.



rationem et formam imposuisse, mirumque in modum, finem, quem specificum appellant, genericum etiam finem exigisse atque creasse videatur. Hic apostolatus Institutorum Saecularium non tantum *in saeculo*, sed veluti *ex saeculo*, ac proinde professionibus, exercitiis, formis, locis, rerum adiunctis saeculari huic conditioni respondentibus, exercendus est fideliter.

III. Quae ad canonicam disciplinam status religiosi spectant Institutis Saecularibus non competunt, nec generatim legislatio religiosa, ad normam Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia*, ipsis applicari debet aut valet (Art. II, § 1). Illa ex adverso, quae in Institutis inveniantur amice cum ipsorum charactere saeculari coniuncta, dummodo plenae totius vitae consecrationi nullatenus officiant et cum Constitutione *Provida Mater Ecclesia* cohaereant, conservari possunt.

IV. Hierarchica interdioecesana et universalis constitutio ad modum corporis organici Institutis Saecularibus applicari valet (ib., Art. IX), et haec applicatio absque dubio internum vigorem, ampliorem et efficaciorem influxum atque constantiam ipsis conferre debet. Tamen in hac ordinatione, singulis Institutis aptanda, ratio haberi debet naturae finis, quem Institutum persequitur, maioris minorisve ipsius expansionis propositi, eiusdem evolutionis et maturitatis gradus, rerum adiunctorum in quibus versatur, aliorumque id genus. Neque sunt illae Institutorum formae reiiciendae, aut despiciendae, quae confoederatione fundentur et characterem localem in singulis nationibus, regionibus, dioecesibus, retinere ac moderate fovere velint, dummodo rectus sit et catholicitatis Ecclesiae sensu informatus.

V. Instituta Saecularia, quorum membra, etsi in saeculo commorantur, ex plena tamen Deo et animabus consecratione quam, probante Ecclesia, profitentur, et ex interna ordinatione hierarchica interdioecesana et universali, quam diversis gradibus habere valent, inter status perfectionis iuridice ab Ecclesia ipsa ordinatos et recognitos, ex Apostolica Constitutione *Provida Mater Ecclesia* iure meritoque numerantur. Consulto igitur illius S. Congregationis competentiae et curae Instituta adiudicata et commissa fuerunt, quae *de statibus publicis perfectionis* regimen et curam gerit. Hinc, salvis semper, ad canonum tenorem et expressum Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia* praescriptum (Art. IV, §§ 1 et 2), iuribus S. Congregationis Concilii circa communes pias sodalitates piasque uniones fidelium (c. 250, § 2) et S. Congregationis de Pro-

http://www.obrascatolicas.com/

paganda Fide circa societates ecclesiasticorum ad seminaria pro exteris missionibus (c. 252, § 3), omnes societates ubique gentium — etsi ordinaria vel etiam pontificia approbatione suffultas —, cum elementa et requisita Institutorum Saecularium propria habere noscantur, ad hanc novam formam necessario illico redigendae sunt, secundum normas supra dictas (cfr. n. I), atque, ut directionis unitas servetur, uni S. Congregationi de Religiosis, in cuius sinu speciale de Institutis Saecularibus Officium constitutum fuit, merito attribui ac devolvi decrevimus.

VI. Moderatoribus vero et adsistentibus Actionis Catholicae aliarumque fidelium Associationum, in quarum materno gremio ad vitam integre christianam simul educantur, et apostolatus exercitio initiantur tam numerosi atque electi iuvenes, qui ad altiora assequenda sive in Religionibus ac Societatibus vitae communis, sive in Institutis etiam Saecularibus, superna vocatione invitantur, paterno ex animo commendamus, ut sanctas eiusmodi vocationes generose promoveant; ac non solum Religionibus et Societatibus, sed his etiam vere providentialibus Institutis, adiutricem manum praebeant, atque libenter, salva interna ipsorum disciplina, eorumdem opera utantur.

Horum omnium, quae Motu proprio constituimus, fidelem exsecutionem S. Congregationi de Religiosis aliisque supra recensitis Ss. Congregationibus, Ordinariis locorum ac Societatum quarum interest Directoribus — quatenus ipsa ad singulos pertineant — auctoritate Nostra committimus.

Quae autem his Litteris, Motu proprio datis, statuimus, ea semper valida et firma esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. [a]

*AAS* XL (1948), 283-286.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 392

### De Institutis saecularibus

(Instructio *Cum Sanctissimus*, diei 19 martii 1948)

Cum Ssmus Dominus Noster Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia* [b] promulgavit, ad ea omnia exsecutioni efficacius mandanda quae sapienter in Constitutione statuta fuerunt, Sa-

[a] N. 392.
[b] N. 387.



cram Congregationem de Religiosis, cuius competentiae Instituta Saecularia commissa sunt (*Lex peculiaris*, Art. IV, §§ 1 et 2), deputare dignatus est, ipsi omnes necessarias et opportunas facultates ad hunc finem concedens.

Inter munera et officia quae ex hac pontificia deputatione, iuxta ipsius Constitutionis expressam definitionem, Sacram Congregationem gravant, illud recensendum quod « prout necessitas ferat atque experientia suffragetur, sive Constitutionem Apostolicam interpretando sive ipsam perficiendo atque applicando », ipsa Congregatio normas edere valeat, quae ad Instituta Saecularia generatim, vel ad aliqua ex eis singillatim necessariae seu utiles reputentur (Art. II, § 2, 2°).

Iamvero, etsi completae atque definitivae normae Instituta Saecularia respicientes, ne hodierna ipsorum Institutorum evolutio periculose coarctetur, in opportunius tempus melius differantur, tamen expedit ut aliqua, quae non ab omnibus in Constitutione Apostolica *Provida Mater Ecclesia* clare perspecta recteque fuerunt interpretata, planius statim declarentur atque in tuto ponantur, adamussim servatis praescriptionibus quae, in Litteris *Primo feliciter*, a Ssmo Domino Nostro Motu proprio, sub die 12 decurrentis mensis datis, [a] statuuntur. Hinc Sacra Congregatio, per modum Instructionis, supremas normas colligere et clare digestas edere decrevit, quae merito basilares reputandae sunt ad solide Instituta Saecularia inde ab initio constituenda et ordinanda.

1. Ut aliqua Associatio, etsi perfectionis christianae professioni atque apostolatus exercitio in saeculo impense dedita, nomen et titulum *Instituti Saecularis* assumere iure meritoque valeat, non solum illa omnia atque singula elementa habere debet quae, ad normam Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia*, ut necessaria et integralia Institutorum Saecularium recensentur ac definiuntur (Art. I et III), sed praeterea necesse prorsus est ut ab aliquo Episcopo, hac Sacra Congregatione prius consulta, approbata atque erecta sit (Art. V, § 2; Art. VI).

2. Associationes fidelium, quae rationem notasque habent in Constitutione Apostolica descriptas, ab hac Sacra Congregatione de Religiosis omnes ubique, sive in territoriis iuris communis sive in territoriis Missionum, iure ad normam ipsius Constitutionis dependent (Art. IV, §§ 1 et 2) et Constitutionis Legi peculiari subiiciun-

[a] N. 391.

http://www.obrascatolicas.com/

tur, nec quavis ratione vel titulo ipsis licet, iuxta Litteras *Primo feliciter* (n. V), inter communes Associationes fidelium (C. I. C., L. II, P. III) remanere, salvo n. 5 huius Instructionis.

3. Ad veniam pro erectione novi Instituti Saecularis obtinendam, Episcopus loci, et non alius, hanc Sacram Congregationem adire debet, eam distincte docendo de iis omnibus quae in Normis pro erectione et approbatione Congregationum ab ipsa S. Congr. de Religiosis editis [e] definiuntur, congrua tamen congruis referendo (Art. VII). Mittenda etiam sunt schemata Constitutionum (sex saltem exemplaria), lingua latina vel alia in Curia recepta exarata, et insuper Directoria aliaque documenta, quae ad Associationis rationem atque spiritum dignoscendum inservire valeant. Constitutiones ea omnia continere debent, quae Instituti naturam, genera sociorum, regimen, formam consecrationis (Art. III, § 2), vinculum e Sodalium Instituto incorporatione ortum (Art. III, § 3), communes domos (Art. III, § 4), membrorum institutionis rationem atque exercitia pietatis respiciunt.

4. Associationes quae ante Const. *Provida Mater Ecclesia* legitime, ad normam praecedentis iuris, erectae vel approbatae ab Episcopis erant, vel pontificiam Associationum laicalium aliquam approbationem obtinuerant, ut ab hac Sacra Congregatione qua Instituta Saecularia, sive iuris dioecesani sive pontificii, recognosci valeant, ad ipsam Sacram Congregationem documenta erectionis vel approbationis, Constitutiones quibus hucusque regebantur, brevem relationem historicam, disciplinarem et apostolatus, ac, praesertim si iuris tantum dioecesani sint, etiam testimonia Ordinariorum in quorum dioecesibus sedes habent remittere debent. His omnibus ad normam Art. VI et VII Const. *Provida Mater Ecclesia* perpensis atque attente examinatis, prout casus ferat venia erectionis vel Decretum laudis concedi poterit.

5. Associationes non ita pridem fundatae, vel non sufficienter evolutae illaeque etiam quae in dies excitantur, etsi spem bonam de se concipere merito faciant quod si res secunde procedant ex ipsis Instituta Saecularia solida ac genuina exurgere valeant, opportunius erit si non statim S. Congregationi proponantur ut venia erectionis ab ipsa impetretur. Ex regula generali, quae nonnisi gra-

[e] S. C. de Relig., Normae secundum quas S. C. de Religiosis in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet, diei 6 martii 1921, in *AAS* VIII (1921), 312-319, nn. 3-8.



vibus de causis rigide probatis, exceptionem pati debet, hae novae Consociationes, donec sufficiens specimen dederint, sub paterna Auctoritatis dioecesanae manu et tutela retineantur et exerceantur, prius uti merae Associationes, quae facto potius quam iure existunt, deinde, non quidem per saltum sed pedetemptim atque per gradus, sub aliquibus ex formis Associationum fidelium, ut Piae Unionis, Sodalitii, Confraternitatis, iuxta casus evolvantur.

6. Dum hae praeviae evolutiones (n. 5) perdurant ex quibus clare demonstrandum est, revera de Associationibus agi, quae plenam vitae perfectioni et apostolatui consecrationem sibi proponunt, quaeque alias omnes habeant notas quae in vero Instituto Saeculari exiguntur, attente invigilandum est ne quidquam his Associationibus interne vel externe permittatur, quod praesentem ipsarum conditionem excedat, et specificae Institutorum Saecularium rationi et naturae respondere videatur. Illa praesertim vitentur quae, denegata postea venia pro erectione in Institutum Saeculare, facile auferri vel destrui non possent et Superioribus vim quamdam inferre viderentur ad approbationem concedendam vel nimis facile largiendam.

7. Ad iudicium securum et practicum ferendum de vera natura Instituti Saecularis alicuius Associationis, scilicet an ipsa in saeculari statu et conditione sua membra ad illam plenam consecrationem et deditionem efficaciter ducat quae, etiam in foro externo, imaginem referat status perfectionis completi, et quoad substantiam vere religiosi, haec sunt accurate perpendenda:

*a*) an sodales qui, ut membra strictiore sensu sumpta Associationi inscribuntur, « praeter illa pietatis et abnegationis exercitia » sine quibus perfectionis vita vana illusio dicenda esset, tria generalia consilia evangelica una ex diversis formis quae Constitutio Apostolica admittit (Art. III, § 2), practice et solide, profiteantur. Possunt tamen admitti, ut membra latiore sensu accepta, et maiore vel minore vi seu intentione Associationis corpori adscripta, Sodales qui ad evangelicam perfectionem adspirent ipsamque in propria conditione exercere nitantur, etsi non singula consilia evangelica altiore gradu complectantur seu complecti valeant;

*b*) an vinculum, quo membra strictiore sensu sumpta et Associatio inter se ligantur, *stabile*, *mutuum* ac *plenum* sit, ita ut ad normam Constitutionis, Sodalis Associationi se totum tradat et As-

http://www.obrascatolicas.com/

sociatio talis sit vel serio fore praevideatur, quae de Sodali curam gerere atque de ipso iure respondere velit ac possit (Art. III, § 3, 2°);

*c*) an et qua ratione seu quo titulo sedes communes, quae in Constitutione Apostolica (Art. III, § 4) praecipiuntur, actu habeat seu habere nitatur, ut fines ad quos ipsae ordinantur obtineat;

*d*) an illa vitentur, quae Institutorum Saecularium naturae ac rationi non essent consentanea, ut ex. gr.: habitus qui non respondeat saeculari conditioni, vita communis ad modum vitae communis religiosae vel huic aequiparatae (Tit. XVII, L. II, C. I. C.) externe ordinata (Art. II, § 1; Art. III, § 4).

8. Instituta Saecularia, ad normam Art. II, § 1, 2°, Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia,* salvisque eiusdem Constitutionis Art. X, et Art. II, § 1, 1°, Religionum aut Societatum vitae communis proprio peculiarique iure non obligantur neque ipso uti possunt. Sacra tamen Congregatio, aliqua particularia praescripta iuris religiosi Institutis Saecularibus etiam convenientia, per exceptionem, ad Constitutionis tenorem (ibidem, Art. II, § 1, 2°), accommodare et applicare, immo et criteria quaedam plus minusve generalia, experientia comprobata et rerum intimae naturae respondentia, prudenter ex illo iure requirere poterit.

9. In particulari: *a*) Etsi praescripta can. 500, § 3, stricte Instituta saecularia non respiciant, nec prout iacent eisdem applicare necesse sit, tamen ex eis solidum criterium et clara directio pro approbandis et ordinandis Institutis Saecularibus deduci consulto potest.

*b*) Etsi nihil impediat quominus, ad normam iuris (can. 492, § 1), Instituta Saecularia Ordinibus aliisque etiam Religionibus, ex speciali concessione, aggregari, et ab ipsis diversimode adiuvari et etiam aliquo modo moraliter dirigi valeant, tamen aliae strictioris dependentiae formae, quae Institutorum Saecularium regiminis autonomiae detrahere viderentur ipsamve tutelae plus minus strictae subiicere, etiamsi ab ipsis Institutis, mulierum speciatim, desiderentur et invocentur, non nisi difficulter, bono Institutorum attente considerato, atque spiritu et apostolatus cui incumbere debent natura ac ratione ponderatis, opportunisque adhibitis cautelis, concedi poterunt.

10. Instituta Saecularia, *a*) ex statu plenae perfectionis, quam profitentur, et ex totali apostolatui consecratione, quam imponunt, in hoc eodem genere perfectionis et apostolatus, ad maiora evidenter



vocantur, quam ea quae fidelibus, optimis etiam, in Associationibus mere laicalibus aut in Actione Catholica aliisque piis operibus laborantibus sufficere viderentur; *b*) ita tamen propria apostolatus exercitia et ministeria, quae peculiares fines ipsorum Institutorum constituant, suscipere debent, ut eorum Sodales — vitatis accurate confusionibus — praeclarum abnegatae, humilis, constantis collaborationis cum Hierarchia exemplum, aliis fidelibus qui eos vident et observant, pro viribus praebere possint, salva semper interna eorum disciplina (cfr. Motu proprio *Primo feliciter,* n. VI).

11. *a*) Ordinarius, dum obtenta venia Sanctae Sedis erectionem Instituti Saecularis peragit, quod prius ut Associatio vel de facto vel ut Pia Unio seu Sodalitium exsistebat, definire poterit an expediat, relate ad conditionem personarum figendam et ad requisita in Constitutionibus Instituti computanda, rationem habere illorum quae prius facta fuerunt, ex. gr. probationis, consecrationis, etc.

*b*) In primis decem annis Instituti Saecularis, ab ipsius erectione computandis, Episcopus loci a requisitis aetatis, temporis probationum, annorum consecrationis aliorumque similium, quae pro omnibus Institutis generatim vel pro aliquo praescripta sint, dispensare potest in ordine ad officia, munera, gradus aliosque iuridicos effectus.

*c*) Domus seu centra ante canonicam erectionem Instituti fundata, si ex venia utriusque Episcopi ad normam can. 495, § 1 fuerunt constituta, ipso facto erectionis partes fiunt Instituti.

*AAS* XL (1948), 293-297.

## SACRA CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

### 393

### De Laurea ante const. ap. « Deus scientiarum Dominus »

(Declaratio diei 23 maii 1948)

Cum, vi Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus,* d. 24 m. maii a. D. 1931,[a] ad academicum Licentiae gradum omnia exigantur quae ante eandem Constitutionem ad Lauream assequendam requirebantur, Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus, de speciali mandato Summi Pontificis, declarat atque

[a] N. 359.

http://www.obrascatolicas.com/

decernit *Licentiam*, dictae Constitutionis servatis normis obtentam, eosdem sortiri iuridicos effectus ac *Lauream* ante eandem Constitutionem adeptam, nisi aliter Sedes Apostolica in casibus particularibus decreverit, firmis potissimum praescriptis can. 1598, § 2 C. I. C. et art. 21, 2° memoratae Constitutionis.

*AAS* XL (1948), 260.

## SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

### 394

**Elenchus quaestionum, quibus a Religionibus et Societatibus iuris pontificii in relatione ad Sanctam Sedem quinto quoque anno transmittenda respondendum est ad normam decreti « Cum transactis ».** [a]

(Instructio *Circa relationis*, diei 9 decembris 1948)

### ANIMADVERTENDA

A) *Circa Relationis quinquennalis redactionem et transcriptionem.*

*a*) Singulis responsionibus, praemittatur indicatio numeri et litterae quibus in hoc elencho quaestio designatur.

*b*) Quoties documentum pontificium adducitur, fideliter et constanter data et Protocolli numerus referantur.

*c*) Responsum, prout casus ferat, enucleetur; nec simplici affirmatione aut negatione absolvatur.

*d*) A Religionibus et Societatibus clericalibus, Relatio lingua latina redigenda est; ab aliis vel latina vel una ex linguis modernis: anglica, gallica, germanica, hispanica et italica.

*e*) Adhibeatur scriptura dactilographica et clare expressa. Si Relatio, iusta de causa, manu exaretur, necesse est ut scriptura sit clara.

*f*) Charta qua utendum est non sit translucida nec nimis crassa, sed talis quae resistere possit temporis iniuriis.

*g*) Quaestionibus asterisco signatis tantummodo Religiones virorum respondeant; quaestionibus vero cruce signatis, tantummodo Religiones mulierum.

B) *Circa ea quae cum Relatione ad S. Congregationem transmittenda sunt.*

1. In prima Relatione post huius formulae editionem, transmittantur ea quae sequuntur:

*a*) Constitutionum seu Statutorum, Codici accommodatorum, duo exemplaria solide religata.

---

[a] N. 389. Cfr. etiam nn. 339, 340.



*b*) Duo exemplaria privilegiorum vigentium, typis excusa vel, si typis excusa non sint, dactilographice expressa, ex quibus unum saltem religatum.

*c*) Duo exemplaria librorum, in quibus iura particularia, usus et consuetudines continentur.

*d*) Duo exemplaria librorum liturgicorum et precum.

*e*) Duo exemplaria Statutorum pro domibus institutionis religiosae et clericalis necnon Rationum pietatis, educationis atque studiorum.

*f*) Peculiaria Statuta pro aggregatis tertiariis, donatis vel aliis id genus personis.

*g*) Formularia quae in usu sunt sive pro nominatione ad munera, sive pro relationibus et visitationibus perficiendis, et alia formularia si quae habentur.

*h*) Relatio historico-iuridica Religionis, Societatis vel Instituti in qua indicentur: fundator, annus fundationis et approbationis temporaneae et definitivae Religionis et Constitutionum, necnon in compendio accurate perstricti praecipui eventus historiae Religionis vel Societatis. Haec omnia decenter ac solide religata mittenda sunt.

*i*) Si Religio ad normam iuris (c. 596) proprium habitum professorum et novitiorum habeat, mittatur eius imago photographica vel quomodolibet fideliter expressa, duplici exemplari; duae quoque mittantur eiusdem magnitudinis imagines habitus, coloribus expressae.

*l*) Quoad fieri potest, mittantur praecipua opera, etiam vetustioris aetatis, quae spiritum, regimen, historiam, ministeria Religionis aut Societatis illustrant; atque Collectiones Actorum Sanctae Sedis Religionem vel Societatem afficientium.

2. Statim ac prodeunt, vel saltem cum Relatione in fine quinquennii, ad Sacram Congregationem Moderator Supremus transmittat:

*a*) Commentaria officialia Religionis seu Societatis.

*b*) Acta Capitulorum generalium.

*c*) Superioris generalis instructiones, ordinationes, aliaque graviora documenta.

3. Religiones, Societates, Instituta quae in posterum decretum laudis consequuntur, quae recensita sunt, saltem occasione primae Relationis quinquennalis ad S. Congregationem fideliter transmittere debent.

In prima pagina relationis, ponatur:

*Titulus Religionis vel Societatis:...*
(titulus officialis lingua latina, et titulus communis)

*Sygla* ...

*Sedes domus generalitiae:...*
(directio completa: postalis, telephonica, telegraphica)

*Anni ad quos relatio extenditur:...*

http://www.obrascatolicas.com/

## ELENCHUS QUAESTIONUM

*De Relatione praecedenti*

1. *a*) Quando ultima Relatio ad S. Sedem transmissa est.
*b*) An et quando responsum S. Congregationis receptum sit.
*c*) An ad praxim deductae fideliter sint animadversiones a S. Congregatione forsan ad Relationem factae.

2. An notitiae quas Relatio continet, in conscientia haberi possint securae et completae, vel circa ipsas aliquid videatur excipiendum.

## CAPUT I

## DE RELIGIONE EIUSQUE REGIMINE

### ARTICULUS I

### De Religione generatim et de ipsius partibus

#### § 1. – DE RELIGIONE GENERATIM

3. Quaenam sit natura iuridica Religionis seu Societatis (c. 491 § 1).

*De fine speciali*

4. Quinam sit specialis finis Religionis.
5. An finis specialis auctoritative durante quinquennio mutatus sit, et qua auctoritate.
6. An hic finis practice fideliter retineatur, aut ex parte derelinquatur; vel opera assumantur quae ad ipsum non pertinent.
7. Quaenam sint opera praecipua quibus finis specialis exercetur.

*De Secundis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis mulierum Religioni vel Societati subiectis*

8*.[1] An Religio habeat Ordinem mulierum (Secundus Ordo) ex iure vel ex privilegio subiectum.
9*. Quot et quaenam ex eiusdem Secundi Ordinis Monasteria Religioni subiiciantur; quot et quaenam Ordinariis locorum.
10*. An et quas Religio vel Societas habeat sibi subditas vel specialiter commendatas Congregationes vel Societates mulierum, et quibus apostolicis indultis haec subiectio vel directio fundetur (c. 500 § 3).
11*. An et quot Congregationes religiosas tertiariorum votorum simplicium Religio habeat sibi aggregatas.

[1] Quaestiones asterisco * signatae, tantummodo Religiones virorum afficiunt.



12*. Quot sodalitates Tertiariorum saecularium ab Ordine dependeant, et quot sodales tertiarii saeculares numerentur.
13*. An et quas Associationes fidelium sibi proprias Religio habeat (c. 686 § 3) et quibus indultis id fundetur.

#### § 2. – DE RELIGIONIS INTERNA ORDINATIONE ET PARTITIONE

*De Assistentiis et Congregationibus, etc.*

14. *a*) An et quo criterio (geographico, ethnologico, historico, etc.) Provinciae componantur in Partes seu Assistentias, ex quibus Definitores generales, seu Consultores, Socii, etc. eligantur.
*b*) An questus seu recursus facti sint contra aequitatem distributionis.

15. An in Religione adsit aliqua interna recognita membrorum divisio in Familias seu Congregationes diversas.

*De Provinciis, Vice-Provinciis aliisque aequiparatis Institutis*

16. An Religio in Provincias legitime sit divisa (c. 494 § 1); in casu negativo, an videatur dividenda.
17. An aliqua nova Provincia post ultimam Relationem fundata sit, vel tunc existentes Provinciae suppressae vel modificatae sint.
18 A quo et quomodo facta sit divisio et attributio bonorum in casu divisionis, novae erectionis vel suppressionis Provinciarum (c. 494 § 2).
19. An in Religione aliae sint formae unionum domorum: Viceprovinciae, Commissariatus, Delegationes regionales, etc.

*De domibus*

20. Quaenam domus, perdurante quinquennio, externe vel interne modificatae sint (c. 497 §§ 1 et 4).
21. An in erigendis vel supprimendis domibus praescripta iuris (cc. 497, 498) et prudentiae normae observatae sint, inter quas contractus scriptus, clarus, completus, ad normam iuris canonici et Constitutionum, lege civili prae oculis habita, redactus.
22. An domus omnes habeant quae ad vitam communem necessaria sunt, in specie:
*a*) Cellas pro singulis separatas; vel, si dormitoria communia sint, saltem lectum ab aliis convenienter seiunctum.
*b*) Locum separatum et plene aptum ad infirmorum curam et adsistentiam.
23. An cellae ad hospites recipiendos a parte domus communitati reservata, sufficienter separatae sint.

http://www.obrascatolicas.com/

## Articulus II

## De Religionis regimine iuridico

### *De regimine generali*

24. *a*) An Consilium generale impraesentiarum sit plenum.
*b*) An omnes Consiliarii generales in Curia resideant.
*c*) Si qui foris sint, quare et ubi degant (locus, Provincia, Dioecesis).

25. Quaenam alia generalia officia habeantur (Procurator [can. 517 § 1]; Oeconomus, Secretarius, Praefectus studiorum etc.).

### *De Capitulo generali – De convocatione et celebratione*

26. An in periodo ad quam Relatio extenditur, Capitulum Generale celebratum sit.

27. An observatae fideliter sint normae iuris communis ac particularis (Constitutionum etc .) quae Capitulum Generale respiciunt, i. e.:
*a*) Tempus celebrationis, loci designationem, litteras convocationis.
*b*) Electiones deputatorum ad Capitulum, Scrutatorum et Secretarii Capituli.
*c*) Electiones Superioris Generalis, Consultorum seu Assistentium et Officialium Generalium qui a Capitulo eliguntur (ex. gr. Procuratoris, Secretarii, Oeconomi Generalis).

28. An in omnibus, etiam in informationibus exquirendis, cautum sit a directa vel indirecta suffragiorum procuratione tam pro seipsis quam pro aliis (c. 507 § 2).

29. Quinam Capitulo praesederit:
*a*) In electione Superioris Generalis.
*b*) In aliis electionibus et in tractatione negotiorum.

30. An singulae Provinciae aliaeque aequiparatae divisiones, propriam relationem Capitulo exhibuerint.

31. A praefatae relationes Provinciarum, fideliter verum statum retulerint ita ut sint authentica documenta, quibus relationes generales niti secure potuerint.

32. An Capitulo Generali exhibitae sint tempestive, ut convenienter a singulis Capitularibus et a Commissione in Capitulo electa, si ita praescriptum sit, examinari possent:
*a*) Relatio circa statum personarum, disciplinae, ministeriorum ab ultimo Capitulo Generali, a Superiore vel Vicario Generali conscripta et a Consilio Generali approbata.
*b*) Relatio circa verum et completum statum oeconomicum Religionis ab Oeconomo Generali parata et a Superiore Generali cum suo Consilio approbata.



33. An iudicium circa ipsas in Capitulo lectum sit, serio perpensum ac discussum ante electiones generales.

34. An Sacrae Congregationi transmissa sint acta Capituli generalis, quod perdurante quinquennio celebratum sit.

### *De promulgatione et executione*

35. Quando et quomodo Superior Generalis Capituli decreta et decisiones communicanda, promulgaverit.

36. An in promulgatione aliquod ex praescriptis omissum sit vel non fideliter relatum, et qua de causa, qua auctoritate.

37. Quid factum sit a Superiore Generali cum suo Consilio, et ab aliis Superioribus et Consiliis, ut Capituli Generalis praescripta fideliter in praxim deducerentur.

### *De nominationibus ad munera*

38. An normae iuris communis et Constitutionum observatae sint:
*a*) Circa requisita et qualitates Superiorum ac Officialium (c. 504, 516).
*b*) Circa formam nominationis (cc. 506-507).
*c*) Circa munerum durationem (c. 505).

39. Quot et quaenam concessae sint dispensationes a S. Sede vel a Superioribus maioribus super praescriptis a iure communi vel particulari:
*a*) Pro nominationibus ad munera vel officia.
*b*) Pro eorundem renovatione.
*c*) An fideliter observatae sint conditiones concessionibus appositae.

40. An Superiores Religionum clericalium rite satisfecerint, ad normam c. 1406 § 1, 9 et § 2, obligationi fidei professionem emittendi coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato.

### *De Officiis Superiorum: De residentia – De notitia et exsecutione praescriptorum S. Sedis – De visitatione canonica – De libero commercio epistolari.*

41. An Superior Generalis, Consiliarii Generales, Procurator aliique Superiores, ad normam iuris communis (c. 508, 517) et Constitutionum, legi residentiae satisfecerint.

42. Quomodo Superiores provideant ut decreta S. Sedis, quae religiosos respiciunt, a propriis subditis cognoscantur et observentur (c. 509 § 1).

43. An prorsus liberum subditis relinquatur, quin ulli Superiorum inspectioni subiiciatur, litterarum commercium cum iis qui ad normam iuris communis (c. 611) et particularis hoc iure fruuntur.

44. An casus extiterint commercii epistularis secreti et clandestini sive inter religiosos, sive inter eos et personas saeculares, et quid ad hos abusus coërcendos factum sit.



http://www.obrascatolicas.com/

45. *a*) An Superior Generalis, aliique Superiores Maiores, visitationes praescriptas tempore debito, per se ipsos, in Provinciis, Missionibus et domibus perfecerint.

*b*) An dicti Superiores visitationes perfecerint per delegatos.

46. An visitationes ad normam iuris communis (cc. 513, 2413) et particularis peractae, fuerint completae, ita ut comprehenderint:

*a*) Personas omnes quoad disciplinam, perfectionem religiosam, vitam sacerdotalem, institutionem religiosam et clericalem, atque ministeria et opera Religionis.

*b*) Res et bona, eorumque conservationem et administrationem.

*c*) Loca, praesertim sacra, cultum divinum, pias fundationes, etc.

47. An quandoque Visitatores delegati extraordinarii, rite designati, missi sint, quibus de causis, et quo fructu.

48. Quid factum sit ut decreta visitationis executioni mandarentur.

*De Consiliis*

49. An temporibus et in casibus praescriptis Consilia celebrent:

*a*) Superior Generalis.

*b*) Superiores Maiores.

*c*) Superiores locales.

50. *a*) An semper omnium Consiliariorum votum exquisitum sit.

*b*) An et quomodo Consiliarii absentes votum ferant.

*c*) An quidam Consiliarii neglecti sint, et qua de causa.

51. Quoties Superior Generalis et Superiores maiores per annum in quinquennio Consilium convocarunt.

52. An negotia in quibus, ad normam iuris communis et particularis Consilarii votum habent deliberativum vel consultivum, Consiliis fideliter subiiciantur.

53. An in Consiliis debita libertas omnibus et singulis Consiliariis agnoscatur et in decisionibus, nominationibus et suffragationibus quibuslibet, normae iuris communis (cc. 101, 105 1°, 2°, 3°) et particularis observatae semper sint.

54. An rite sessionum acta conficiantur et subsignentur.

55. An Archiva Religionis, Provinciarum et singularum domorum apte sint instructa et diligenter ordinata.[a]

56. An omnia munera Officialium generalium, provincialium et localium actu plena sint et an aliquod vacet.

*De correctionibus et abusu potestatis*

57. An superiores vigilantiae et correctionis officium sive privatim sive publice et quibus mediis seu qua ratione exerceant.

[a] De archivis cfr. supra, pag. 355, nota [a].



58. An abusus nati sint, vel etiam radicati sint, quin corrigerentur et efficacia remedia ad ipsos impediendos et extirpandos adhiberentur.

59. Quoties et quibus de causis, monitiones et poenae canonicae impositae sint.

60. An in his remediis adhibendis sacri canones et propriae constitutiones servatae sint.

61. An ex parte Superiorum abusus potestatis adfuerint, vel saltem recursus seu querelae hac de re ex parte subditorum receptae sint.

62. An a Superioribus graves canonum vel Constitutionum infractiones admissae sint, sive circa communia religiosa officia, sive circa proprium munus.

63. An in his casibus poenae sive communes sive speciales, a iure communi (ex. gr. cc. 2389, 2411, 2413 etc.) vel a Constitutionibus sancitae, applicatae sint.

*De potestatis exercitio*

64. Quae media adhibeantur ut Superior generalis eiusque Curia continuo, complete et sincere circa statum Religionis informentur.

65. An et quoties relationes periodicae Superioribus Maioribus sint faciendae.

66. An exigatur fidelis eorum quae hac de re praescripta sunt observantia.

67. An sint in Religione stabiliter constituta aliqua media, ut interna vincula, quibus membra uniuntur, v. g. relationes circa ministeria, ephemerides domorum, Provinciarum et totius Religionis.

68. An et quaenam alia media, prout necessitas postulet, adhibeantur ut inter Religionis Provincias et domos unio foveatur.

69. An pro qualibet quoque domo praecipui eventus diligenter in libro chronicorum consignentur.

*De relationibus cum Ordinariis locorum*

70. *a*) An praescripta Codicis circa subiectionem religiosorum Ordinariis loci fideliter observentur.

*b**) An bonae et amicabiles relationes cum Ordinariis foveantur, et, absque discrimine religiosae disciplinae, ministeriis sacerdotalibus in favorem dioeceseos opera detur.

*c*) An et quaenam in aliqua Provincia vel domo, lites, querelae, difficultates cum Ordinariis locorum habeantur.

71. Quaenam remedia ad concordiam restaurandam adhibita sint vel adhiberi possint.

http://www.obrascatolicas.com/

### Articulus III
### De Religionis regimine spirituali

*De Confessariis*

72*. An singulis domibus plures sint confessarii, ad normam c. 518 § 1, deputati.

73*. An religiosi, firmis Constitutionibus quae confessiones statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendas, libere, salva tamen disciplina religiosa, adire valeant, ad normam c. 519, confessarium ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum.

74†.[1] An fideliter normae iuris communis et Constitutionum observentur circa nominationem et renovationem confessarii ordinarii, extraordinarii, specialis et supplementaris (cc. 520 §§ 1-2, 521, 524, 526, 527).

75†. An Superiorissae fideliter observaverint quae pro ipsis praescripta sunt circa confessarios supplementares (c. 521 § 3), occasionales (c. 522) et in casu gravis morbi (c. 523).

76. An Superiores consulant et prudenter vigilent ut omnes religiosi, ad normam iuris (c. 595 § 1, 3°) et Constitutionum (c. 519), ad poenitentiae sacramentum semel saltem in hebdomada accedant.

77. An et quinam ex parte Superiorum abusus admissi sint qui subditorum limitent conscientiae libertatem (c. 518 § 3, 519, 520 § 2, 521 § 3, 522, 2414).

78. An Superiores maiores et Visitatores hos abusus correxerint.

79. An, praetextu libertatis conscientiae, ex parte subditorum disciplina religiosa detrimentum capiat, vel alii abusus orti sint; an abusus, salva libertate, a Superioribus et Visitatoribus correcti fuerint.

*De directione spirituali*

80*. Quomodo Superiores consulant Directorum spiritualium solidae institutioni.

81*. Utrum cura adhibeatur ut in Novitiatibus (c. 566 § 2) et etiam Collegiis omnibus, praescripti Confessarii et Directores spirituales habeantur et seligantur; et, si agatur de Religione clericali, ibidem commorentur (c. 566 § 2, 2°).

82. Utrum Superiores liberam, ad normam iuris (c. 530 §§ 1, 2), conscientiae manifestationem proprie dictam sibi faciendam, relinquant.

83. Quibus modis Superiores directionem spiritualem fovere nitantur.

[1] Quaestiones cruce † signatae, tantummodo Religiones mulierum afficiunt.



*De receptione Ssmae Eucharistiae*

84. Utrum Superiores suos inter subditos, ad normam c. 595 §§ 2-3, frequentem, etiam quotidianam, receptionem Ssmi Corporis Christi promoveant, salva semper, ad normam iuris (c. 595 § 4) et Instructionum S. Sedis, plena conscientiae libertate.

85. Ad Superiores diligenter provideant ut ad manus facile habeantur ante communionem confessarii, et tempus conveniens praeparationi et gratiarum actioni religiosis subditis relinquant.

*De instructionibus spiritualibus et catecheticis*

86. An Superiores curent ut, ad normam Constitutionum et iuris communis, habeantur instructiones spirituales et catecheticae pro tota familia (c. 509 § 2, 2°), pro novitiis (c. 565 § 2), pro scholasticis (c. 588 § 1), pro conversis, pro domesticis et familiaribus (c. 509 § 2, 2°).

### Articulus IV
### De Religionis regimine oeconomico

§ 1. – De bonorum acquisitione et amissione

*De bonorum acquisitione et inscriptione*

87. *a*) An et quaenam, Religio, Provinciae et Domus, acquisierint bona immobilia, mobilia pretiosa, et cuius valoris.

*b*) An haec bona donatione aliove titulo gratioso acquisita sint vel titulo oneroso, et in hoc casu an pecuniis propriis vel mutuo acceptis.

88. An Religio, Provincia et quaelibet domus habeat inventarium bonorum mobilium, praesertim pretiosorum (arte, historia, materia) (c. 1522, 2°) et immobilium.

89. Quando inventaria renovari debeant et an de facto renoventur.

90. Quando opera non propria, uti collegia, hospitalia, ecclesiae, etc., religiosis domibus concredita sunt, an clare distincta sint bona quae domui religiosae propria sunt.

91. Qua ratione vel cuius nomine coram lege civili bona religiosa inscripta sint, et an inscriptio, ad normam legum civilium, secura reputari possit.

92. Quaenam formae inscriptionis ut securiores in diversis regionibus adhibitae sint.

93. Si societates ad hunc finem constitutae sunt, an ad normam legum civilium omnia ordinata sint, et diligenter ordinata actu habeantur.

94. Circa praefatas Societates:

*a*) An omnes quibus bonorum administratio seu gestio committi-

http://www.obrascatolicas.com/

tur, debita diligentia omnibusque praeviis necessariis vel utilibus informationibus designati sint.

*b*) An ad munera administrationis, quando absque damno possibile ac prudens fuit, sodales propriae Religionis extraneis praelati sint.

*c*) Quibus cautelis, periculis ex abusibus administratorum imminentibus, provisum sit.

*d*) An continua vigilantia, ad normam iuris, per rationum revisiones et ordinarias aliasque extraordinarias et opportunas arcarum et rerum inspectiones, ex conscientiae officio, exerceatur.

*De expensis*

95. An expensae extraordinariae solutae sint acceptis propriis ordinariis vel extraordinariis, an e contra pecunia mutuo recepta.

*De tributis*

96. An singulae domus et alia instituta Provinciis subiecta, Provinciarum expensis contribuerint.

97. An Provinciae et instituta aequiparata ac domus immediate subiectae, communibus Religionis necessitatibus contribuerint.

98. Qua auctoritate (Capituli, Consilii, Superioris Generalis vel Provincialis), quibus criteriis et qua proportione definiantur contributiones generales et provinciales.

99. An illa tributa libenter soluta fuerint, vel plus minusve coacte.

100. An Provinciis et domibus relinquantur quae prudenter praevidentur necessaria seu valde opportuna ad ipsarum vitam et propagationem, attento animarum et Religionis bono.

*De bonorum alienatione et diminutione*

101. Quaenam bona patrimonialia, immobilia vel stabilia vel pretiosa, et qua auctoritate, alienata sint.

102. An in alienandis bonis praescripta iuris (cc. 534, 1531), praesertim peritorum praevia astimatio, et normae Constitutionum, observata sint.

103. An Religio, Provinciae et domus, bona stabilia seu fundata et summas capitales consumpserint; quibus de causis et qua auctoritate.

104. An Superiores et Oeconomi generales, provinciales, locales ad illa bona recuperanda serio dent operam.

105. Quaenam bona Religionis, Provinciarum et domorum damna passa sint et quibusnam de causis.

*De debitis et obligationibus*

106. *a*) Quaenam et a quibusnam debita contracta sint.

*b*) Quaenam debita actu permaneant.



107. An in debitis et obligationibus contrahendis observata fideliter sint: *a*) Praescripta c. 534.

*b*) Cautelae c. 536 § 5.

*c*) Normae Constitutionum circa licentias, consensum Consilii, etc.

108. An debitorum et obligationum usurae fideliter solutae sint et sedula cura adhibeatur ad gradualem debiti solutionem seu summae capitalis amortizationem (c. 536 § 5).

§ 2. – De bonorum conservatione et administratione

109. An administratio geratur non arbitrio, sed ad normam iuris communis et Constitutionum, sub directione et vigilantia Superiorum eorumque Consiliorum (c. 516 § 2, 532 § 1).

110. An adsint oeconomi designati (c. 516 §§ 2, 3, 4) ad normam iuris communis et Constitutionum:

*a*) Pro integra Religione.

*b*) Pro singulis Provinciis, aliisve similibus Institutis.

*c*) Pro singulis domibus et operibus.

111. An in aliquibus casibus Superior sit simul Oeconomus (c. 516 § 3).

112. An et quomodo Consilia, etiam si Superiores munere Oeconomi funguntur, in administrationem interveniant et vigilantiam exerceant (c. 516 § 1).

*De rationum redditione*

113. Quoties per annum, et quibus Superioribus et Consiliis, Oeconomi aliique Administratores rationem reddere debeant propriae administrationis.

114. An durante quinquennio ab omnibus et singulis Oeconomis et Administratoribus, clara et completa rationum redditio exacta sit.

115. An simul cum rationibus, documenta, quibus expensae et accepta comprobantur, exhibita sint.

116. An regulariter facta sit inspectio et comprobatio capsae.

117. An et quaenam sanctiones in casu necessitatis imponantur.

118. An Superiores, Oeconomi seu Administratores aliive quilibet religiosi, pecuniam seu bona habeant quibus, etsi ad bonum Religionis, Provinciae vel domus, libere utantur quin regularem rationem reddant.

*De pecuniae collocatione et mutatione collocationis*

119. An Superiores, Consilia et Administratores pecuniam, ad normam iuris et iuxta benefactorum voluntatem collocandam, praescriptis iuris et Constitutionum observatis, licite, tuto ac fructuose collocaverint (c. 533).

120. An Superiores, Oeconomi et Administratores pecuniam liberam, expensis ordinariis non necessariam, manuali collocationi commiserint, ne ipsa infructuosa remaneat sed honestum foenus producat.

http://www.obrascatolicas.com/

*De conservatione bonorum*

121. An pecunia, tituli, syngraphae, res pretiosae, servatis adamussim normis communibus et praescriptis Constitutionum, diligenter, conserventur.

122. An et quibus conditionibus:

*a*) Ab extraneis deposita pecuniae rerumque pretiosarum recepta sint.

*b*) Vel e contra a Superioribus, Oeconomis, Administratoribus vel a privatis religiosis, haec deposita apud extraneos facta sint.

123. An, pro conscientiae officio, Superiores, Oeconomi, Administratores satagant, ut res omnes Religionis, Provinciae et domus sancte conserventur et provide administrentur (c. 532 § 1).

*De fundationibus, causis piis, etc.*

124. Quaenam legata et fundationes piae acceptatae sint.

125. An in acceptatione fundationum piarum et legatorum praescripta iuris (c. 1544, ss.) et Constitutionum observata sint.

126. An pecunia fundationum et causarum piarum, ad normam iuris et obtento Ordinarii loci consensu si casus ferat, collocata sit (c. 533, §§ 1, 2, 1547) et separatim ac fideliter administrata (c. 535 § 3, 2°, 1546, 1549).

127. An onera fundationum fideliter, pro conscientiae officio, adimpleta sint (cc. 1514, 1549 § 2).

128. An Visitatores documenta adimpletionis et rationem administrationis bonorum exegerint.

*De negotiatione et mercatura, etc.*

129. An Religiosi quilibet, Superiores aut subditi, per se vel per alios, negotiationem illicitam, seu non permissam, exercuerint contra praescriptum cc. 142, 592.

130. An in casibus in quibus ob iustas causas venia S. Sedis obtenta sit ad negotiationem (indicetur data et numerus Protocolli), in ipsa exercenda quaelibet species, nedum fraudis, sed et avaritiae diligenter vitata sit.

131. Quomodo cautum sit ut religiosi negotiationibus addicti, spirituale damnum non patiantur.

132. Utrum Superiores et Consilia attente vigilaverint, ut ad normam c. 1539 § 2, in commutandis titulis ad latorem quodlibet commercium vel negotiationis species vitetur.



*De actibus seu negotiis quae oeconomicam respondendi obligationem secumferunt*

133. Quomodo Superiores, sibi subditorum actibus negotiisque ex quibus oeconomica respondendi obligatio pro Religione, Provincia, aut domo (c. 536 § 2), vel pro ipso religioso (c. 536 § 3), ad normam iuris oriri potest, vigilaverint.

134. An Superiores, prout adiuncta postulaverint, clare et efficaciter, causam Religionis, Provinciae, domus in actibus et negotiis a Religiosis positis, non servatis normis iuris communis vel particularis, tempestive separaverint.

135. An Superiores vigilent ut in omnibus negotiis quae ad res oeconomicas pertinent, vel in illis generatim quae litibus in foro canonico aut civili occasionem dare possunt, omnia accurate ad normam legum fiant, praeviis scriptis contractibus, exactis syngraphis plene validis, etc. (c. 1529).

136. An lites motae sint vel damna obvenerint ob non servatas praescriptas formalitates legum civilium iuxta n. 135.

137. An Superiores et Oeconomi diligenter curaverint ut externis operariis et omnibus qui pro Religione, Provincia vel domo laborant iusta et aequa ad normam iuris (c. 1524) merces tempestive rependatur et legum praescripta sive circa contractum laboris sive circa alia fideliter observentur.

138. Quomodo consulitur bono spirituali eorum qui in domo laborant, praesertim si in domo habitant.

## CAPUT II

## DE RELIGIOSIS ET DE VITA AC DISCIPLINA RELIGIOSA

*De diversitate classium – De votis uniuscuiusque classis*

139. An et quaenam in Religione sint diversae sodalium classes; an inter ipsas concordia servetur et fraterna caritas vigeat.

140. An praeter sodales qui Religioni seu Societati per professionem religiosam vel legitimam incorporationem ut membra adscribuntur, alii adsint ut addicti vel donati vel alii id genus, quin membra ipsius efficiantur.

141. An horum vitae spirituali et securitati etiam materiali sit aeque et caritative provisum.

142. An adsint pro his statuta legitime approbata.

http://www.obrascatolicas.com/

## Articulus I

## De admissione, formatione et professione seu incorporatione Sodalium

*De postulatu lato sensu sumpto (Scholae Apostolicae)*

143. An adsint in Religione adspirantatus seu postulatus latiori sensu accepti: scholae apostolicae, etc.

144. Per quod tempus in ipsis institutio et educatio perduret.

145. An in scholis apostolicis et similibus domibus et in collegiis, alumni tenuioris aetatis a ceteris provectioris aetatis habitualiter separati habeantur.

*De postulatu canonico seu stricto sensu*

146. An postulatus rite ordinati in domibus novitiatus (c. 540 § 1), vel in domibus ubi perfecta observantia religiosa viget, ad normam iuris habeantur (c. 540).

147. An tempus postulatus, a iure communi (c. 539) vel a Constitutionibus impositum, breviatum vel prorogatum sit, per quot tempus, et qua auctoritate.

*De adspirantium admissione*

148. Quae adhibeantur media ad vocationes excitandas et adtrahendas.

149. An etiam nuntia adhibeantur in publicis foliis et ephemeridibus inserta. In casu affirmativo, in quibus foliis et ephemeridibus factae sint.

150. Quaenam causae censeantur influxum exercere, habita ratione diversarum regionum, in vocationibus augendis vel in eisdem diminuendis.

151. Quaenam frequentiora obstacula ab adspirantibus superari debeant ut possint vocationi respondere.

*De documentis, testimonialibus et informationibus*

152. An pro singulis adspirantibus documenta a iure communi (c. 544) et a Constitutionibus praescripta, ante admissionem requisita sint.

153. An requisitae et habitae sint, saltem ante ingressum in novitiatum, litterae testimoniales:

*a**) Communes, ab Ordinariis locorum dandae et pro omnibus praescriptae (c. 544 § 2).

*b*) Speciales, pro illis qui in Seminario, collegiove ecclesiastico aequiparato, vel postulatu vel novitiatu Religionis fuerunt, a Rectore vel Superiore maiore sub iuramento dandae (§ 3).

*c*) Pariter quae pro clericis et religiosis professis imponuntur (§§ 4, 5).



154. An praeter documenta et testimonia a iure vel a Constitutionibus praescripta, aliae informationes quae scitu necessaria vel utilia videbantur ad certum iudicium de vocatione et aptitudine adspirantium proferendum, diligenter requisitae sint (c. 544 § 6).

*De impedimentis et admissione*

155. An et a quibus impedimentis seu defectibus iuris communis vel particularis dispensatio concessa sit, quoties et qua auctoritate.

156. An admissiones a competentibus Superioribus, servatis iuris normis (c. 543), semper peractae sint.

*De novitiatu – De domo novitiatus*

157. An singulae domus novitiatus erectae vel translatae sint, obtenta prius S. Sedis licentia (c. 554 §§ 1, 2).

158. An in domibus novitiatus perfecta floreat observantia religiosa.

159. An Superiores in ipsis collocaverint vel toleraverint religiosos qui non sunt ad exemplum religiosae observantiae studio (c. 554 § 3).

*De initio novitiatus*

160. An omnes praescriptos spiritualium exercitiorum dies ante ingressum novitiatum, perfecerint (c. 541).

161. An ritus et normae pro admissione ad novitiatum praescriptae, fideliter observatae sint (c. 553).

*De pensione et expensis pro postulatu et novitiatu*

162. An in Constitutionibus concedatur, vel expressa pactione Religioni agnosci soleat facultas exigendi expensas pro habitu religioso et pro alimentis tempore postulatus et novitiatus.

163. A quibus summa solvenda definiatur.

164. An professio gravi abusu retardata sit ratione non solutarum expensarum postulatus vel novitiatus.

*De disciplina novitiatus*

165. An omnes et singuli novitii ab initio novitiatus integrum Constitutionum exemplar habuerint.

166. An novitii, ad normam iuris et Constitutionum, a professis separati sint et an indebita inter ipsos communicatio toleretur (c. 564 §§ 1, 2).

167. An novitii omnes et singuli canonicum annum novitiatus, integrum et continuum, prima die non computata, in domo novitiatus legitime erecta, sub cura et directione Magistri, ante professionem peregerint (cc. 555 § 1; 556, 557).

http://www.obrascatolicas.com/

168. An et pro quonam tempore et qua auctoritate novitiatus prorogatus vel breviatus sit ultra terminos in iure et Constitutionibus praefixos (c. 571, § 2).

*De regimine novitiatus*

169. An in singulis novitiatibus adfuerit semper Magister novitiorum debite nominatus seu electus (c. 560).

170. An ipse Magister novitiorum eiusdemque Socius, omnibus praediti sint qualitatibus a iure communi (c. 559 §§ 1, 2) et Constitutionibus requisitis, vel dispensationes peti debuerint et obtentae sint.

171. An Magister et Socius ab omnibus officiis et ministeriis, intra et extra domum, vacent quae novitiorum curam et regimen impediant (c. 559 § 3).

172. An, ad normam iuris (c. 561) et Constitutionum, Magistri novitiorum plene, sub vigilantia et directione Superiorum et Visitatorum, competenti auctoritate fruantur et utantur ad novitiorum regimen et formationem.

173. An Magistri omnes proprio muneri satisfaciant (c. 562) et in ipsa domo novitiatus continuo commorentur.

174. An Magister novitiorum ipsiusque Socius a sacramentalibus confessionibus audiendis se abstineant, nisi alumni sponte id petant, ad normam c. 891.

*De novitiorum spirituali institutione*

175. An novitii sub disciplina Magistri, primo seu canonico novitiatus anno, ad normam iuris (c. 565 §§ 1, 2) unice exercitiis pietatis aliisque novitiorum propriis occupati sint; vel e contra an destinati sint confessionibus, concionibus, externis muniis seu ministeriis; aut vacaverint, dedita opera, studio litterarum, scientiarum seu artium (c. 565 § 3), nisi moderata mensura quae a S. Congregatione probata est.

176. An secundo novitiatus anno, vel tempore quod annum canonicum excedit, normae observatae sint in Instructione S. C. de Religiosis (2 nov. 1921)[a] praescriptae:

*a*) Quoad modum exercendi ministeria externa Religionis (nn. I, II).

*b*) Quoad conditiones sub quibus tantum, extra novitiatus domum, novitii mitti possunt (III).

*c*) Quoad praeparationem bimestralem ad professionem (IV).

*De documentis ante professionem redigendis*

177. An, ad normam c. 569 § 1, ante primam professionem votorum simplicium novitii omnes libere cessionem administrationis et cessionem vel dispositionem usus et usufructus bonorum compleverint.

[a] N. 338.



178. Si praedicta cessio ac dispositio ante professionem perfecta rite non sit, vel nova bona obvenerint, an facta vel completa sint post professionem (c. 569 § 2).

179. An mutationes cessionis ac dispositionis praedictae post professionem, semper ad normam c. 580 § 3 factae sint.

180. *a*) An novitii Congregationis ante primam votorum temporaneorum professionem debita forma, iure civili valida, testamentum de bonis praesentibus vel futuris libere condiderint (c. 569 § 3).

*b*) An illud postea civiliter validum reddiderint (c. 569 § 3).

181. An praefati testamenti mutationes, ad normam c. 583 n. 2, post professionem completae sint.

182. An praefata documenta *a*), *b*) fideliter in Archivis conserventur.

*De admissione ad professionem et ipsius emissione*

183. An Superior et Consilium Generale, super admissionibus severe, diligenter et constanter advigilent; an hac de re speciales normas dederint.

184. An in aliqua Provincia nimia videatur adesse facilitas ad admissiones; et an normae praescriptae ac sana criteria fideliter observata sint.

185. An prima professio, praemissis exercitiis spiritualibus per octo solidos dies, in ipsa novitiatus domo (c. 574 § 1) ad normam iuris et Constitutionum valide et licite emissa semper sit (cc. 572, 573, 575).

186. An ritus praescriptus in emittenda professione observatus sit, et documentum ipsius rite confectum (c. 576).

*De examine canonico*

187†. An duobus mensibus ante admissionem ad novitiatum, ad primam professionem temporaneam, ad professionem perpetuam Superiorissae maiores, vel aliae, ipsarum nomine, Ordinarium loci tempestive monuerint (c. 552 § 1) ut ipse vel ipsius Delegatus examen canonicum, gratuito, perficeret circa postulantis vel candidatae liberam et consciam voluntatem (c. 552 § 2).

188†. An examen praescriptum semper peractum sit.

*De dote – De dotis obligatione et traditione*

189†. An dos in Congregatione, vi Constitutionum, obligatoria sit; vel, e contra, plene vel aliquo modo libera relinquatur (c. 547 § 3).

190†. An traditio dotis ad normam iuris (c. 547 § 2) et Constitutionum facta sit.

*De dotis collocatione, conservatione, administratione, restitutione*

191†. An dotes ex voto deliberativo Consilii et consensu Ordinarii loci in quo dotum sors conservatur, statim post primam professionem a Superiorissa Maiore collocatae sint (c. 549).

http://www.obrascatolicas.com/

192†. An dotes ante obitum Religiosarum impensae sint vel aliquo modo obligatae, et qua auctoritate id factum sit. An dotes impensae vel obligatae, etiam ex legitima obtenta facultate, repositae seu liberatae sint, et in quo statu nunc inveniantur (c. 549).

193†. Ubi et qua ratione dotes administrentur. An in ipsarum administratione regulae iuris fideliter impleantur (cc. 550, 535 § 2).

194†. An omnia bona titulo dotis allata, etiam ultra summam in Constitutionibus definitam vel, licet in Congregatione non adsit obligatio dotem afferendi, servatis dotis normis accipiantur, collocentur, administrentur etc.

195†. An in casu discessus religiosae professae, quavis de causa eveniat, et in casu transitus, dos, et pariter supellex quam novitia Religioni attulit, eo statu quo tempore egressus inveniebatur, religiosae discedenti aut transeunti restituta sit sine fructibus iam maturis (c. 551, 570 § 2).

196†. An id fiat quoque pro bonis libere collatis ad dotem augendam, etiam ultra summam in Constitutionibus definitam.

197†. An religiosae professae discedenti quae sine dote vel cum dote insufficienti recepta est, in casu quo sibimet ex propriis bonis providere non potuerit, Religio ex caritate ea quae requirebantur ut modo tuto ac convenienti domum rediret et per aliquod tempus honeste vivere posset, ad normam iuris (c. 643 § 2) subministraverit.

### *De professione et de renovatione professionis*

198. An et quae pro votorum emissione necessariae fuerint dispensationes.

199. Quot et quaenam posteriores sanationes necessariae fuerint.

200. An vota temporaria a iure et a Constitutionibus praescripta (c. 574 § 1) elapso tempore ad quod nuncupata erant (c. 577 § 1), ad normam iuris (§ 2), semper renovata sint, ita ut nullus umquam sine votis remanserit.

201. Quoties professio temporanea ultra tempus sexennii, a iure concessum, et qua auctoritate prorogata sit (c. 574 § 2).

202. Quoties, e contra, tempus votorum temporariorum a iure (c. 574 § 1) vel a Constitutionibus praescriptum, breviatum sit.

### *De professione solemni*

203. An omnes professi votorum simplicium in Ordinibus intra sexaginta dies ante professionem votorum solemnium, in forma verae cessionis non autem in forma testamenti, praescriptam renunciationem bonorum quae actu habeant, cui maluerint, sub conditione futurae professionis, rite fecerint (c. 581 § 1).



204. An emissa professione, statim omnia peracta sint quae necessaria erant ut renuntiatio iure civili effectum consequeretur (c. 581 § 2).

205. An Superior professionem solemnem excipiens, Parochum baptismi de eadem certiorem reddiderit ad normam cc. 470 § 2, 576 § 2.

## Articulus II
## De vita et disciplina religiosa

### *De votis – De paupertate et vita communi*

206. An ubique, praesertim vero in novitiatibus et studiorum domibus (cc. 554 § 3, 587 § 2), vigeat perfecta vita communis ad normam c. 594, Regulae et Constitutionum.

207. Quid positive factum sit atque fiat, ut secura reddatur et promoveatur virtus et spiritus paupertatis.

208. An Superiores et Officiales ex religiosa caritate et ad vitandas religiosis occasiones peccandi contra paupertatem, necessaria et convenientia, intra limites ipsius paupertatis, sive quoad victum sive quoad vestitum ceteraque suppeditent.

209. An toleretur ut ab extraneis religiosi petant haec vel recipiant.

210. An adsint de iis querimoniae, et ipsae serio ponderentur, et abusus Superiorum et subditorum pari severitate corrigantur.

211. An religiosi aegroti et senes speciali cura subleventur et paterna caritate quoad corpus et animam ipsis ita provideatur ut, intra limites religiosae paupertatis, nihil eorum desit quae ad salutem recuperandam et ad spiritualem consolationem necessaria videantur.

211. An hi omnes domi curentur; et si in casu peculiaris necessitatis extra domum curari debeant, an iugiter visitentur.

213. An habeatur apta domus pro sodalibus aegrotis vel senibus.

### *De castitate ipsiusque custodia*

214. An Superiores omnes, pro conscientiae officio, circa ea in quibus pericula contra religiosam castitatem facilius inveniuntur attente vigilaverint, tam domi quam extra domum, i. e. circa:

*a*) Familiaritates sive in collocutoriis sive aliis in locis, cum personis alterius sexus, cum iuvenibus et pueris.

*b*) Commercium epistolare.

*c*) Lectiones librorum et ephemeridum quae religiosos dedecent.

*d*) Abusus telephonii et usum incensuratum auditionum radiophonicarum, etc.

215. An normae et praescripta a Superioribus et Capitulis data sint circa usum publicum et privatum radiophonii (allegentur documenta).

http://www.obrascatolicas.com/

216. Si, quod Deus avertat, religiosi delictum admiserint contra sextum decalogi praeceptum cum minoribus alumnis suis curis concreditis, an Superiores illico delinquentes ab occasione averterint ac punierint, et postea diligenter in eorumdem vitam invigilaverint. An in casibus gravioribus Superiores recursum ad S. Sedem instituerint.

217. An fideliter observentur iuris et Constitutionum praescripta circa clausuram (cc. 598-599; 604). An abusus irrepserint.

218. An Superiores, contra normas Constitutionum, tolerent visitationes absque socio, visitationes et collocutiones frequentes et nimis protractas externorum, illas praesertim quae evidenter inutiles sunt vel periculosae evadere possunt, quae turbant silentium etiam strictius dictum, exercitia pietatis vel alia communia exercitia impediunt, et generatim spiritui religioso obsunt.

219. *a*) An collocutoria ita sint ordinata ut a parte externa conspici possit quid in ipsis geritur.

*b*) An collocutoriorum frequentia sit ordinata ad normam Constitutionum et religiosae prudentiae.

220. An Superiores omnia diligenter ipsi observent, et vigilent ut observentur quae circa egressum religiosorum et circa excipiendos et visitandos extraneos in Constitutionibus praescripta sunt.

221†. An, extra casus prudentis necessitatis, religiosis e domo egredientibus, praesertim visitationis causa, a Superioribus comes detur (c. 607).

222†. An habitationes Cappellanis et Confessariis vel Praedicatoribus reservatae ingressum habeant separatum, et nulla interna adsit comunicatio cum religiosarum habitationibus.

### *De obedientia*

223. An vigeat disciplina religiosa, et facile evadat, ex docilitate subditorum, Superiorum regimen.

224. An opus fuerit frequenter praecepta formalia ex voto obedientiae imponere.

225. An haec praecepta debita forma, ad normam Constitutionum, atque semper ex gravi causa data sint.

### *De Regula et Constitutionibus*

226. An Regula et Constitutiones fideliter observentur (c. 593).

227. An temporibus praescriptis Regula et Constitutiones publice legantur (c. 509 § 2, 1°).

228. An foveatur Regularum et Constitutionum lectio privata.

229. *a*) An consuetudines, Regulae et Constitutionibus contrariae, vigeant.



*b*) An Superiores patiantur novas nasci, vel, e contra, nitantur has impedire et veteres exstirpare.

230. An et quibus in locis ab ultima Relatione abusus nati vel radicati sint.

### *De habitu religioso*

231. An Religio habitum proprium habeat (c. 596).

232. An habitus absque debita venia modificatus vel derelictus sit, et qua auctoritate.

233. An habitus respondeat ubique praescriptis Regulae et Constitutionum, et sit pro omnibus uniformis, salvis differentiis legitime receptis pro unaquaque classe.

234. An habitus religiosus fideliter ad normam iuris deferatur (c. 596).

235. An exclaustrati habitum religiosum gerere pergant.

### *De exercitiis pietatis*

236. An Superiores curent ut in omnibus domibus exercitia pietatis quae pro singulis diebus, hebdomadibus, mensibus et annis vel aliis definitis temporibus praescripta sunt, fideliter digneque ad normam Constitutionum habeantur.

237. An Superiores curent ut omnes religiosi:

*a*) Quotannis spiritualia exercitia peragant.

*b*) Legitime non impediti, quotidie Sacro intersint.

c) Quotidie orationi mentali vacent.

*d*) In alia pietatis officia quae a Regulis et Constitutionibus praescripta sunt sedulo incumbant (c. 595 § 1, 1° et 2°).

238. An Superiores curent ut omnes sodales exercitiis communibus interesse valeant.

239. An religiosis qui communibus exercitiis, ob propria munera aliave iusta de causa, vel etiam ex abusu non intervenerint, tempus concedant ut exercitia obligatoria supplere commode et digne valeant.

240. An vigilent ut haec omnia exercitia de facto suppleantur.

### *De chorali servitio et Officio divino*

241. An chorale servitium, si Constitutiones ipsum praescribunt, accurate et digne in singulis domibus ad normam earumdem Constitutionum et iuris communis (c. 610 § 1) celebretur, adstantibus religiosis choro obligatis et actu legitime non impeditis.

242. An Superiores curent ut Sacerdotes, Clerici Maiores et solemniter professi, qui a choro abfuerunt, attente ac devote Officium divinum privatim persolvant (c. 610 § 3).



http://www.obrascatolicas.com/

*De caritate religiosa*

243. An relationes inter diversa membra Religionis, inter Superiores et subditos etc. spiritu verae caritatis informentur.

244. An defectus contra caritatem severe corrigantur.

245. An inter Assistentias, Provincias seu regiones diversas Religionis, contentiones et aemulationes adsint et tolerentur. An existat aliqua specialis causa quae fraternae caritati impedimentum sit.

*De lectione librorum*

246. An Superiores advigilent ne libri, manuscripti vel editi, non prorsus securi, adhibeantur.

247. An libri spirituales quibus religiosi privatim utuntur, ad normam iuris, sint ab Ecclesia approbati et statui religioso ac singulorum religiosorum quibus permittuntur spirituali bono respondentes.

## Articulus III

## De egressis, dimissis aliisque Religionem relinquentibus

*De egressis a Religione*

248. *a*) Quot in Religione et in singulis Provinciis, absoluto tempore votorum, vota non renovarunt, sponte vel quia non admissi.

*b*) Quot ex professis votorum temporariorum durantibus votis dispensati sint, et quot ex professis votorum perpetuorum.

249. An dispensati a votis ex petitione ab ipsis facta seu confirmata, antequam rescriptum rite executioni mandatum sit, coacti sint vel, absque seriis gravibusque causis et cautionibus, ipsis permissum sit domum religiosam relinquere.

250. Num et quot transierunt ad aliam Religionem.

*De apostatis et fugitivis*

251. *a*) An et quot fuerint apostatae et fugitivi in quinquennio.

*b*) An Religio vel Societas praecepta iuris circa apostatas et fugitivos observaverit, eosdem quarendo (c. 645 § 2), et, si frustra, ad normam iuris, contra illos procedendo ita ut eorum conditio iuridice clare definita sit. An praescripta iuris circa reversos observata sint (c. 2385, 2386) et vigilanter ipsorum bono spirituali consulatur.

*De dimissis ab homine et de non admissis ad professionem*

252. *a*) Quot ab ultima Relatione dimissi sint ex professis votorum temporariorum et ex professis votorum perpetuorum, iuxta Provincias.

*b*) An in dimissione religiosorum, sive votorum temporariorum sive perpetuorum, tam normae iuris communis (cc. 647 § 2, 4°; 649-672) quam propriarum Constitutionum observatae sint.



*c*) Item in non admittendis professis temporariis ad renovationem votorum vel ad professionem perpetuam (c. 637).

253. Num dimissi a votis temporariis, pendente recursu legitime intra decem dies praesentato (c. 647 § 2; S. C. de Rel., 20 iulii 1923, *AAS*, XV, 1923, p. 457),[a] et dimissi votorum perpetuorum antequam decretum seu sententia dimissionis confirmata sit a S. Congregatione (cc. 652, 666), coacti sint Religionem relinquere.

254. An dimissi qui in sacris non sunt, ex dimissione a votis solvantur (c. 669 § 1); et si vota remanent, an Religio de eorum conditione sollicita sit (c. 672 § 1).

*De dimissis a iure et de remissis ad saeculum*

255. Quinam et quibusnam de causis, tam inter professos temporarios quam inter professos perpetuos casus fuerint sive remissionis ad saeculum ob grave scandalum vel gravissimum damnum (cc. 653, 668) sive dimissionis a iure (c. 646).

256. An statim, ad normam Codicis (c. 646 § 2; 653, 668), dimissorum a iure et remissorum ad saeculum conditioni provisum sit.

257. An alicuius adhuc conditio suspensa remaneat.

258. An et quinam casus habiti sint reductionis Clericorum in sacris ad statum laicalem; quot voluntarii et quot propter poenam.

*De exclaustratis*

259. An et quot fuerint casus exclaustrationis et an diligenter causae coram Deo, pro conscientiae officio, ponderentur antequam preces commendentur et rescriptum executioni mandetur.

260. An Religio curet:

*a*) Ut indulta, si proroganda necessario videantur, tempestive renoventur.

*b*) Ut exclaustrati vitam ducant religiose dignam et quam citius ad claustra revertantur.

261*. Pariter an Religio curam gerat de saecularizatis ad experimentum, et de ipsorum ad claustra reditu, si, absoluto triennio, non renovetur indultum vel ab Ordinario non admittantur.

*De absentiis a domo*

262. An Superiores curent ut tantum iusta et gravi causa, atque ad tempus quo fieri possit brevius, secundum Constitutiones, subditi extra domum commorentur (c. 606 § 2).

263. An pro absentiis quae menses excedant, nisi studiorum aut ministeriorum causa ad normam iuris et Constitutionum, semper obtenta sit licentia S. Sedis (c. 606 § 2).

[a] N. 346[a].

http://www.obrascatolicas.com/

264. An permittatur ratione seu colore vacationum tempus transigere apud proprios parentes vel extra domum propriae Religionis.

*De defunctis*

265. An praescripta suffragia fideliter et cito pro omnibus defunctis persoluta sint.

ARTICULUS IV

**De diversis religiosorum classibus et conditionibus**

§ 1. – DE CLERICIS
(remissive ad Relationem circa formationem et studia)

§ 2. – DE CONVERSIS SEU COADIUTORIBUS

*De educatione et institutione*

266. An Superiores, religiosos conversos in christiana doctrina erudiant ad normam c. 509 § 2, 2°, et utrum ante et post professionem, praesertim primis annis, Superiores eorumdem conversorum educationem spiritualem, intellectualem, civilem et technicam, iuxta officia ab ipsis gerenda, diligenter curent.

267. An Religiosi vacare permittantur operibus quae statui religioso convenire non videntur.

268. An Superiores paterna caritate sanitati etiam corporali conversorum seu coadiutorum diligenter consulant.

§ 3. – DE IIS QUI SERVITIO MILITARI ADDICTI SUNT

*De professione eorum qui ad servitium militare activum primo vocandi sunt*

269*. An professiones temporariae eorum qui ad servitium militare activum vel aequiparatum primo vocandi sunt, ad normam decretorum S. Sedis ordinatae sint.

270*. An professiones perpetuae ante primum servitium militare activum vel aequiparatum ad quod iuvenes vocari possunt, permissae sint.

*De Religiosis durante servitio militari*

271*. *a*) An Superiores de alumnis militibus curam habuerint, ipsorum vitae invigilaverint, cum eisdem frequenter communicaverint, rationem exigendo periodicam de modo sese gerendi, de actibus et exercitiis pietatis etc.

*b*) Quaenam media peculiaria pro illorum perseverantia adhibita sint.



272*. An in casibus dimissionis ob iustas et rationabiles causas, vel separationis voluntariae a Religione, Superior maior ad normam praescriptorum processerit, et omnia documenta in archivo fideliter conservaverit.

*De professione temporanea post militiam renovanda et de professione perpetua emittenda*

273*. An pro admissione ad professionis temporariae renovationem omnia adimpleta sint quae a iure communi et in decretis hac de re praescribuntur.

274*. An completum sit tempus praescriptum professionis temporariae post servitium militare, necnon tempus votorum temporariorum a iure et a Constitutionibus praescriptum ante emissionem professionis perpetuae.

## CAPUT III

## DE OPERIBUS ET MINISTERIIS RELIGIONIS

ARTICULUS I

**De ministeriis in genere**

*De fine speciali et ministeriis Religionis generatim*

275. An ministeria propria derelicta vel minoris habita sint.

276. An et qua licentia aliqua exerceantur ministeria in fine speciali Religionis non contenta.

*De abusibus in exercendis ministeriis*

277. An aliqui abusus in ministeriis exercendis hoc tempore introducti sint, et quinam.

278. An occasione ministeriorum, quaelibet avaritiae species accurate vitetur.

279. An quaestuatio ostiatim, ad normam iuris (cc. 621, 622) et propriarum Constitutionum, debitis licentiis facta sit.

280. An praeterea in quaestuatione complenda regulae iuris (c. 623), instructiones a S. Sede datae (c. 624) et propriarum Constitutionum normae servatae sint.

281. An ratione vel praetextu ministeriorum permittantur nimia vel nimis profana communicatio cum saecularibus, et commoratio frequens et diuturna extra domum religiosam.

282. Quaenam cautelae adhibeantur in hac communicatione ad vitandum damnum religiosorum et saecularium scandalum.

http://www.obrascatolicas.com/

*De difficultatibus ratione ministeriorum cum Clero saeculari aliisque Religionibus, etc.*

283. An simultates habitae sint occasione ministeriorum cum Superioribus ecclesiasticis, cum parochis et clero saeculari, cum aliis Religionibus, cum Cappellanis. Quaenam fuerint praecipuae ex his contrarietatibus, et quibus in locis.

284. Quaenam probabiles causae afferri possunt harum simultatum, et quaenam suggeri possunt remedia ad has difficultates vitandas.

## Articulus II
## De ministeriis specialibus

*De Missionibus apud infideles et haereticos*

285. An in Missionibus, vel in ipsarum aliqua, religiosa vita detrimentum ceperit et quibus de causis.

286. Quaenam cautelae applicatae sint vel applicari debuerint ut in apostolatu fidelis observantia disciplinae religiosae et cura propriae sanctificationis securiores reddantur.

287*. An in Missionibus Superior religiosus internus distinctus sit a Superiore ecclesiastico.

288*. An haec unio munerum in eadem persona commoda attulerit vel potius e contra incommoda.

*De Paroeciis, Ecclesiis et Sanctuariis*

289*. An S. Sedis indultum, ad normam c. 452 § 1, 1423 § 2, ad incorporationem vel unionem paroeciarum obtentum sit, ita ut rite facta unio seu incorporatio haberi possit.

290*. Quanam forma sint Religioni unitae Paroeciae: pleno iure (absolute, ad nutum S. Sedis), in temporalibus etc., et a quo tempore. (Mittatur exemplar documenti, si peculiare adsit).

291*. An conventio cum Ordinario loci stipulata sit pro qualibet paroecia acceptanda. (Mittatur exemplar conventionum in quinquennio initarum).

292*. Quomodo Superiores circa parochos vigilent eisque assistant (c. 631 §§ 1-2) et, si opus sit, eos moneant et corrigant.

293*. An, servato c. 505, munus Superioris localis cum munere parochi quandoque unitum fuerit; an haec unio difficultatibus locum dederit, an e contra bonos fructus attulerit.

294*. An Religio ab Ordinariis locorum Ecclesias commendatas vel Sanctuaria obtinuerit, et qua licentia et sub quibus clausulis ac conditionibus.



295*. Quomodo Superiores omnes provideant ne ex religiosorum ministerio in paroeciis, vel in ecclesiis publicis ipsis concreditis, disciplina religiosa detrimentum patiatur.

*De Collegiis, Scholis, Seminariis*

296*. An et qua forma Religio habeat sibi commendata Seminaria clericorum. (Allegentur documenta et conventiones in quinquennio hac de re initae).

297*. An in huiusmodi Seminariis adsint difficultates cum Ordinariis sive in vita et disciplina religiosa, sive in regimine Seminarii.

298*. Quae media et industriae adhibeantur ad rectam et solidam instructionem et educationem religiosam alumnorum.

299. An habeantur domus in quibus commorantur iuvenes qui scholas publicas frequentant.

300. An in his casibus accuratissime provideatur ut scholae securae sint sub duplici respectu instructionis et educationis, et speciatim an instructioni et educationi religiosae invigiletur attente; et deficientiae, si quae sint, diligenter suppleantur.

301†. An habeantur scholae mixtae; an ad definiendam aetatem quae limites signet ultra quam pueri admitti seu retineri non valeant, Ordinariorum praescripta servata sint.

302. An Superiores severe curent ut Rectores, Praefecti, Magistri et Professores convenienter ad propriam missionem praeparentur:

*a*) Scientifice, seu scientiae acquisitione quae gradui scholae adaequate respondeat et consecutione graduum et titulorum, etiam civilium.

*b*) Paedagogice, seu studio et exercitio artis paedagogicae.

*c*) Spiritualiter, ut munus docendi cum vero animarum zelo exerceant, et in ipso se et alios sanctificent.

303. An Superiores diligenti cura provideant ut munus docendi apte cum disciplina religiosa componatur.

304. An a munere docendi illos prompte removerint qui in ipso exercendo vitam religiosam parvipendunt et alumnis bono exemplo non sunt.

*De exercitio operum misericordiae corporalis*

305. An Religio misericordiam exerceat corporalem erga infirmos, orphanos, senes etc.

306. An habeantur:

*a*) Hospitia et hospitalia pro quibuslibet personis, etiam diversi sexus.

*b*) In hoc casu, qua auctoritate admissa sint et quae cautelae adhibeantur ad pericula vel suspiciones vitanda.

307. An et quod inconveniens ortum sit.

http://www.obrascatolicas.com/

308. An Superiores diligenter curent ut omnes qui diversis muneribus in his institutis fungi debent, competenter praeparentur:

*a*) Scientifice, per consecutionem etiam diplomatum Status aliorumque aequivalentium titulorum.

*b*) Practice, per conveniens tyrocinium.

309. An in adsistentia et cura infirmorum, et in exercitio charitatis corporalis praescripta Constitutionum et normae hac de re a S. Sede et ab Ordinariis datae observentur.

310†. An religiosae quae in domibus privatis infirmis adsistunt, fideliter Constitutionum specialia praescripta observent; an cautelas opportunas diligenter adhibeant ad pericula vitanda.

311. An Superiores satagant ut religiosis his ministeriis vacantibus, cibo et somno convenienti sanitas corporalis conservetur; ut pericula moralia vitentur; ut vita religiosa cum exercitio caritatis apte componatur; ut zelus ab omni specie lucri aliusve affectus humani purus remaneat et appareat.

*De apostolatu preli*

312. An Religio apostolatum exerceat per librorum et foliorum conscriptionem, publicationem seu editionem et propagationem.

313. An ad normam iuris praeviae censurae Superiorum maiorum et Ordinariorum locorum, publicationes subiectae sint (c. 1385 § 2).

314. An Superiorum et Ordinariorum locorum licentia necessaria obtenta sit ad libros edendos qui de rebus profanis tractent, et ad cooperandum in diariis, foliis vel libellis periodicis vel ad eadem moderanda (c. 1386 § 1).

315. An in librorum propagatione absit immoderati lucri species, et debitae cautelae adhibeantur ad pericula cavenda.

*De Actione Catholica*

316. An religiosi Actionem Catholicam fovere eique operam praestare nitantur.

317. An difficultates hac de re ortae sint, sive cum directoribus sive cum clero saeculari.

318. Quaenam remedia ad has difficultates removendas adhibita sint et quaenam proponi possint.

*De ministeriis sacerdotalibus – De celebratione S. Sacrificii et de Missarum eleemosynis atque oneribus*

